Class 230.2 C Book T361Yl

General Theological Seminary Library

CHELSEA SQUARE, NEW YORK

EX LIBRIS

Leicester Crosby Lewis, S.T.D.

G. T. S. 1912

VICAR OF ST. LUKE'S CHAPEL

TRINITY PARISH, NEW YORK

1945-1949

TRACTATUS

DE

SACRA DOCTRINA

INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TOMUS I

TRACTATUS
DE
SACRA DOCTRINA

(1, Quaest. I)

AUCTORE

ALEXIO HENRICO MARIA LÉPICIER, O. S. M.

ARCHIEP. TIT. TARSENSI
ACADEMIAE ROMANAE S. THOMAE AQUINATIS SODALI
IN PONT. COLLEGIIS DE PROPAGANDA FIDE, S. ALEXII FALC. ET S. BEDAE DE URBE
SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE, ETC.

Nescit homo pretium eius nec invenitur in terra suaviter viventium.
IOB., XXVIII, 13.

ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ROMANA « BUONA STAMPA »
VIA EZIO 19
1927

114344

230.2C
T361Yl

IMPRIMATUR

† Ioseph Palica Archiep. Philipp., Vic. Ger.

Omnia iura proprietatis auctor sibi vindicat.

MEMORIAE · IMMORTALI

LEONIS · XIII · PONT · MAX.

QVO · AVCTORE

SAPIENTIAE · SCHOLASTICAE · STVDIA · REVIXERVNT

HANC · SERIEM · COMMENTARIORVM

AD · THOMAM · AQVINATEM

QVIBVS · VNIVERSVM · THEOLOGIAE · DOGMAT.

CVRSVM · COMPLEXVS · SVM

OPVS · IPSO · HORTANTE · AC · FAVENTE · SVSCEPTVM

NVNC · DEMVM

$\overline{\text{XXXV}}$ · POST · ANNOS · ABSOLVTVM

LIBENS · DICO · ET · DEDICO

TESTEM · GRATI · ANIMI · ET · OBSEQVII · MEI

230.2C
T361 Yl

INTRODUCTIO.

A praesenti volumine, quo sacrae Doctrinae seu Dogmatis catholici natura, proprietates atque extensio investigantur, initium sumit universa nostrorum in Summam Theologicam S. Thomas Commentariorum series, quos magno labore, multorum annorum decursu, edidimus. Eo autem consilio tractatum hunc toti theologico operi praemittendum censuimus, quatenus clavis foret pro recta dicendorum intelligentia, ut scilicet clare prius definiretur quisnam sit theologicarum propositionum valor, qua ratione sint ea tenenda quae hic passim deducuntur, et utrum detur, in fidei doctrina, veri nominis progressus.

In toto autem hoc opere perficiendo, in quo, ut verbis Patriarchae Iacob utar (sit audaci ninis comparationi venia), *die noctuque aestu urebar et gelu* [1], id unum mihi praestitui, ut iuxta mandatum mihi olim a S. M. Leone XIII commissum, sacra fidei nostrae dogmata, ad normam doctrinae S. Thomae, in clariorem lucem ponerem atque contra praesentis aevi errores vindicarem.

Quod ea quidem mente praestiti, ut alumnis meis, maxime ex Ordine Servorum Beatae Mariae Virginis, calcar adderem, ad saluberrimum hoc studium maiori nisu ac laetiori fructu prosequendum. Quem in finem sacrarum quoque litterarum scholas, dum supremo in Ordine magistratu fungerer, meliores maiorum nostrorum secutus traditiones, ipso quoque annuente atque favente S. Pontifice Pio X [2], ita promovendas curavi, ut idonei inde prodirent lectores, qui alios vicissim docere possent, quorum tandem opera reflorerent, ad vitae spiritualis, atque regularis disciplinae incrementum, sacrae Doctrinae studia: quibus intermissis, mores statumque Religionis universum collabi necesse est [3].

[1] Gen., XXXI, 40. — [2] Cf. epist. *Quinto ac vigesimo*, infra p. IX. — [3] Const. Ord. Serv. B. M. V., c. IV.

Quod si nondum plene, ob adversa rerum adiuncta, conamina nostra optato laetata sunt fructu, haud propterea incoepto nobis desistendum existimavimus: quinimmo, nisu maiori propositum sumus persecuti, spe certa freti illum, in cuius potestate sunt momenta et tempora [1], opus aliquando coronaturum.

Ei ergo maximas ex corde referimus gratias, *confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu* [2].

Romae, in festo Annuntiationis B. M. V., 1927.

[1] Act., I, 7. — [2] Phil., I, 6.

Dilecto Filio

ALEXIO LEPICIER

Priori Generali Servorum B. M. V.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quinto ac vicesimo anno iam exeunte postquam fel. rec. decessor Noster Leo XIII Septem Beatos Ordinis vestri Conditores in sanctorum numerum retulit, libet palam atque aperte profiteri quo studio et honore Ordinem istum prosequamur, qui divinitus est ad Perdolentem Virginem colendam excitatus. Is profecto tam utiliter in provehenda apud christianum populum eiusdem Beatae Virginis veneratione elaboravit, tot alumnos sanctitate conspicuos caelo inseruit, tot diligentibus administris Ecclesiam praeclarisque viris civitatem auxit, ut religiosas inter familias honestissimum merito locum obtineat. Est praeterea in vestra laude ponendum, ex ea vos condicione et loco, quantacumque fuit temporum rerumque acerbitas, nunquam decidisse; quin immo honores caelitum augustis Parentibus decreti tantam videntur adiecisse vobis alacritatem, ut iam tum coeperitis fructus in vinea Domini ferre multo copiosiores.

Incrementa eiusmodi vestra non modo Ordini gratulamur universo, sed etiam uberiora posthac fore confidimus. Cur enim spem Nostram fallat eventus, quandoquidem vobis iuvenes succrescunt et pietate et doctrina rite instructi? Novimus proximos Praepositos Ordinis omni mente in ea cura et cogitatione esse versatos, ut, ad praescripta Nostra, tirones sui puris de fontibus christianam sapientiam imbiberent et traditam a patribus religiosae vitae formam induerent.

In quo recte tu quidem, dilecte fili, ut perfectius quiddam attingeres, in Sancti Alexii Falconerii Collegio, quod Romae patet alumnis vestris ex omni natione educendis, instituisti, ut accepimus, sacrarum disciplinarum magisteria, et cogitas, de eadem studiorum ratione in ceteras tironum domos dein-

ceps inducenda. Etenim huius consilii tui is futurus est salutaris exitus, ut non modo scholasticae doctrinae thesaurus apud vos integer consistat eamdemque una mente unoque animo sodales profiteantur omnes, sed etiam ut quae permulta olim de christiana veritate scripserunt illustres ex Ordine doctores, ad pristinum ea splendorem revocentur. Atque inde alterum, nec minoris momenti, oritur commodum: id est posse lectos iuvenes in tam nobili studiorum palestra ita ingenii exercere vires, ut ad docendum quandoque prodeant apparatissimi.

Sed alia accedit causa, quamobrem de diligenti opera tua vehementer laetemur. Decessores enim in officio tuos imitatus, omni contentione eniteris atque efficis, ut qui, emenso studiorum curriculo, sacerdotes effecti sint, sensim neglegendo ne dediscant quae tam accurate didicerunt, quin etiam naviter in libris haereant, ut copiam sibi doctrinae sacrae largiorem comparent. Nam si sacrorum administri ea carent interdum divinarum humanarumque rerum scientia, qua eos florere oportet, non idcirco plerumque fit, quod vel in seminariis vel in coenobiis inepte insituti sint, sed potius quod parta sibi doctrinae adiumenta per desidiam extenuari siverint atque evanescere.

Perge igitur, dilecte fili, pro alumnis a sacerdotio recentibus ita vigilare, ut, aetate progrediente et praesertim in sacri ministerii primordiis, quo animorum ardore curandae hominum saluti dant operam, eodem et Instituti sui leges sancte exequantur et ecclesiasticas perpetuo excolant disciplinas. Quod si feceris remque totam Perdolentis Virginis Septemque Sanctorum Patrum tutelae credideris, pro certo habemus, Ordinem, Nobis aeque ac tibi carum, esse ad maiora gradatim adscensurum, cum explorata omnium vestrum Ecclesiaque utilitate.

Idque ut secundum vota eveniat, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et quibus praees sodalibus universis apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis octobris, anno MCMXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. X.

PROOEMIUM

IN

UNIVERSAM THEOLOGIAM

		PAG.
1.	Sacrae Theologiae dignitas	1
2.	Necessitas huius studii pro sacrorum ministris	2
3.	Quanti, praesenti tempore, faciendum sit hoc studium	3
4.	Pericula ex naturalismo et positivismo societati obvenientia	4
5.	Doctrina S. Thomae Aquinatis	4
6.	Intentio praesentis operis	5
7.	Quamnam methodum secuti sumus	6
8.	Ab ordine quaestionum et articulorum necnon a dicendi modo S. Thomae minime recedendum	7
9.	Utilitas longioris theologicae tractationis	8
10.	Monita	9
11.	Epistola exhortatoria S. Thomae	11
12.	Summa theologica	12
13.	Prologus S. Thomae	13
14.	Divisio totius Theologiae	16
15.	Specialis sacrae Doctrinae distributio	17
16.	Ratio huius ordinis	17
17.	Specialior sacrae Doctrinae partitio	18
18.	Quaenam in hoc opere comprehenduntur	20
19.	Series tractatuum quibus praesens opus constat	20

TRACTATUS PRIMUS

DE

SACRA DOCTRINA

PAG.

PREFATIO 23

PROOEMIUM 29

1. Ratio et necessitas huius tractationis 29
2. Sacrae Doctrinae laus in Sacra Scriptura 30
3. Sacra Doctrina et Dogma catholicum 30
4. Differentia inter Sacram Doctrinam et Dogma catholicum . 31
5. Ordo tractatus 32
6. Quanta sit in mundo ignorantia sacrae Doctrinae . . . 33

QUAESTIO PRIMA.

De Sacra Doctrina, qualis sit, et ad quae se extendat.

1. Ratio quaestionis 34
2. Quid sit Theologia 35
3. Quid sit sacra Doctrina 34
4. S. Thomas Aquinas 35
5. Ordo quaestionis 36
6. Quatuor causarum genera 38

ART. I. — *Utrum sit necessarium, praeter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.*

1. Status quaestionis 39
2. Errores 40

PAG.

3. Condemnatio 40
4. Divisio articuli 41
5. Ordo supernaturalis 42
6. Ad hunc statum ordinis supernaturalis primus homo in ipso suae creationis exordio evectus est 44
7. Rosminii sententia refellitur 45
8. QUAESTIO. — *Utrum ordinis supernaturalis existentia possit solis humanae rationis viribus menti innotescere?* . . . 46
9. Nequit homo, per sua naturalia, attingere ordinem supernaturalem 47
10. Solvitur tacita obiectio 48
11. COROLLARIUM. — I. Perniciosus traditionalistarum error. — II. Necessitas cognoscendi miraculi naturam . . . 49
12. Necessarium et utile 49
13. PROP. I. — Sunt quaedam vera quae omnino facultatem humanae rationis excedunt 50
14. Auctoritas 50
15. Ratio theologica 50
16. PROP. II. — Necessarium fuit, ad humanam salutem, esse doctrinam quamquam revelatam 52
17. Probatur 52
18. Utilitates homini ex tradita revelatione obvenientes . . 53
19. PROP. III. — Necessarium fuit hominem divina revelatione instrui in illis quoque quae de Deo humana ratione investigari possunt 53
20. Exponitur 53
21. Probatur 54
22. SCHOLION. — Quanta sit revelationis utilitas 54
23. PROP. IV. — Theologia, quae ad sacram Doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur 55
24. Exponitur 55
25. PROP. V. — Veritati fidei non contrariatur veritas rationis . 56
26. Ostenditur 56
27. PROP. VI. — Revelatio supra rationem est omnino agnoscenda 57
28. Probatur 57
29. Syllabus Pii IX 58

ART. II. — *Utrum sacra Doctrina sit scientia.*

PAG.

1. Ratio articuli 58
2. PROP. I. — Sacra Doctrina est veri nominis scientia . . 59
3. Sacra Scriptura 59
4. Traditio 59
5. Utilitas et necessitas sacrae Doctrinae 60
6. Doctrinae scolasticae minime detrahendum 61
7. SCHOLION. — Laudandi sunt qui ad analogiam fidei attendentes, rerum rationes investigant 61
8. Ratio theologica 62
9. Duplex scientiae genus 63
10. PROP. II. — Sacra Doctrina est scientia subalternata per respectum ad scientiam Dei et beatorum 63
11. Exponitur 64
12. Tria sedulo notanda 64
13. COROLLARIUM. — Scientia nostra theologica est aliquo modo imperfecta, scilicet quoad statum 65
14. Difficultates 66
15. SCHOLION. — S. Paulus non reprobat rectum sacrae theologiae usum 68
16. Dubiae Patrum voces 68

ART. III. — *Utrum sacra Doctrina sit una scientia.*

1. Advertenda 69
2. Divisio Theologiae 70
3. PROP. — Sacra Doctrina est scientia una, specie specialissima 70
4. Probatur 70
5. Confirmatur 72
6. COROLLARIUM. — Haereticorum theologia a sacrae Doctrinae dignitate deficit 72
7. Lumen revelationis tamquam causa efficiens et medium cognitionis 73
8. Quonam criterio scientiae dividuntur 73
9. SCHOLION I. — Obiectum formale quo sacrae Doctrinae est divina revelatio virtualiter et mediate 74
10. SCHOLION II. — Non tollitur unitas theologiae ex duobus luminibus, fidei scilicet et rationis 75
11. Solvuntur difficultates 75

ART. IV. — *Utrum sacra Doctrina sit scientia practica.*

PAG.

1. Praenotanda 76
2. PROP. I. — Sacra Doctrina in sua formali ratione, est scientia eminenter speculativa et practica 77
3. Suadetur 77
4. Propria propositionis ratio 77
5. Sacra Scriptura 78
6. Patres 79
7. Confirmatur 79
8. SCHOLION. — Duplex est sacrae Doctrinae facies . . . 79
9. PROP. II. — Sacra Doctrina est magis speculativa, quam practica 80
10. Probatur 80
11. Confirmatur 80

ART. V. — *Utrum sacra Doctrina sit dignior aliis scientiis.*

1. Ratio articuli 81
2. PROP. I. — Sacra Doctrina alias scientias dignitate transcendit, *a*) tam speculativas, *b*) quam practicas 81
3. Prob. 1ª pars 81
4. Explicatur. — I. Quantum ad certitudinem 82
5. Tacita obiectio 82
6. SCHOLION. — Sacra Doctrina simpliciter certior est aliis scientiis 83
7. II. Quantum ad dignitatem materiae 83
8. Prob. 2ª pars. 84
9. Tria sedulo advertenda, duce Caietano 84
10. PROP. II. — Sacra Doctrina aliis scientiis tanquam ancillis utitur 85
11. Exponitur 85
12. Quomodo sacra Doctrina aliis scientiis utitur 86
13. COROLLARIUM. — Errores Güntheri et Georgii Hermesii . . 86

ART. VI. — *Utrum haec doctrina sit sapientia.*

PAG.

1. Virtutes intellectuales speculativae 87
2. Quid sit sapientia 87
3. Donum sapientiae 88
4. QUAESTIO. — Utrum et quomodo sacra Doctrina ad sapientiae dignitatem assurgit 89
5. PROP. — Sacra Doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter 89
6. Auctoritas 89
7. Ratio theologica 90
8. SCHOLIA. — I. Sacra Doctrina non dicitur sapientia per respectum ad scientiam Dei et beatorum. — II. Ad sacram Doctrinam non pertinet probare principia aliarum scientiarum 90

ART. VII. — *Utrum Deus sit subiectum huius scientiae.*

1. Quid sit subiectum 91
2. Quaestio 92
3. Opiniones 93
4. PROP. — Deus est subiectum huius scientiae, et quidem sub ratione Deitatis 93
5. Probatur 93
6. Exponitur maior 93
7. Probatur minor 93
8. SCHOLION. — Nostra theologia distinguit subiectum attributionis et subiectum extensionis; scientia physica autem non habet nisi unum subiectum, quod est commune per praedicationem 95
9. Solvuntur difficultates 95

ART. VIII. — *Utrum haec doctrina sit argumentativa.*

1. Ratio articuli 96
2. PROP. I. — Sacra Doctrina, generatim loquendo, debet esse argumentativa 97
3. Sacra Scriptura 97
4. Patres 97

PAG.
5. Theologia scholastica 98
6. SCHOLION. — Sensum verborum S. Pauli (Rom., XII, 1): *Rationabile obsequium vestrum* 98
7. PROP. II. — Sacra Doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei 98
8. Probatur 98
9. Principia sacrae theologiae 99
10. PROP. III. — Sacra Doctrina praebet aliquam intelligentiam veritatum, quas Deus homini fide credendas proponit . . 100
11. Exponitur 100
12. PROP. IV. — Sacra Doctrina disputat contra negantem aliqua ex suis principiis, et solvit rationes quae contra fidem inducuntur 101
13. Exponitur 101
14. SCHOLION. — Non est idem solvere ac probare . . . 102
15. Advertenda circa conclusiones 102

ART. IX. — *Utrum sacra Scriptura debeat uti metaphoris.*

1. Articuli ratio 103
2. Convenientiae rationes 104
3. COROLLARIUM. — Comparatio inter S. Scripturam et poeticam in usu metaphorarum 104
4. SCHOLION I. — Praeiudicium divinae revelationi ex usu figurarum non inducitur 104
5. SCHOLION II. — Talis adumbratio utilitate non vacat . . 105
6. QUAESTIO. — *Cur Sacra Scriptura, utens similitudinibus creaturarum, infimas creaturas eligit?* 106
7. Solvitur difficultas 106

ART. X. — *Utrum sacra Doctrina differat a fide.*

1. Ratio articuli 107
2. PROP. I. — Sacra Doctrina specifice distinguitur *a*) tum a fide, *b*) tum a visione beatifica 107
3. Prob. 1ª pars 107
4. Prob. 2ª pars 107
5. PROP. II. — Sacra doctrina non est incompossibilis *a*) cum fide, *b*) nec cum visione beatifica 108
6. Prob. 1ª pars 108

PAG.

7. Scholion. — Nostra theologia non evacuat fidem aut eius meritum 108
8. Prob. 2a pars 109
9. Scholion. — Tres distincti habitus: visio Dei in Verbo, fides et scientia theologica 110
10. Verba Aligherii 110
11. Definitio sacrae Doctrinae seu Theologiae 111

QUAESTIO SECUNDA.

DE AUTHENTICIS FONTIBUS SACRAE DOCTRINAE.

PROLOGUS.

1. Ratio quaestionis 112
2. Duplex sacrae Doctrinae fons 112
3. Ordo quaestionis 113

Art. I. — *Utrum sacrae Doctrinae fons authenticus sit prophetia Scripturae et traditionis.*

1. Quid sit prophetia 114
2. Quomodo sic prophetia accipiatur 114
3. Duplex prophetiae genus, privatum et authenticum . . 115
4. Duplex prophetalis fons divinae revelationis 115
5. Ad tradendam propheliam authenticam requiritur divina motio 115
6. Sententia Card. Newman examinatur et reiicitur . . . 116
7. In prophetis authenticis, requiritur etiam formaliter lumen propheticum ad diiudicandum 117
8. Absoluta necessitas luminis prophetici ad iudicandum . . 117
9. Distinctio inter prophetas et hagiographos 118
10. Quaestio. — *Quaenam ad inspirationem librorum sacrorum formaliter requiruntur?* 119
11. Prop. — Praecipuus fons sacrae Doctrinae est revelatio prophetica in sacris Litteris et Traditione contenta . . . 119
12. Auctoritas S. Pauli 119
13. Explicatur textus 120
14. Prophetia authentica, tum in Veteri tum in Novo Testamento consignata 120
15. Auctoritas Concilii Tridentini 121
16. Notanda 121

ART. II. — *Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.*

PAG.
1. Pluralitas sensuum in sacra Scriptura 122
2. Ratio pluralitatis sensuum in sacra Scriptura 123
3. Sensus litteralis et spiritualis 123
4. Sensus litteralis duplex 124
5. Triplex sensus spiritualis 125
6. Notanda 125
7. Quatuor sensus in sacra Scriptura 126
8. PROP. I. — Ex solo sensu litterali potest trahi argumentum, non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur . . 127
9. Exponitur 127
10. Solvitur tacita obiectio 128
11. QUAESTIO. — *Quid de multiplici sensu litterali tenendum est?* 129
12. Sensus litteralis primarius et secundarius 129
13. Quid sit sensus litteralis secundarius 130
14. PROP. II. — Sensus litteralis secundarius est ipse sensus accommodatus, quem Spiritus Sanctus intendit 130
15. Probatur 130
16. Confirmatur 131
17. Legitimus usus sensus accommodati ex ipsarum Scripturarum penu demonstratus 132
18. Usus sensus accommodati penes Ecclesiam et Patres . . 133
19. COROLLARIUM. — Sensus accommodatus est ipse sensus litteralis secundarius 133
20. Verba Dionysii Cartusiani 134
21. Quo sensu S. Thomas et S. Augustinus sint intelligendi . . 134
22. SCHOLIA. — I. Utilitas huius doctrinae pro vita spiritualiter traducenda. — II. Pro concionatoribus. — III. Pro theologis 136
23. QUAESTIO. — *Utrum etiam in scripturis humanis, multiplicitas sensuum adinveniri possit?* 136

ART. III. — *Utrum authenticae Ecclesiae definitiones pertineant ad fontem sacrae Doctrinae.*

1. Magisterium authenticum in Ecclesia 137
2. Romanus pontifex, subiectum huius magisterii authentici . 137
3. Advertendum 138
4. Sanctus Thomas circa summi Pontificis infallibile magisterium 139

PAG.
5. Ecclesiae traditio 140
6. Verba Card. Newmann 140
7. Magisterium authenticum in Conciliis occumenicis . . 141
8. Magisterium in coetu episcoporum 141
9. Exercitium huius magisterii 142
10. Scholion I. — Error Alfridi Loisy 142
11. Scholion II. — Magisterium extraordinarium 143
12. Studium definitionibus pontificiis praemissum non officit privilegio infallibilitatis 143
13. Infallibilitatis dos non pertinet ad prophetiam qua nova panduntur 143
14. Differentia inter inspirationem hagiographis concessam et infallibilitatem Summo Pontifici a Christo promissam . . 144
15. Solvitur tacita difficultas 145
16. Quaestio. — *Utrum Romani Pontificis infallibilitas habenda sit tamquam miraculum proprie dictum* 145
17. Difficultates praeoccupantur 145
18. Quaestio. — *Quo pacto cognosci potest aliquem determinatum Pontificem esse legitimum Papam, aut Concilium aliquod ese revera oecumenicum?* 147
19. Ad exercitium infallibilitatis pertinet etiam fides explicita totius Ecclesiae 147
20. Schema proponitur 148
21. Notanda. — I. Pontifex, aliquid tenens tramquam privatus doctor, non est infallibilis. — II. Quo pacto id quod fideles universaliter tenent, ad magisterium infallibile pertinet. — III. Papae approbatio potest esse impilcita aut explicita . 148
22. Quaestio. — *Utrum concessio alicuius officii, in gratiam alicuius facti specialis, ad auctoritatem doctrinalem pertineat?* 149
23. Corollarium. — Romani Pontifices, in dispensando circa matrimonium ratum christianorum, non fuerunt decepti . . 149
24. Infallibilitas Summi Pontificis in factis particularibus . . 150

Art. IV. — *Utrum per Patres Ecclesiae, Concilia particularia et Doctores scholasticos, sacra Doctrina exponatur, illusretur atque defendatur.*

1. Ratio articuli 151
2. Quinam dicuntur Patres Ecclesiae 151
3. Advertenda 152
4. Quinam sint Doctores Ecclesiae 153

PAG.
5. Modus quo quis procedere debeat in investiganda doctrina Patrum 154
6. Monitum 156
7. Adsistentia divina Patribus concessa 156
8. Scholion. — Quomodo intelligenda sit adsistentia Spiritus Sancti Patribus concessa 157
9. Concilia particularia 157
10. Doctrina scholastica 159
11. Doctrinae scholasticae praestantia 160
12. S. Thomas Aquinas 161
13. Obiectio praeoccupatur 161
14. Laus S. Thomae 162
15. Errores semper renascentes 162
16. Scholastici Doctores naturae studium minime neglexerunt . 163
17. Neo-scholastica non probanda 163
18. Methodus historico-positiva comparata cum methodo scholastica 164
19. Quali norma debeat methodus historico-positiva duci . . 165
20. Scholion. — De Congregationibus Romanis 166
21. Corollarium. — Duplex fons supernaturalis ex quo sacra Doctrina sua trahit argumenta 166
22. Ratio humana 167
23. Usus linguae latinae pro studiis philosophicis et theologicis . 168
24. Linguae latinae praestantia 169
25. Refutantur obiectiones contra usum linguae latinae in scholis philosophicis et theologicis 170
26. Quo pacto divina Providentia prospexerit conservationi et dilatationi linguae latinae 171
27. Verba Leonis XIII de usu linguae pro philosophia et theologia addiscenda 173
28. Usus vocabulorum scholasticorum 174

QUAESTIO TERTIA.

DE COGNOSCIBILITATE SACRAE DOCTRINAE.

PROLOGUS.

1. Ratio quaestionis 175
2. Ordo quaestionis 175

ART. I. — *Utrum ad revelationis existentiam rite dignoscendam tuto pervenire possimus.*

PAG.

1. Lux sub qua praesens materia tractatur 176
2. Intentio praesentis articuli 176
3. Exponitur et refellitur via immanentiae 177
4. Testimonium conscientiae 178
5. PROP. I. — Ad revelationis cognitionem primo pervenimus per signa certissima, omnium intelligentiae accommodata . . 178
6. Auctoritas 178
7. Exponitur 179
8. Assentiri veritati revelatae non est inscitiae aut animi levitati adscribendum 179
9. Advertenda circa citata verba Concilii Vaticani 180
10. Undenam confirmatio revelationis peti debeat 181
11. SCHOLION. — Harmonia inter revelationem et cordis humani adspirationes in tantum illius authenticitatem demonstrant, in quantum unus est utriusque fons 181
12. PROP. II. — Revelationem in tantum suscipimus, in quantum Ecclesia catholica, quae magistra est veritatis, eam nobis credendam proponit 182
13. Exponitur 182
14. Quo pacto revelatio cognoscitur per Ecclesiam, Ecclesia vicissim per revelationem 182
15. Fides est donum Dei 183
16. Motivum credibilitatis, aliud formaliter a motivo fidei . . 183
17. Ad percepienda motiva credibilitatis non est opus gratia supernaturali 184
18. Fides etiam informis est donum Dei 184
19. PROP. III. — Ostensio signorum ad inducendum homines ut credant mysteriis revelatis non evacuat meritum fidei . . 185
20. Probatur 185
21. Explicatur 185
22. Quanam certitudine revelationem suscipere debeamus . . 186
23. PROP. IV. — Assensus fidei formaliter est adhaesio intellectus veritatibus revelatis 187
24. Probatur 187
25. Modernistarum error dicentium fidem esse actum formaliter voluntatis 188
26. Obiectum materiale et obiectum formale in fide . . . 188
27. Notandum 189

PAG.
28. Scholion I. — Obiectum materiale, formale et finale in fide . 189
29. Compossibilitas fidei et sacrae Doctrinae 190
30. Scholion II. — Perperam docetur posse nos sequi in praxi opinionem probabilem, licet certi simus hanc esse falsam . 191

Art. II. — *Utrum una ratione debeat mens humana dogmati catholico adhaerere.*

1. Quid sit dogma catholicum 191
2. Variae fidei acceptiones non diversificant substantiam fidei . 192
3. Fides per se et per accidens 192
4. Fides divina et fides ecclesiastica 193
5. Obiecta fidei ecclesiasticae: facta dogmatica; propositiones condemnatae 193
6. Fides divina et fides divino-catholica 194
7. Identitas formalis inter fidem divinam et fidem ecclesiasticam 195
8. Quotuplici modo potest veritas aliqua contineri in revelatione 195
9. Conclusio ex una praemissa de fide et altera rationis est virtualiter revelata 196
10. Quaestio. — *Utrum conclusiones ex fidei principiis mediate deductae, sint et ipsae de fide divina?* 197
11. Corollarium. — I. Quomodo conclusiones theologicae possunt fieri obiectum fidei divino-catholicae. — II. Quomodo adhaesio mentis hisce veritatibus possit fieri obiectum meriti. — III. Quomodo cognitio conclusionum theologicarum possit dici mansura in patria. — IV. Quomodo potest quis teneri obligatione credendi conclusiones theologicas. — V. Rationis lumen non est motivum assensus 197
12. Verba S. Thomae 198
13. Quaenam requiruntur ad fidem divino-catholicam . . . 199
14. Obligatio fide divina tenendi ea omnia quae constat Deum revelasse 199
15. Quae ad fidem pertinent secundum se et in ordine ad alia . 200
16. Obiecta fidei ecclesiasticae 201
17. Fide suscipere debemus facta dogmatica et censuras propositionum 201
18. Obiecta fidei ecclesiasticae per se et per accidens . . . 202
19. Magisterium ordinarium Ecclesiae 203
20. Extensio magisterii ecclesiastici 204
21. Scholion I. — Quid tenendum de identitate reali contractus et sacramenti in matrimonio christianorum, et de invaliditate ordinationum anglicanarum 205

PAG.

22. Scholion II. — Tria distinguenda quoad Christi praesentiam in Eucharistia 206
24. Quaestio I. — *Quo pacto dicitur Symbolus Apostolorum constare certo numero articulorum?* 207
25. Quaestio II. — *Utrum articuli fidei convenienter enumerentur?* 208
26. Solvuntur tacitae dubitationes 209
27. Schema exhibens relationem veritatum supernaturalium ad fidem 209
28. Quaestio. — *Utrum eadem fuerit fides in veteri et in novo Testamento?* 211

Art. III. — *Utrum per haeresim detrahat homo assensui fidei.*

1. Ratio articuli 211
2. Quid ad haeresim formaliter pertineat 211
3. Adnotandum 212
4. Propositiones censura dignae 212
5. Quaestio I. — *Utrum ad haeresim pertineat negatio factorum dogmaticorum et censurarum propositionum reprobatarum atque proscriptarum?* 213
6. Quaestio II. — *Utrum peccet quis contra fidem negando aliquam veritatem naturalem?* 213
7. Quaestio III. — *Utrum ius sit Ecclesiae poenas in haereticos decernendi?* 214
8. Quaestio IV. — Quandonam quis censuras in haereticos latas incurrit? 214
9. Anathematis sanctio 215
10. Quaestio V. — *Utrum haeretici formales, sive publici, sive occulti, pertineant ad corpus Ecclesiae?* 217
11. Scholion. — Omnes illi, qui baptismus susceperunt, ad Ecclesiam pertinent sed diversis rationibus 217
12. Solvitur tacita difficultas 218
13. Corollarium. — Quid tenendum sit de quaestione, possitne Summus Pontifex esse haereticus occultus 218
14. Quaestio VI. — *Utrum liceat catholico viro, ad haereticorum scripta, pro rebus fidei penitius cognoscendis, recurrere?* . 219
15. Quaestio VII. — *Utrum haeretici nati poenas in haereticos latas incurrant?* 220
16. Solvuntur tacitae obiectiones 220
17. Scholion. — Ex hoc perperam inferret quis, posse protestantes, in bona fide versantes, lucrari indulgentias, si solum in gratia Dei versentur et opera praescripta perficiant . . 221

PAG.
18. Confirmatur 221
19. Quaestio VIII. — *Utrum Ecclesiae ius insit temporalibus poenis haereticos coercendi?* 222
20. Solvuntur tacitae obiectiones 223
21. Ecclesiae agendi ratio cum iis qui in haeresi nati sunt . . 223
Appendix. — De fide ecclesiastica 225

QUAESTIO QUARTA.

DE IMMUTABILITATE SACRAE DOCTRINAE SEU DOGMATIS CATHOLICI.

PROLOGUS.

1. Ratio quaestionis 227
2. Ordo quaestionis 227

Art. I. — *Utrum admitti possit intrinseca mutatio in dogmate catholico.*

1. Immutabilitas veritatis divinae 228
2. Aeternitas divinae veritatis 229
3. Num possibilis sit mutatio intrinseca, seu evolutio dogmatis catholici 229
4. Refutatur erronea sententia 230
5. Dogmatis evolutio iuxta Loisy 231
6. Conceptus dogmatis catholici iuxta Ad. Harnack . . . 232
7. Quid iuxta modernistas sit revelatio 233
8. Prop. — Nulla intrinseca mutatio seu evolutio dogmatis catholici potest admitti 234
9. Ecclesiae hac super re declarationes 234
10. Ostentitur propositio 235
11. Immutabilitas specierum substantialium 236
12. Immutabilitas progressioni non officit 237
13. Scholion. — Error dicentium debere symbolum haberi tamquam rem viventem 237
14. Quomodo progressus in fidei doctrina sit intelligendus . . 238
15. Corollarium. — Veritates quae, sive a Deo per prophetas, sive ab Ecclesia in suis definitionibus, homini, temporis decursus, ab Ecclesia propositae sunt, habendae sunt tamquam novae statutorum principiorum manifestationes 239

ART. II. — *Utrum ad apostolos pertinuerit munus suscipiendi, recognoscendi atque tradendi revelationis depositum.*

PAG.

1. Quid per revelationis depositum hic intelligatur . . . 240
2. Sententia modernistica 241
3. Distinctio praemittenda circa nomina *apostolus* et *propheta* . 242
4. PROP. — Ad Apostolos, eosque solos, in nova Lege, concreditum est munus authenticam revelationem suscipiendi, recognoscendi atque tradendi 242
5. Exponitur 242
6. Infallibilitatis privilegium S. Petro collatum, relate ad susceptionem et traditionem revelationis propheticae . . 243
7. Communicatio huius privilegii ceteris Apostolis facta . . 244
8. SCHOLION. — Duodecim Apostoli, quomodo praefigurati in veteri Testamento 245
9. Triplex munus apostolis concreditur 245
10. Differentia inter Apostolos et ceteros discipulos, necnon episcopos 246
11. Descensus Spiritus Sancti in Apostolos 247
12. Gratia Spiritus Sancti duodecim Apostolis communicata . . 248
13. Confirmatur 249
14. SCHOLION. — Angeli ab Apostolis edocti non sunt . . . 250
15. Infallibilitas solis Petri successoribus concessa . . . 250
16. Episcopi sunt successores Apostolorum 251
17. Communitas nominis quo olim designabantur episcopi et presbyteri non tollit eorum distinctionem 252
18. Episcopatus est iure divino superior presbyteratu . . . 254
19. S. Hieronymi de episcoporum potestate sententia . . . 254
20. Quid teneri debeat de prophetis in Novo Testamento saepius recensitis 255
21. Quinam fuerint illi prophetae a S. Paolo recensiti? . . 257
22. S. Lucas et S. Marcus Evangelistae 257
23. S. Paulus et S. Barnabas 258
24. Electio Pauli et Barnabae recognosci debuit ab Apostolis . 259
25. Solvuntur tacitae obiectiones 261
26. Conclusio 261
27. SCHOLION. — Falsum est, munus apostolicum aliis, praeter recensitos apostolos, fuisse collatum 262

ART. III. — *Utrum per mortem Apostolorum, prophetia, quae ad revelationem divinam pertinet, fuerit clausa.*

PAG.
1. Ioachimitarum haeresis 263
2. Renovatio huius erroris 263
3. Ioachimitarum placita 264
4. Modernistarum conatus ad nova doctrinarum supernaturalium placita aetate nostra adinvenienda 265
5. PROP. I. — Revelatio ita Apostolorum morte est sancita, ut novae manifestationes eidem contradicentes neque postea in Ecclesiae factae fuerint, neque sint in posterum exspectandae 266
6. Probatur 266
7. Doctrina S. Pauli 267
8. Novi dicendi modi innocui non sunt 268
9. Modus quo in Sacra Scriptura sermo est de oeconomia christianae revelationis 268
10. Confirmatur 269
11. Apostoli plenitudinem revelationis opera Spiritus Sancti acceperunt 269
12. PROP. II. — Ecclesiae definitiones revelationis deposito minime contrariae sunt 270
13. Exponitur 270
14. Advertenda circa hunc canonem 270
15. COROLLARIUM. — Si quid unquam fide divina et catholica credendum ab Ecclesia fuerit propositum, id omne dicendum est in revelationis deposito, fuisse contentum saltem implicite 271
16. SCHOLION. — Cum hoc stat, posse ab Ecclesia aliquid nobis proponi de novo credendum, non quidem supra, aut contra, sed praeter contenta in Scriptura aut traditione . . . 272
17. Ecclesia nihil unquam ignoravit eorum quae ad sui constitutionem pertinet 272
17. Nihil de revelatione deperditum est 273
18. Quinam libri sunt deperditi 273
19. Nihil accrescit revelationis deposito ex spiritisticis manifestationibus 274
20. Sanctorum canonizationes 274
21. Praeoccupatur obiectio 275
22. Solutio 276
23. COROLLARIUM. — Vana spe illi decipiuntur, qui confidunt tem-

PAG.

pus adventurum esse, cum de pluribus, quae nunc omnino ignota manent, certam simus notitiam adepturi . . . 278
24. Falsa sententia circa diem iudicii 278

ART. IV. — *Utrum expectare liceat, sive ex scientiis naturalibus, sive ex elaboratione conscientiae christianae, nova quamdam interpretationem traditae revelationis.*

1. Modernistarum figmenta 279
2. Systema dicentium notitiam fidei scientiis naturalibus proportionaliter augeri debere 279
3. Refutatur huiusmodi systema 281
4. Solvitur tacita obiectio 281
5. Modernistarum error de evolutione dogmatis in conscientia christiana elaborati 281
6. Fundamentum huius erroris 281
7. Consectaria ex praeiactis placitis 283
8. PROP. — Reiiciendum est systema elaborationis conscientiae 284
9. Auctoritas 284
10. Ratio theologica 284
11. Rectus conscientiae conceptus 285
12. Fundamentum systematis elaborationis conscientiae christianae 286
13. Modernistarum figmenta 287
14. Quo pacto modernistae concilient elaborationem conscientiae cum exercitio auctoritatis 288
15. SCHOLIA. — I. Quam abusive auctoritatis ecclesiasticae munus modernistae traducant. — II. Pruritus de Ecclesiae praelatis detrahendi 289
16. Quantum distet praefatum systema elaborationis conscientiae christianae a doctrina S. Augustini de rationibus seminalibus 290
17. Authenticae hac de re declarationes 291
18. Error dicentium, ideo quasdam propositiones condemnari, quia tempus nondum advenerit easdem proclamandi . . 292

QUAESTIO QUINTA.

DE AUGMENTO SEU PROGRESSU SACRAE DOCTRINAE SEU DOGMATIS CATHOLICI.

PROLOGUS.

PAG.
1. Ratio quaestionis 294
2. Quotuplex augmentum in scientia admitti potest . . . 294
3. Advertendum 295
4. Ordo quaestionis 295

ART. I. — *Utrum dari possit in Ecclesia augmentum in manifestatione sacrae Doctrinae seu Dogmatis catholici.*

1. Ratio articuli 297
2. Explicita et implicita cognitio 297
3. PROP. I. — Augmentum aliquod admitti debet in manifestatione dogmatis catholici 298
4. Exponitur 298
5. Comparatio inter ordinem naturalem et supernaturalem . . 299
6. Quomodo fiat augmentum in cognitione revelationis . . 300
7. Quo pacto cognitio dogmatis catholici incrementa susceperit . 300
8. Utrum Dogma catholicum possit votari semen 301
9. Evolutio Dogmatis catholici, iuxta Card. Newman . . . 301
10. Animadversio 302
11. Rite comparari potest dogma catholicum cum fermento . . 302
12. Dogmatis evolutio explicata per comparationem parvuli ad virum perfectum aut arbusculae ad arborem . . . 303
13. Exponitur praecedens doctrina 304
14. Nihil extraneum addi potest deposito revelationis . . . 305
15. Evolutio dogmatis catholici iuxta modernistas . . . 305
16. Comparatio dogmatis ad semen 306
17. S. Hieronymus circa evolutionem christianae praedicationis . 306
18. Symbolus fidei 307
19. Ecclesia catholica non est progressui impervia . . . 308
20. Solvitur difficultas 309
21. PROP. II. — Praedictum augmentum attenditur formaliter in Ecclesia addiscente 310
22. Exponitur 310
23. Diversitas progressus in fidei doctrina tradenda relate ad Ecclesiam docentem 311

PAG.

24. Attenta scientia acquisita, cognitio rerum fidei crescit secundum successionem temporum 313
25. Quaestio I. — *Qualis profectus in revelationis traditione, temporum decursu, habitus est usque ad Apostolos?* . . . 313
26. Quaestio II. — *Quali norma seu lege peracta est haec evolutio seu progressus manifestationis revelationis?* . . . 315
27. Scholion. — Manifestatio divinae veritatis, quatenus per ipsam in nostris operibus gubernamur, diversificata est secundum conditionem negotiorum 316
28. S. Thomae doctrina de progressu in rebus fidei . . . 316

Art. II. — *Utrum fideles, sub instinctu Spiritus Sancti, explicitius postea crediderint et retinuerint ea quae implicite tantum in Ecclesia antea tenebantur.*

1. Ratio articuli 317
2. Duplex modus quo Spiritus Sanctus scientiam in anima influit 318
3. Donum intellectus 318
4. Comparatio inter ordinem naturalem et supernaturalem . 319
5. Solvitur tacita difficultas 319
6. Per donum intellectus Spiritus Sanctus fideles illuminat ad intelligendas res fidei 320
7. Donum scientiae et donum sapientiae 321
8. Prop. I. — Fideles, sub instinctu Spiritus Sancti, ducuntur ad explicitius tenendum quod antea implicite tantum crederant 322
9. Exponitur 322
10. Scholion. — Qualem profectum in fide facere debet, cui tria haec pretiosa dona insunt 323
11. Illustratur praecedens doctrina 323
12. Verba P. Marín-Sola 325
13. Ex carentia donorum intellectus, scientiae et sapientiae, oriuntur in animas hebetudo sensus, caecitas mentis, ignorantia et stultitia 326
14. Effectus carentiae doni intellectus 326
15. Quid sit habeduto sensus spiritualis 327
16. Quid sit spiritualis caecitas mentis 328
17. Ignorantia et stultitia, effectus carentiae donorum scientiae et sapientiae in mundo 329
18. Tristes effectus carentiae donorum intellectus, scientiae et sapientiae 329
19. Quam late pateat carentia praedictorum donorum . . . 330

PAG.

20. Scholion. — Error dicentium moralia tantum argumenta populo fideli esse tradenda 330
21. Donum prophetiae 332
22. Prop. II. — Revelationes privatis hominibus a Spiritu Sancto concessae non pertinent ad fidem explicitam totius Ecclesiae 332
23. Exponitur 333
24. Scholion. — Libri caute legendi 333
25. Dionysii Cartusiani in studium sacrae Scripturae paraenesis . 334
26. Quaestio I. — *Quo pacto propheta ea tenere debeat, quae sibi a Deo prophetice revelata sunt?* 334
27. Quaestio II. — *Quanam fide debeat propheta tenere quae sibi revelata sunt?* 335
28. Solvitur tacita obiectio 336
29. Advertendum 336
30. Quaestio III. — *Quanam ratione suscipere debemus revelationes prophetarum?* 337
31. Scholion. — Id quod refert S. Petrus (1 Ep., III, 19, 20), homines ad Noe praedicationem incredulos permansisse, praetereaque in carcere detrusos fuisse, referri potest ad tacitam illius patriarchae praedicationem 338
32. Revelationes factae sanctis 338
33. Dolosae artes quorumdam recentiorum pseudo-prophetarum . 340
34. Permanentia spiritus prophetiae in Ecclesia 341
35. Conclusio 342

Art. III. — *Utrum per sacrae Doctrinae scholasticae evolutionem factus fuerit progressus in cognitione dogmatum fidei.*

1. Ratio articuli 343
2. Sacrae Doctrinae exordia 343
3. Sacrae Doctrinae amplior evolutio 344
4. Sacrae Doctrinae aurea aetas 345
5. S. Thomas Aquinas, Theologorum princeps 345
6. Methodus qua utitur S. Thomas 346
7. Decidua sacrae Doctrinae sors 347
8. Instauratio 348
9. Leo XIII circa sacram Doctrinam scholasticam . . . 349
10. Prop. — *a*) Per sacram Doctrinam scholasticam progressus factus est in cognitione dogmatum fidei, *b*) necnon in morum bonitate 349
11. Exponitur 1ª Pars 349
12. Exponitur 2ª Pars 350
13. Confirmatur utraque pars 351

ART. IV. — *Utrum propria exercitatione et industria, singuli fideles proficere possint in acceptorum dogmatum cognitione.*

PAG.
1. Ratio articuli 352
2. PROP. — Possunt singuli fidelees, adhibito diligenti studio, in cognitione dogmatum fidei proficere 352
3. Exponitur 352
4. Confirmatur 353
5. Studium sacrae Doctrinae in sacerdotibus 353
6. Curiositatis vitium 354
7. Vitium curiositatis circa intellectivam cognitionem . . . 354
8. Vitium curiositatis circa cognitionem sensitivam . . . 357
9. Ex nullo studio derivari potest progressus in fidei doctrina, ex parte obiecti seu Dogmatis revelati 360
10. Aliqua sententia probabilis non est, hoc solum quod ab aliquibus auctoribus, etsi fors magni hominis, fuerit prolata . 361
11. S. Augustini hac de re sententia 361
12. Securitas doctrinae omnino quaeritanda 362
13. Qua ratione sint studia positiva theologica ineunda . . . 363
14. Quanti faciat Ecclesia studium sacrae Doctrinae . . . 364
15. Refelluntur obiectiones 364
16. Quadruplex sacerdotis munus 365
17. Quomodo per studium sacrae Doctrinae fidei aedificationi provideatur 366
18. Studium sacrae Doctrinae, medium crescendi in amore Domini nostri Iesu Christi 366
19. Utilitas studii sacrae Doctrinae pro confovenda vitae sanctitate 368
20. Quas animo consolationes adferat studium Sacrae Doctrinae . 369
21. SCHOLION. — Studium sacrae Doctrinae plurimorum bonorum parens 370

ART. V. — *Utrum per succrescentes haereses dogma catholicum melius dilucidatum fuerit.*

1. Haereseon natura 370
2. Quam late serpant haereses 372
3. Relatio haereseos ad infidelitatem 372
4. SCHOLION. — Si infidelitas comparetur odio Dei, levior invenietur 373
5. Species infidelitatis 373

PAG.

6. Haeresis, gravius peccatum quam infidelitas paganorum et Iudaeorum 374
7. Utilitas haereseon pro dogmatis manifestatione . . . 374
8. Prop. I. — Ex divina providentia habetur quod per haereses dogma catholicum plenius manifestatum fuerit . . . 375
9. Exponitur 375
10. Scholion. — Error est dicentium, haereticos foveri debere . 376
11. Quomodo ex impugnationibus haereticorum dogma catholicum, temporis decursu, clarificatum fuerit 376
12. Quomodo haeresibus convellendis divinitus fuerit provisum . 378
13. Modus quo magister discipulum instruit 379
14. Tres celeberrimi fidei vindices in primitiva Ecclesiae divinitus suscitati 380
15. Quam perniciosi ii sint, qui semel fidem egregie tuiti, postea ab ea deficiunt 383
16. Origenes et Tertullianus 384
17. S. Vincentius Lirinensis 385
18. Quanti sit Commonitorium faciendum 386
19. Quaestio. — *Utrum possit ille, qui vel unum articulum fidei discredit, habere fidem informem de aliis articulis?* . . 387
20. Prop. II. — Haereticus homo alio criterio, quam criterio fidei, tenet articulos quos admittit 387
21. Exponitur 388
22. Confirmatur 388
23. Fides implicita et fides explicita 389
24. Scholion. — Alia est ratio fidei, alia ratio alicuius naturalis scientiae 389
25. Modernisticus error dicentium omnes religiones aliquando in unam convenire debere 390
26. Corollarium. — Rite reprobantur conventus illi in quibus, viris ex variis religionibus in unum convenientibus, media veluti via quaeritur ad omnes religiosas differentiae componendas 391
27. Qualiter catholici cum protestantibus convenire possint ad veritatis iustitiaeque iura defendenda 391
28. Scholae neutrales 392
29. Quo pacto sit cum haereticis aut infidelibus publice disputandum 393
30. Scholion. — Quod de orali disputatione dicimus, de scriptis etiam dici debet 395
31. Cautela in libris legendis observanda 396

PAG.
32. Cautela in communicando cum haereticis 397
33. Quomodo dogma catholicum per haereses est clarificatum . 398
34. Ecclesia doctrinam suam aut liturgiam ab haereticis non est mutuata 399

ART. VI. — *Utrum per Sanctorum vitam et martyrum testimonia dogma catholicum clarificatum fuerit.*

1. Ratio articuli 399
2. PROP. I. — Per Sanctorum vitam dogma catholicum clarificatum est 400
3. Exponitur 400
4. SCHOLION. — Comparatio inter id quod Sancti ad Ecclesiam pertinentes, et id quod insigniores viri in falsis religionibus praestitere 400
5. PROP. II. — Martyrum invicta constantia in fidei confessione causa fuit cur fideles in sacra Doctrina progressum ediderint 401
6. Exponitur 401
7. Dubium. — Quid de martyribus aliarum religionum . . 401
8. Triplex martyrum categoria 402
9. Martyr esse nequit qui impugnat catholicam religionem aut qui pro motivo formaiter temporali vitam fundit . . . 402
10. Martyr proprie est qui pro doctrina, quae secundum pietatem est, id est, pro doctrina fidei, vitam profundit . . . 404
11. Advertendum 405
12. Falsae religiones veros martyres non habent 405
13. Comparatio inter sic dictos martyres protestanticos et martyres catholicos 405
14. Martyrium, argumentum veritatis Ecclesiae catholicae . . 407
15. QUAESTIO. — *Utrum martyrium ordinetur ad testificandum sotummodo factum aliquod, an etiam ideam?* 407
16. Conclusio 408

ART. VII. — *Utrum cognitio dogmatum fidei catholicae possit esse maior in uno homine, quam in alio.*

1. Ratio articuli 409
2. PROP. — Inspecto obiecto formali, fides non diversificatur in credentibus, sed est una specie in omnibus: diversificatur autem, attento obiecto materiali 409
3. Probatur 409

PAG.

4. Eadem fuit fides Patrum Veteris Testamenti, quae est filiorum Ecclesiae catholicae 410
5. Synagoga ab Ecclesia Christi specifice distincta non fuit . 411
6. Quotuplici modo possit fides esse maior in uno quam in altero 412
7. Conditiones requisitae ut quis veros progressus facere possit in cognitione dogmatum fidei nostrae 413
8. Recta intentio, fundamentalis conditio ut quis ad rectam de dogmatibus cognitionem pervenire possit 414
9. Sentire cum Ecclesia, secunda conditio ad progressum faciendum in dogmatis cognitione 416
10. Firma adhaesio textui litterali Sacrae Scripturae, tertia conditio progressus in cognitione revelationis 417
11. Progressus S. Thomae in cognitione doctrinae sacrae . . 417
12. Exitiales effectus neglectus S. Scripturae 418
13. Magna existimatio erga Sanctissimam Humanitatem Domini Nostri Iesu Christi, quarta conditio requisita in eo qui progressum in fidei doctrina facere cupiat 419
14. Quanta existimatione S. Thomas sit humanitatem Christi prosecutus 420
15. Quam in incerto fluctuent quibus alta desit de Christi Domini humanitate existimatio 421
16. Scholion. — Quae de existimatione erga humanitatem Domini nostri dicunaur, dici debent de Deo eiusque attributis . . 422
17. Diligens observatio traditionis Ecclesiae, quinta conditio ut quis profectum faciat in doctrina fidei 423
18. Quam periculosum sit discedere a sententia sacrorum Doctorum 423
19. Egregia verba Leonis XIII 425
20. Excellentia exercitationis animi ad uberiorem de fidei veritatibus cognitionem comparandam 425
21. A falsa philosophia sedulo cavendum 426
22. Quomodo studio S. Thomae sit insistendum 428
23. Bonorum librorum lectioni sedulo insistendum . . . 429
24. A consortio virorum dubiae fidei abstinendum . . . 430

Epilogus 431

PROOEMIUM

IN

UNIVERSAM THEOLOGIAM

I. — **Sacrae Theologiae dignitas.** — Inter omnes disciplinas quibus mens hominis exornatur, dignitate et excellentia ea supereminet scientia quae, a sancto Thoma *sacrae Doctrinae* nomine donata, *Theologia* solet appellari. Illa siquidem non modo de altissimo et sublimissimo obiecto, nempe Deo eiusque attributis, eisque rebus quae ad Deum referuntur pertractat, sed, quod potissimum est, de eis agit sub lumine divinae revelationis, quod lumen aliud non est, nisi ipsum Dei loquentis lumen, quatenus homini, licet caligine obductum, participata ratione communicatur. Quapropter haec disciplina, quam esse veri nominis scientiam, statim ab exordio huius theologici tractatus, duce sancto Thoma, probabimus, ceteris scientiis sua sublimitate eminet, sicut fulgidissimus solis splendor quamcumque fumidae tremulaeque facis lucem supergreditur. Quinimmo, cum altius perduci haud valeant rationes, ad quas ista scientia suas rimatur conclusiones, sapientiae nomine et dignitate iure meritoque insignitur, cuius singularis laus sequentibus Ecclesiastici verbis celebratur [1]: *Omnis sapientia a Domino Deo est et cum illo fuit semper et est ante aevum... Fons sapientiae verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata aeterna... Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et praebuit illam diligentibus se.*

Quibus verbis sacrae Doctrinae origo praeclare demonstratur, simulque illius in mundum mirabilis effusio, secundum

[1] I, 1-10.

modum mensuramque a Deo praefixam; demum, quaenam sit illius adipiscendae conditio indicatur, nempe Dei fervida dilectio, quam morum integritas tueatur.

2. — **Necessitas huius studii pro sacrorum ministris.** — Porro, cum tanta sit sacrae Doctrinae dignitas, cumque eam multiplex pro omnibus hominibus utilitas commendet, accedit pro iis qui, divina praeeunte vocatione, ad officium sacerdotale assumuntur, specialis quaedam *necessitatis* ratio, ut huius sacrae scientiae studio operam indefessam navare contendant.

Imprimis, tale est sacerdotis officium, ut fidei depositum ab adversariorum impugnationibus integrum custodire, illudque inter homines diffundere debeat.

Hoc quidem officium Deus iam in Antiqua Lege recensuerat, verbis prophetae Malachiae [1]: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* In Novo quoque Foedere, per os Pauli ad Timotheum scribentis, idipsum inculcavit [2]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.* Hic autem ad eumdem antea scripserat [3]: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinae... Haec meditare, in his isto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Unde et Deus protestatur illos sibi sacerdotes haud placere, qui istiusmodi salubre studium negligenter relinquunt [4]: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Praeterea sacerdotis, quasi *sacra dantis*, officium est populo christiano documenta praebere veritatis catholicae, illumque in iis quae ad religionis revelatae mysteria spectant edocere [5]. Ita enim a sacrorum ministrorum ore fidelium instructio pendet, ut illis aut deficientibus, aut minori sedulitate officium suum exequentibus, fidem paulatim labi, unaque mores cito corrumpi oporteat, et ita salutem populi, quae suprema lex dici solet, frustrari. Quod idem S. Paulus ita egregie commentabatur [6]: *Omnis quicumque invocaverit*

[1] II, 7. — [2] 1 Ep., VI, 20. — [3] Ibid., IV, 13, seq. — [4] Os., IV, 6. — [5] Cf. 3, Quaest. XXIV, art. 1. — [6] Rom., X, 13, seq.

nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Fidem vero verbis efficaciter praedicare haudquaquam valet, nisi ille quem non levis, aut superficialis, sed seria et bene digesta divinorum cognitio exornet. Quod quidem studium, si sacrorum ministros occupaverit, haud dubium quin in populo Dei fidei lucerna fulgidior emicet: experientia enim teste compertum est, eo vivacius eluxisse, labentibus saeculis, religionis facem, quo maius sacrae huius doctrinae adipiscendae studium animos et antistitum et ministrorum Ecclesiae tenuerit. Nam, tantum abest hanc doctrinam vanam esse et inutilem, ut potius cultores suos in omnibus pietatis, iustitiae, sanctimoniae et veritatis operibus apud Deum sedulius occupatos teneat.

3. — Quanti, praesenti tempore, faciendum sit hoc studium. — At vero, si unquam necessaria fuit sacrorum ministris ista diligenter acquisita sacrae Doctrinae cognitio, hoc maxime est praesenti. omnium singularissimo, tempore retinendum. In eo enim res devenerunt, ut hinc quidem gentes iam longo saeculorum decursu a fide, quam ab avis receperunt, promissorum immemores, decidant; illinc vero populi a communione Ecclesiae Romanae seiuncti, sive in orientalibus, sive maxime in occidentalibus plagis, ad Matris gremium iamdudum redire incipiant. Et illis quidem, ut in fide recepta contineantur, his vero ut catholicae fidei cordis aures libentius aperiant, necesse est ut indefessa cura sacrae Doctrinae documenta tradantur. Haec enim natura sua hoc sibi vindicat, ut fidei sive acquirendae, sive conservandae multiplici ratione consulat, illam quoque quasi pinguiori pabulo nutriat, ab impugnationibus adversariorum defendat, et illustrando adiuvet, foveatque.

Quocirca eos qui, in reducendo hominem ad Deum, ipsius Dei cooperatores existunt, quam maxime oportet totis viribus supereminentem hanc scientiam ut adipiscantur eniti: cum enim *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* [1], nonnisi proposita diligenter fidei veritate fiet ut tum qui in

[1] Rom., X, 17.

Ecclesia continentur, tum qui ad illam divina gratia accessuri sunt, possint *comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleantur in omnem plenitudinem Dei* [1].

4. — **Pericula ex naturalismo et positivismo societati obvenientia.** — Accedit huic proposito quod cum, faventibus recenter inventis, naturalium disciplinarum studii fervor, posthabita rerum divinarum cognitione, plus aequo excreverit, societas in *naturalismum* et *positivismum* paulatim ruere visa est, cuius conatus in id vertuntur, ut absque Deo eiusque cognitione, finem suum suamque beatitatem homo conetur assequi. Huic igitur fidei defectui et, ut ita loquar, nationum apostasiae, nullum efficacius remedium opponetur, quam ut illi quibus fidei servandae, dilatandaeque cura committitur, postquam in hoc studium sedulius incubuerint, dogmata religionis christianae, omni qua fieri potest cura et diligentia, exponant, illustrent, tueantur.

Quod etiam satis aperte declaravit non ita pridem Leo XIII, dum, iteratis ad christifideles epistolis, Rosarii recitationem tantopere commendavit, non solum ut opem praesidiumque divinitus acciperent, verum quammaxime ut mysteriorum ibi contentorum memoria in eorum animis perduraret et devotio. Sane nil societatis christianae profectui deterius concipi potest, quam quod sacrorum ministri fidei catholicae dogmata aut ignorent, aut, quod peius est, ludibrio habeant. Enimvero, erroris amor et mendacii seductio a S. Paulo recensentur tanquam signa, quibus homo peccati eiusque sequaces in ultimis temporibus erunt dignoscendi. Illius enim adventus, ait ille [2], *est secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

5. — **Doctrina S. Thomae Aquinatis.** — Porro, inter

[1] Eph., III, 18, 19. — [2] 2 Thessal., II, 9-11.

omnes qui de Deo rebusque divinis libros conscripsere, unum eminere S. Thomam Aquinatem, et doctiorum in sacra Theologia virorum consensione unanimi, et Summorum Pontificum solemnibus oraculis ita comprobatur, ut theologi nomine haud mereatur insigniri, quem sacra illius Principis doctrina non exornet. Ex quo consecutum est ut plurimos ille, imo paene infinitos, nactus sit commentatores, quorum opera, saluberrima tanti magistri doctrina nedum fuit illustrata et vindicata, verum etiam longe lateque propagata.

Enimvero, ceteros Doctores scholasticos S. Thomas Aquinas non solum altitudine sua transcendit, verum etiam, apis instar argumentosae, dulcissimum ex variis hortorum nemorumque, floribus mel exprimentis, quidquid boni in aliis auctoribus reperitur, in sua percelebri et aevum duratura Summa Theologica miro ordine concinnatum adunat. Quo quidem factum est, ut ille unus solis instar in Ecclesiae docentis firmamento emicet, quem proinde Summi Pontifices, inde a Ioanne XXII qui illum canonizavit, usque ad regnantem Pium XI, serie pene non interrupta, laudibus extollere et Sacrae Doctrinae studiosis proponere non destiterunt. Quo loco iuvat laudem illam insignem recitare, quam, ex Caietano, ei tribuit Leo XIII [1]: *Inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, qui, uti Caietanus animadvertit* [2], *veteres Doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est.*

Quocirca, ad huius excellentissimi Doctoris, quem tamquam theologorum principem Ecclesia colendum proponit, limpidam et indeficientem venam recurrere debent, quotquot cognoscendi fidei nostrae dogmata amor occupatos teneat.

6. — Intentio praesentis operis. — Porro, cum a S. M. Leone XIII nobis demandata fuisset, A. D. 1892, provincia sacram hanc doctrinam thomisticam, in scholis Pontificii Urbani de Urbe, publice docendi, cumque munus illud iam per plures annos pro viribus executi fuissemus, audax con-

[1] Encycl. *Aeterni Patris*, 4 aug., 1879. — [2] In 2 2$^{\text{ae}}$, Quaest. CXLVIII, art. 4.

cepimus propositum cunctam illam theologicam disciplinam, tum speculativam, tum sacramentariam, quam docendo tradideramus, evulgandi, spe erecti fore ut plures in tam salubris doctrinae amorem ac studium abriperentur, atque hisce nostris qualibuscumque elucubrationibus, pluribus ad tam excellens pabulum aditus pateret. Enimvero, uti monet S. Augustinus [1], *utile est plures a pluribus fieri libros, diverso stylo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Spem hanc autem alebant fovebantque multorum discipulorum testificationes, quibus significabant se huius rei nobis debitores existere, quod sacrae doctrinae thomisticae amorem methodus a nobis retenta eis conciliasset. Haud diffitebamur idem et novos discipulos consecuturos fore, hac praesertim tempestate, cum, grassantibus undique contra fidem erroribus, necessitas penitioris theologicae institutionis vehementius persentiatur.

7. — Quamnam methodum secuti sumus. — In quo quidem, cum diuturna experientia apprehendissemus plurimos ab hac doctrina capessenda, ipsa, qua S. Thomas in quaestionibus evolvendis utitur, zetetica methodo, praepediri, hinc facilitati studii, simulque incipientium profectui consulere cupientibus ita nobis procedendum esse visum est, ut, proposita, in cuiusque articuli titulo, rei, de qua quaeritur, investigatione, prius ea, exordii gratia, praeiaciantur, ex quorum cognitione facilius possit ad quaestionis intelligentiam sterni via; tum, conceptis verbis thesis statuatur una vel multiplex, S. Scripturae, Conciliorum Patrumque auctoritatibus, quae omnia plerumque in textu S. Thomae desiderantur, firmanda, atque argumentis, sive ex ipsa Summa theologica, sive etiam ex aliis Angelici Doctoris operibus decerptis, comprobanda, adiectis quoque opportunis declarationibus et illustrationibus, sive ex ipso Magistri fonte, sive etiam ex probatiorum illius commentatorum penu depromptis, resolutis demum ex praeiactis principiis, quas sive antiqua, sive recentior protulerit aetas, difficultatibus: ut

[1] L. I de Trin., c. III, n. 5, t. VIII, col. 752.

ita, quoad fieri possit, nihil eorum desideretur, quae uniuscuiusque articuli doctrinae exponendae utcumque inserviat.

In hoc autem explendo munere id nobis sanctum solemneque fuit illud praestare, quod Leo XIII E.mo Card. Francisco Satolli, quem dilectum magistrum habuisse nobis ipsi laudi vertimus, et quem in cathedra doctrinali excepimus, datis litteris significavit [1], nempe ut Doctoris Angelici textum e manibus auditorum excidere numquam pateremur, sed illum pedetentim prosequentes, quo meliori possemus modo, explicaremus, illustraremus, defenderemus, ac ne particulam quidem eorum quae in singulorum articulorum textu iacent, praetermitteremus. Unum quoque diligenter observavimus, nimirum, ut pro cuiusque commoditate, ad calcem paginae, locos, unde id quod traditur deprompsimus, accurate indicaremus. Quis enim in hoc opere versando parumper assuetus ignoret, etiam in responsionibus ad obiectiones, luculentissima contineri veritatis documenta, quibus ipsamet articuli doctrina aut explicari valeat aut probari?

8. — Ab ordine quaestionum et articulorum necnon a dicendi modo S. Thomae minime recedendum. — At vero idquoque nobis sancte observandum diximus, scilicet, a quaestionum et articulorum ordine quem tenet S. Thomas, insigniores eius commentatores secutis haudquaquam nobis esse discedendum, quatenus ipsismet S. Thomae ordine et methodo, quibus clarius quid, fatentibus huius scientiae provectioribus, inveniri nequit, discipuli plenius imbuantur.

Re quidem vera, subsequentes quaestiones vel articuli, praecedentes tam logico ordine suscipiunt, ut illo praetermisso, S. Thomae mentem quis non valeat assequi: unde qui, citra hunc ordinem, sententias hinc indeque ex Summa theologica, excerptas, ut multorum mos est, ad quaestiones dirimendas, coagmentaverit, saepe in errorem labetur, cum S. Thomas, ordinis methodi scrupulosus observator, non omnia ad rem aliquam pertinentia ubique tradat, sed saepe id tantum quod illius loci est ponat, utique complendum, sive ex iam dictis sive ex adhuc dicendis, ut videre est signanter in quaestione de natura et supposito, quae in tractatu de Deo

[1] Ep. *Qui te*, 19 Iun., 1886.

uno inchoata, non completur nisi expensis tractatibus de Trinitate, de Angelis et de Incarnatione.

Quanti sit haec methodus, quam secuti sumus, facienda, ipse notavit Summus Pontifex Benedictus XV, cum ad nos scribere dignatus sit [1]: *Nihil ea qua hic, sicut in ceteris de theologia libris, uteris ratione ac via, probabilius. Auctorem enim religiosissime sequeris Aquinatem, qui cum in quovis argumento tractando praeclarus exstitit, tum in hoc plane mirabilis: atque eum ita sequeris interpretando praesertim in Summa Theologica, ut ipsius doctrinam eodem rerum ordine explices. Quo autem tractatio plenior sit atque uberior, ad Summam illustrandam ex aliis eius operibus itemque ex Sanctis Patribus optimisque recentioris etiam memoriae scriptoribus quaesitos locos adhibes. Accedit quod dulcedine quadam pietatis totum opus perfunditur, quo fit ut dum illuminatur mens, animus moveatur. - Vehementer igitur tibi gratulamur, quod Nostris et decessorum Nostrorum praescriptionibus de studiis clericorum tam bene es tamque utiliter obsecutus: non semel enim in sacra theologia tradenda ipsos adiri Thomae fontes Nos quoque ediximus oportere.*

Pariter, hanc quoque nobis ipsi legem praefiximus, ipsi dicendi rationi, qua utitur S. Thomas, pressius esse insistendum, quippe quae longo iam saeculorum usu approbata et ab Ecclesia sancita, aptissime inservit conceptibus theologicis exprimendis. Quapropter, si quis eo nos reprehensione dignos existimet, quod ipsismet interdum S. Thomae verbis usi fuerimus, id potius nobis laudi vertendum esse ipsi ducimus: sicut enim cuiuscumque privati theologi sententiae longe antecellit ipsamet Angelici doctrina; ita etiam dicendi modum, pro iis quae traduntur explicandis aptiorem, reperire quis frustra conabitur: quo dicendi modo lectorem frustrasse nobis piaculum fuisset, maxime cum saepe experti simus, a derelicta thomistica phraseologia originem duxisse laxam illam ac non bene definitam de rebus philosophicis et theologicis doctrinam, quae parens est errorum fecundissima.

9. — Utilitas longioris theologicae tractationis. — Sed et hoc adiecisse non pigebit, nobis intime persuasum ma-

[1] Ep. *Probe Nos*, 10 Ian., 1917. Acta Ap. Sedis, Vol. IX, p. 101.

nere, breviori doctrinae theologicae tractatione non satis alumnorum mentes instrui, imo saepe huius rei fastidium in eis ingenerari: ampliori vero de singulis explicatione faciliorem atque iucundiorem dogmatis catholici intelligentiam reddi. Enimvero, quam saepe nobis occurrerunt discipuli qui ariditate breviorum tractationum ab hac doctrina antea repulsi, pleniorem postmodum et enucleatiorem huius rei explicationem avidissimi gustaverint!

Ceterum cui, ob temporis angustiam, haud vacet omnes, sive quaestiones, sive articulos huius commentarii Summae theologicae, singillatim explorare, optio utique dabitur, eas tantum quaestiones, eosve articulos, ceteris relictis, expendendi, qui gravioris sunt momenti, scituque magis necessarii; quod quidem decernere, pro temporum personarumve circumstantiis, ad singulos huius scientiae magistros pertinebit, utpote qui longiori experientia edocti, quid discipulis magis expediat cognoscere debent. Iste quippe delectus nullo negotio in longiori tractatione, qualis est praesens commentatio, perfici poterit, in qua singulae quaestiones, singulique articuli ordinatim explicantur.

10. — **Monita.** — Porro, studiosum sacrae Doctrinae discipulum imprimis decet animum a passionibus liberum possidere, quae magno sunt impedimento quominus divinae veritatis contemplationi vacare possit. Quemadmodum enim istud studium hoc quoque in homine parit, ut passionum motus cohibeat, dum illum docet prudenter dubitare et veritatem patienter quaerere, ita etiam huius studii acquisitioni praesupponi debet quies a tumultuosis animi passionibus, et firma voluntas ea omnia resecandi, quae levis et curiosa mens requirere solet, quibus vero ratio a serena veritatis contemplatione plurimum praepeditur.

Praeterea, ad huius sacrae Doctrinae studium accedentem credere prius oportet et firma fide profiteri ea quae Ecclesiae magisterio homini tenenda proponuntur. Ea enim est huius disciplinae natura et conditio, ut ab altiori scientia, Dei videlicet et Beatorum, quae tamen nos in hac vita latet, sua principia mutuetur; unde quantacumque evidentia rationes deducantur, tamen cum principia, unde conclusiones

moventur, in fide radicentur atque firmentur, patet illum huius doctrinae documentis carere oportere, qui fidei valedixerit. Quod celebri illo aphorismo exprimitur: *Nisi credideritis, non intelligetis* [1], et: *Credo ut intelligam* [2]; quod sibi vult primam conditionem ad intelligentiam mysteriorum fidei nostrae comparandam, esse ipsam fidem, qua habita, iam pia mens multiplici studio ex fidei analogia et ex rebus quas natura duce perceperit, potest in intimiorem mysteriorum cognitionem perduci. *Nil malumus scire*, ait S. Bernardus [3], *quam quae fide iam credimus.*

Sed et qui in hoc studio verum iugemque profectum facere cupit, debet totis quoque viribus hoc unum curare, ut divinae gratiae charisma possideat. Per gratiam enim anima Deo similis efficitur eiusque amica; aliunde, cum cognitio contingat secundum quod cognitum est in cognoscente, cognitum vero eo perfectiori modo sit in cognoscente, quo maior inter eos adsit similitudo, patet illum in sacrae Doctrinae cognitione veros progressus edere, qui divinae gratiae habendae sollicitior extiterit. Quocirca, in libro Sapientiae legitur [4]: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Revera, ut pulcre exponit S. Athanasius [5], sicut qui lucem solis intueri cupit, oculum prius purgat, seipsumque clariorem reddit, mundans ferme ad similitudinem eius quem cernere cupit, ut ita lux effectus oculus, solis lucem valeat intueri; aut sicut qui civitatem intueri desiderat, ad locum ex quo prospicere valeat, pergit; ita qui theologicarum intelligentiam rerum assequi cupit, animum prius abluere et detergere debet, et per vitae morumque similitudinem, ipsos adire sanctos, ut voto atque instituto illis coniunctus, ea quoque quae illis Deus revelavit, intelligat; non enim pos-

[1] Is., VII, 9, secundum LXX. — [2] Debetur aphorismus iste S. Anselmo, qui in *Proslogio* scribit: *Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.* — [3] L. V, DE CONSID., c. I. Venet., 1668, vol. II, p. 142, V°. — [4] I, 4, — [5] P. II, DE VERBO INCARN.

sibile est sanctorum dicta sapere absque animi munditia et vita sanctitatis aemula.

Quibus omnibus si accesserit sacrae Doctrinae studium diligens, adhibitis rationum seria meditatione, frequenti quoque de traditis disciplinis scriptione, et plurium discipulorum inter se aut collatione aut disputatione, nec animus difficultatibus frangatur, sed contra sequatur poetae consilium:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito [1],

spes haud dubia aderit, iuvenem, temporis decursu, in hac saluberrima disciplina continuos progressus editurum esse, huiusque ope Christi bonum militem tempore suo evasurum, qui cum huiusmodi sancto gladio, qui vere est *munus a Deo, deiicere valeat adversarios populi Dei Israel* [2]. Ast ad hoc necesse est, ut nunquam circa huiusmodi studium assiduitatis quidquam remitti sinatur, imo *nunquam de manu et oculis... recedat liber* [3]; atque *tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat* [4].

11. — **Epistola exhortatoria S. Thomae.** — Quae monita, quasi in manipulum redacta habentur in Epistola exhortatoria, quam ipsemet Angelicus [5] cuidam qui eum de modo idoneo salubriter acquirendi scientiam sciscitatus fuerat, conscripsit. — *Quia quaesisti a me, in Christo mihi carissime Ioannes, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiae acquirendo, tale a me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Haec est ergo monitio mea et instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo, et tarde ad locutorium ascendentem: conscientiae puritatem amplectere, orationi vacare non desinas, cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quaere penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis*

[1] Virgil., Aeneid., l. VI, 95. — [2] 2 Mach., XV, 16. — [3] S Hieronymus ad Rustic., CXXV, n. 11, t. I, p. II, p. 939. — [4] Id., Ep. ad Eustoch., XXII, n. 17, t. I, p. I, p. 100. — [5] Opusc. LXI. Ed. Parm., t. XVII.

a studio materiam subministrat. De verbis et factis saecularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias: sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas: non respicias a quo audias, sed quicquid boni dicatur, memoriae recommenda. Ea quae agis et audis, fac ut intelligas; de dubiis te certifices, et quicquid poteris in armariolo mentis reponere. satage sicut cupiens vas implere. ALTIORA TE NE QUAESIERIS [1]. *Illa sequens vestigia, frondes et fructus in vineam Domini Sabaoth utiles, quamdiu vitam tenueris, proferes ac produces. Haec si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.*

Utinam, concludemus cum Richardo S. Victoris [2], *unusquisque nostrum huiusmodi studiis eousque insistat, donec sol occumbat, et vanitatis amor paulatim deficiat, et carnalis prudentiae ratio subducto fervore concupiscentiae tepescat.*

12. — Summa theologica. — Operi a se exarato S. Doctor titulum praefixit *Summa Theologica*, quod quidem non est absque profunda ratione, quam, quia in nominibus rite intelligendis plurimam sapientiam reperiri novimus, breviter modo exponemus.

Et primo quidem nomen *Summa* tripliciter accipi potest: α) *integraliter*, nempe secundum omnium eorum principiorum continentiam quae in aliquam rem ingrediuntur; β) *virtualiter*, scilicet per respectum ad inferiora quae res summitate sua supergreditur; γ) demum *formaliter*, nempe pro norma seu regula, ex qua rei alicuius perfectionem mensurari oporteat. Et secundum triplicem hunc sensum, nomen *Summa* hic potest intelligi: tale enim est opus theologicum a S. Thoma confectum, ut α) non modo nihil ipsi desit eorum quae in theologia tradi debeant, verum etiam omnium scientiarum elementa amplitudine sua quodammodo complectatur; β) excelsa quaeque et sublimia sua altitudine transcendat; γ) demum norma et regula existat et veluti ultima ratio eorum quae ad hominis finem, in quo huius perfectio consistit, pertinent.

Theologica autem haec Summa appellatur, non modo α) ratione *eorum quae tradit*, nempe Dei et divinarum rerum,

[1] Eccli., III, 22. — [2] Pars. I, DE DIFF. SACRIF. ABRAHAE ET MARIAE.

nec solum β) propter *effectus* quos in anima parere nata est, dum hominem quodammodo divinus efficit, sed γ) formaliter et proprie, scilicet ratione *modi* quo in ipsa divinae res pertractantur: procedit enim doctrina heic contenta non ex principiis lumine naturali intellectu cognitis, sed per Dei revelationem acceptis. Quocirca, ea omnia angelici Doctoris opus complectitur quae ad Deum quoquo modo pertinent, secundum quod ex principiis per divinam revelationem acceptis innotescere possunt.

13. — Prologus S. Thomae. — Summae theologicae praemittit S. Doctor prologum, in quo quid sibi in hoc opere perficiendo proposuerit, declarat. Et *primo* quidem, quodnam sit catholicae veritatis Doctoris officium generaliter exponit; *secundo* autem, subiicit quid sibi ipse praestandum praefixerit.

I. Imprimis, *catholicae veritatis Doctoris* munus est, non modo *provectos instruere*, verum etiam *incipientes erudire* in iis quae ad chritianam religionem pertinent. In quo, distinctio inter *provectos* et *incipientes* non in hoc reponi debet, quod isti utcumque careant doctrina qua illi praediti sunt: sed in hoc quod, dum provecti scientificum habitum, quasi potentiam proximam operandi, exercitatione iam acquisierint, incipientes, e contra, licet fidei principia et ipsi teneant, necnon ex hisce aliquid inferre possint, tamen potentiam ad hoc prompte, faciliter, delectabiliterque faciendum, in quo vis habitus ratioque consistit, nondum acquisierint.

Quam distinctionem pulcre illustrat Apostolus, dum ad Corinthios scribens, ait [1]: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* Ubi praefatae distinctionis illustratio pulcre exhibetur, introducto exemplo de parvulo et adulto, quorum illi propter debiliorem vim digestivam, lac, isti vero, cui digerendi potentia acrior inest, solidus cibus subministratur.

Provectos igitur *instruere*, id est, ulterius adornare, com-

[1] 1 Ep., III, 1, 2.

ponere, *incipientes* autem *erudire*, id est, ex rudibus doctos facere, informare, debet catholicae Doctor veritatis.

II. At ipsemet doctor, qui et magister, quasi *magis scire* debeat, dicitur, veritatem, et si res quidem divinas discipulos sub divino revelationis lumine doceat, catholicam, id est universalem, et studio prosequi et magisterio suo diffundere debet. Nam, cum solus Deus sit per essentiam veritatis doctor, iuxta illud [1]: *Unus est enim magister vester*, in tantum doctoris nomen aliquis sortiri, doctorisque munus exequi potest, in quantum istud sibi communicatum per participationem a Deo habet, in quo nihil est, nisi veritas, immo qui est ipsamet prima et summa veritas [2].

Dum enim Deus hominem docet, tum primorum principiorum, quae sunt scientiarum semina, notitiam quodammodo imprimendo [3], tum lumen intellectus agentis, per quod in cognitionem ignoti devenit, impertiendo, conservando et applicando, homo, quanquam intellectuale lumen infundere non valet, nec principiorum notitiam causare, potest tamen propositis sensibilibus signis, conclusionum deductionem ex per se notis primis principiis determinare, in quo quidem docendi munus officiumque consistit [4].

Sed si huiusmodi signis utatur ad falsam de aliqua re notitiam ingerendam, profecto doctor nonnisi aequivoce dicetur, cum a primo Doctore formaliter dissentiat; quin potius de illo dici poterunt ea S. Petri [5]: *Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces,... per quos via veritatis blasphemabitur.*

Catholicae e contra veritatis Doctoris munus ita describitur [6]: *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea*

[1] Matth., XXIII, 8. — [2] 1, Quaest. XVI, art. 5 — [3] Dicitur *quodammodo:* quia, ut scribit Angelicus (1 2ae, Quaest. LI, art. 1), *ex ipsa natura animae intellectualis convenit homini quod, statim cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est maius sua parte:... sed quid sit totum et quid sit pars, cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas: et propter hoc Philosophus ostendit quod cognitio principiorum provenit nobis ex sensu.* — [4] Cf. Quaest. Disp. *de Verit.*, q. XI. — [5] 2 Ep., II, 1, 2. — [6] Prov., VIII, 7.

detestabuntur impium; illius autem excellentiam egregie commendat S. Ioannes Chrysostomus, hisce verbis [1]: *Quid maius quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret.*

III. Sancto Thomae igitur, qui se ad munus Doctor catholicae veritatis a Deo electum fuisse probe noverat, cum iam provectiores pluribus instruxerat operibus, inter quae satis erit recensuisse commentaria in Magistrum Sententiarum, in Sacram Scripturam et in Philosophiam Aristotelis; Quaestiones disputatas, et Summam Contra Gentiles, propositum in hoc opere edendo fuit, ea quae ad christianam religionem spectant eo modo tradere, secundum quod congruit ad eruditionem incipientium. Hic autem modus est ut evitentur illa inconvenientia, quibus incipientium animi ab hoc studio fructuose complendo retrahuntur, quae quidem duo potissimum sunt, nempe quaestionum inutilium multiplicatio, et claritudinis, quam ordo parit, carentia.

Siquidem adverterat Angelicus Doctor, ab iis qui res theologicas pertractandas assumpserant, inutiliter multiplicata fuisse quastiones, articulos et argumenta, sed et res in ista docrina necessarias scitu non eo ordine esse traditas, quo disciplinae ratio postulasset; verum, aut secundum quod requirebat librorum, quos theologi commentabantur, expositio, aut prouti se disputandi occasio praebebat. Ex quibus et tertium inconveniens sponte nascebatur, nempe res dictas saepius repeti, unde et fastidium et confusio in audientium animis haud generari non poterat. Quocirca sancti Doctoris intentio fuit, ea quae ad sacram Doctrinam pertinent breviter ac dilucide prosequi, secundum quod materia pateretur.

IV. Ubi tamen opportune notat Caietanus [2], hoc opus non ideo dici convenire novitiis seu incipientibus, quod tractatus sit tantummodo superficialis, aut epilogalis, aut introductorius, sed ratione sectarum superfluitatum, omissae repetitionis, et pulcherrimi ordinis ab ipso S. Thoma inventi. Bre-

[1] In c. XVIII S. Matth., hom. LX. — [2] In h. l.

vitas enim, cui insistit Angelicus, non ea est quam moderni haud pauci sequuntur, quibus tot quaestiones tanquam inutiles, eo solum quod speculativae sint, abscindi debere videtur, rationisque discursum e medio tolli; quibus illud applicari potest Horatii: *Brevis esse volo, obscurus fio;* siquidem noverat theologorum Princeps, rem theologicam, non, ut decet, posse attingi mero compendiali et perfuntorio divinarum rerum decursu, nec esse tempori ad hanc scientiam acquirendam necessario quidquam detrahendum, in gratiam eorum studiorum quae illis, quos in sortem suam Dominus vocavit, licet utilia videantur, non tamen propria sunt atque consentanea.

V. In prologi conclusione S. Thomas aperte significat se, quantumvis totum impenderet animum proposito fini assequendo, potius tamen spei divini auxilii, quam propriarum virium confidentiae inniti; ait enim, animi sui modestiam patefaciens: *Tentabimus cum confidentia divini auxilii;* quibus verbis sat aperte edocemur, theologum eo maiores in divinarum rerum scientia progressus esse facturum, quo magis tentamina sua potentissimo Numinis praesidio corroborari quaesierit.

14. — **Divisio totius Theologiae.** — Potest universa theologia in duas summas partes dividi, quarum prima ea complectitur, quae ad naturam huius scientiae secundum diversarum causarum genera pertinent, altera vero ipsam theologicam doctrinam proprie per quaestiones et articulos prosequitur. Nam, in unaquaque disciplina, necesse est ut prius disputantis intentio certis limitibus comprehendatur, quam illius rationes et placita proponantur. Quocirca S. Thomas toti operi theologico praeludit, quaestionem praeiacens de sacrae Doctrinae, seu Theologiae fine, natura, origine et obiecto, quam quidem rem ampliori sermone in primo volumine tractabimus, additis iis omnibus quae ad fontem, cognoscibilitatem necnon immutabilitatem atque progressum dogmatis catholici pertinent.

Doctrina autem theologica, speciatim considerata, comprehenditur in tribus partibus Summae theologicae, incluso etiam Supplemento.

15. — Specialis sacrae Doctrinae distributio. — Igitur, quia praecipua huius sacrae Doctrinae intentio est ea tradere quae ad Dei cognitionem pertinent, et non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est principium rerum et finis earum, et specialiter rationalis creaturae, hinc ad huius doctrinae expositionem intendentes, *primo* tractabimus de Deo; *secundo* de motu rationalis creaturae in Deum; *tertio* de Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum.

16. — Ratio huius ordinis. — Huius autem ordinis rationem ex distinctione inter philosophiam et nostram theologiam desumi oportet. Quia enim philosophia res considerat in propriis naturis et secundum ea quae eis secundum se conveniunt, theologia autem eas contemplatur non in quantum huiusmodi, puta ignem non in quantum ignis est, sed in quantum divinam altitudinem repraesentat et in ipsum Deum quoquo modo ordinatur, hinc theologia seu sacra Doctrina non modo multas rerum proprietates praetermittit quas philosophia considerat, ut caeli figuram, motus qualitatem, etc., sed etiam diverso ordine diversaque methodo procedit.

Revera, philosophia ex rerum consideratione in Dei cognitionem pervenit, dum e contra theologia primo considerat Deum et postea creaturas; ex quo etiam sequitur illam argumenta desumere ex propriis rerum causis, hanc vero ex causa prima, ut, puta, quia sic divinitus est traditum [1].

Et ita duabus partibus essentialiter constat sacra theologia, quibus tota *Summa* compleretur, nisi esset aliquod opus inter divina opera mirabilissimum, et quo maius quid excogitari non potest, scilicet Verbi Dei Incarnatio, ad hoc completa, ut per Christum, et cum Christo, et in Christo deperditum humanum genus ad vitam revocaretur aeternam. Quia vero id quod est in unoquoque genere maximum, causa aliorum esse videtur, hinc oportet ut et ad fidem huius mirabilissimi operis omnia alia mirabilia opera ordinentur, et de eo specialis instituatur quaestio [2].

[1] C. Gent., l. II, c. 4. — [2] Ibid., l. IV, c. 27.

17. — Specialior sacrae Doctrinae partitio. — Plures autem sub unaquaque parte clauduntur tractatus. — I. Et quidem sub *prima*, tripartita consideratio venit. *Prima*, de eis quae ad *divinam essentiam* et *operationem* pertinent; *secunda*, de eis quae pertinent ad *distinctionem personarum*; *tertia*, de eis quae *ad processum creaturarum* a Deo spectant. Hinc sub hac parte veniunt tractatus de *Deo uno*, tum secundum essentiam, tum secundum operationem; de *Deo trino*, seu de Deo secundum Trinitatem personarum; de *Deo creatore*, ubi tum de *Angelis*, tum de *opere sex dierum*, tum de *homine*, maxime per respectum ad ordinem supernaturalem, tum, etiam, de *conservatione et gubernatione rerum* sermo instituitur.

II. In *secunda* parte, agitur tum de *ultimo hominis fine*, tum de *mediis* per quae homo ad hunc finem pervenire potest vel ab eo deviare, ubi plura itidem traduntur. Et quidem in universali inspiciendi veniunt *ipsimet actus humani*: necnon horum *actuum principia*, quae sunt habitus, tum boni, seu *virtutes*, tum mali, seu *vitia et peccata*, maxime *peccatum originale*. Quae quidem sunt actuum humanorum principia *intrinseca*; at principia quoque *extrinseca* inspici debent; et quidem, tum *lex*, tum *gratia*. De mediis vero in speciali theologus tractare debet, considerando *virtutes theologicas*, *virtutes cardinales*, denique *speciales hominum status*.

III. Tertia demum pars complectitur tum considerationem de ipso Salvatore, sub qua veniunt tractatus de mysterio *Incarnationis* Verbi, nec non *de mysteriis vitae Christi*: tum considerationem de *sacramentis*, quae efficaciam habent a Verbo Incarnato, quibus homo salutem consequitur et liberatur a morte culpae, et hoc, tum *in genere*, tum *in specie*. Denique agendum est *de resurrectione*, per quam homo liberatur a morte poenae et finem immortalis vitae perfecte consequitur. — Cetera ad aliquem ex hisce tractatibus facile reduci possunt; qui, ut uno conspectu ponantur, sit sequens schema.

- **Sacra Doctrina consideranda est**
  - **in se**
    - Deus, ut
      - est in se
        - unus, considerandus secundum essentiam
        - trinus secundum operationem
      - ab ipso
        - procedit creatura
          - pure spiritualis
          - pure corporalis
          - mixta, id est homo
        - res conservantur et gubernantur
  - **in obiectis quae sunt**
    - creatura rationalis, secundum quod movetur in Deum, quantum ad
      - finem
        - in genere, per actus humanos, consideratos
          - in se
          - relate ad sua principia
            - intrinseca,
              - bona. sc. virtutes
              - mala, sc. vitia et peccata
            - extrinseca. scilicet
              - legem
              - gratiam
        - media
          - in particulari,
            - per virtutes
              - theologales
              - cardinales
            - respectu ad specialis status
    - Christus
      - in se, quantum ad
        - mysterium Incarnationis
        - ea quae egit et passus est
      - per respectum ad
        - sacramenta
          - in communi
          - in specie, id est quantum ad singula sacramenta
        - finem vitae immortalis per resurrectionem

18. — Quaenam in hoc opere comprehenduntur. — Porro, quia sacram Doctrinam seu theologiam hic tradendam suscepimus prout est speculativa, ideo in hac nostra textus S. Thomae commentatione ea hic praetermittimus quae ad praxim propius pertinent, ut est consideratio de actibus humanis, necnon tractatio de virtutibus et peccatis in particulari, de lege et de statibus particularibus.

De habitus vero et virtutibus, de peccatis et signanter de originali peccato, necnon de gratia, quae quidem res ad practicam theologiam spectant, hic ex professo agendum suscepimus, quod res istae a moralibus aut totaliter praetermissae, aut solummodo leviter tactae inveniantur. — Ea vero quae ad philosophiam, sive speculativam, sive ethicam, spectant, ut sunt facultates aut passiones animae, tanquam primum sacrae theologiae limen ineunti sufficienter nota, relinquemus, cum ea in philosophiae scholis laudabiliter tradantur.

Plura quoque quae in diversis locis Summae theologicae divisa inveniuntur, in aliquo tractatu interdum unientur, cum ad idem subiectum spectent, ut, puta, quae pertinent ad tractationem de Angelis.

At vero, quoniam ex Dei infinita bonitate et sapientia factum est ut Christus ex muliere nasceretur, quam etiam nostram matrem constituit, cui Sponsum dari voluit qui et Verbi incarnati pater putativus diceretur, et esset, ideo aequum fuit ut tum de hac incomparabili Virgine, quae fines deitatis attigit, tum de glorioso patriarcha S. Ioseph, speciales instituerentur tractatus, quibus vera in has sanctas personas pietas foveatur.

19. — Series tractatuum quibus praesens opus constat. — Quocirca, totum opus nostrum theologicum viginti quatuor tractatibus, sic ordinatis, constat.

Primus. De sacra Doctrina.

Secundus. De Deo uno, quantum ad ea quae pertinent ad essentiam.

Tertius. De Deo uno, quantum ad ea quae pertinent ad divinam operationem.

Quartus. De Sanctissima Trinitate.

Quintus. De Angelis in se consideratis.

Sextus. De Angelis consideratis relate ad mundi regimen.

Septimus. De opere sex dierum.

Octavus. De prima hominis formatione.

Nonus. De rerum gubernatione.

Decimus. De habitibus et virtutibus.

Undecimus. De peccato originali.

Duodecimus. De gratia.

Decimus tertius. De Incarnatione Verbi.

Decimus quartus. De iis quae Christus egit et passus est.

Decimus quintus. De Beatissima Virgine Maria, Matre Dei.

Decimus sextus. De Sancto Ioseph, sponso Beatae Mariae Virginis.

Decimus septimus. De sacramentis in communi.

Decimus octavus. De sacramentis baptismi et confirmationis.

Decimus nonus. De Sanctissimae Eucharistiae sacramento.

Vigesimus. De sacrosancto Missae sacrificio.

Vigesimus primus. De sacramento poenitentiae; de excommunicatione et de indulgentiis.

Vigesimus secundus. De sacramentis extremae unctionis et ordinis.

Vigesimus tertius. De sacramento matrimonii.

Vigesimus quartus. De novissimis.

N. B. — Quo facilius lector ad textum S. Thomae, ad quem praesens commentatio pertinet, recurrere possit, locus correspondens Summae theologicae in summitate uniuscuiusque paginae indicatur. Sunt autem plures tractatus ubi id observari nequit, quoties scilicet S. Thomas rem aut nullo modo, aut academice tantum et cursim tractavit, puta, ubi agitur de sacrosancto Missae Sacrificio, de Beata Virgine, de S. Ioseph, de sacramentis de quibus in Supplemento agitur, necnon de Novissimis.

TRACTATUS PRIMUS

DE

SACRA DOCTRINA

PRAEFATIO.

Religionem a Christo institutam multiplici persecutionum genere, temporis decursu, oppressum iri, ipse Dominus Noster apertissime praesignavit, cum navigantes in mari Galilaeae discipulos contrariis elementis iactari et fluctibus pene mergi, ipso dormiente, ultro permisit. Quae quidem persecutiones, labentibus annis, varias induere formas: nimirum, cum in hac religione quatuor considerari oporteat, scilicet, Christum eius institutorem, Ecclesiam ab eo constitutam, opus ob quod in mundum venit, scilicet hominum sanctificationem per sacramenta, et eorumdem eruditionem per veritatem supernaturaliter traditam. — historia testis est, unumquodque horum ordinatim acerrime fuisse impetitum.

Revera videmus, prioribus Ecclesiae saeculis, ab infensissimo humanae salutis hoste nil intentatum fuisse relictum; quominus fides in unam Domini Nostri, veri Dei et veri hominis, personam destrueretur, suscitatis, primum, in ipso Ecclesiae sinu, arianorum opera, postea, extra Ecclesiam, per Mahumetum eiusque asseclas, osoribus divinitatis illius, variis quoque haereticorum sectis exstimulatis, qui eius humanitatem labefactarent. — Nec multum inde temporis pertransiisse novimus, prius quam antiquus ille Dei adversarius novum belli genus in christianam religionem excitaret. Siquidem, nono iam instante saeculo, impii homines

duce Photio, immaculatam Christi Ecclesiam diro schismate dilacerare coeperunt, infinitis pene populis ab obedientia Romani Pontificis subductis, a quo, inconsutilis vestis instar, suam illa unitatem habet et tuetur. — Plura post saecula, labente scilicet media aetate, novum persecutionis genus in Christi religionem diabolus cernitur molitus: scilicet, reformatores seu novatores exacuit, qui omnem adhiberent operam, ut plebs fidelis vivifica sacramentorum efficacia privaretur.

Quae cum ita sint, aliud iam christiani nominis hosti non remanebat peragendum, nisi ut supernaturalem veritatem a Domino Nostro traditam impugnari conaretur, hominibus suscitatis, qui labefactandae illius doctrinae intenti, hanc ad quamdam naturalis ordinis disciplinam omni divino charactere exutam redigerent.

Et hoc quidem temporibus nostris astu subtiliori tentari videmus; cum a multis, quos modernistas vocant, nova quaedam dogmatum interpretatio avetur, qua uti contendunt, Evangelii puritas explicationibus scholasticae theologiae denudetur, ipsamet Ecclesia revocetur ad primaevam simpliciorem formam, ethica christiana, in eo praesertim quod spectat ad iuventutis ecclesiasticae educationem et ad hominum mores componendos, reformetur, et omnes religiones, utut dissidentes, litibus sepositis, in unam superiorem religionis formam, severiori dogmate temperato, coalescant. Quae omnia, a viris utique qui se ad Ecclesiae gremium pertinere profitentur, ultro proclamata, huc ultimo collineant, ut Christi doctrinae nova praebeatur expositio, conformior, ut aiunt, dictamini rationis humanae, legibusque, quibus humanus progressus regitur, plenius correspondens.

Nec desunt eis, qui nova haec sectari cupiunt, speciosae rationes, quibus suas praesumunt opinationes probari.

Equidem, negari omnino nequit, aliquam, specie tenus, oppositionem posse fingi inter, hinc quidem formam fidei praxeosque christianae qualis nunc viget, illinc vero id quod de priscis Ecclesiae saeculis historia testatur, cum multa nunc explicite teneantur, de quibus maiores nostri ne cogitasse quidem perhibentur, multaeque cultui christiano, multae pa-

riter fidei deposito accessiones videantur factae. Quapropter, mirum non est, si illi qui in rem historicam critica methodo investigandam sedulius incumbunt, toto nisu peroptent ut reditus fiat ad prisca illa dogmata, resecatis quas media protulit aetas explicationibus, simulque ut primaeva illa christiani cultus forma, exclusis superfetationibus, ut aiunt, saeculorum decursu inductis, restituatur. Qui etiam dogma et cultum catholicum adaptanda esse conclamant praesentium temporum indoli et necessitatibus.

Quam subtilia simul et gravia sint ista molimina, neminem effugiet, qui parumper consideraverit quanta veri species praedictae argumentationi insit, maxime cum non ab inimicis Ecclesiae, sed ab ipsismet eius filiis passim proponatur. Qui quidem sua agendi ratione unum e duobus inferri volunt: aut veritatem a Christo praedicatam reali mutationi obnoxiam esse; aut Ecclesiam, quae nobis veritates ab antiqua fide apparenter diversas credendas proponit, in errorem nos inducere. Quapropter ad hoc reducitur hodiernus conflictus, ut vel credamus praesentem formam dogmatis et cultus eam revera esse quam Christus docuit et tradidit, vel excussis multiplicibus accessionibus quae cultui et dogmati factae sunt, ad primaevam Ecclesiae formam confugiamus, qualem historia simul et ratio naturalis suadere videntur.

Quae cum ita sint, sat aperte constat, uniuscuiusque recte sentientis officium esse, pro viribus dimicare ut error tam perniciosus cito profligetur.

Re quidem vera, inter ingruentes tribulationes quibus Ecclesiam, Sponsam suam, multipliciter premendam fore praedixit Dominus Noster, nulla, prudentium hominum iudicio, molestior unquam irrupisse videtur, quam quae hodie ab irreconciliabili veritatis hoste suscitata est.

Non solum enim Ecclesia violentis hostium externorum insectationibus premitur, qui illius excidium ruinamque moliuntur; non solum altisono sapientum contemptui obiicitur, eius dogmata tamquam inanes vacuosque sonos superbe reiicientium; non solum obscuris et humi repentibus quorumdam delicatiorum hominum tentaminibus affligitur, severiorem illius disciplinam ignaviae suae accommodare volentium: verum his tribus adversariorum generi-

bus, qui sub specie diaboli, mundi et carnis designari solent, qui utique nullo tempore quiescunt, hodie tamen intimiori foedere videntur coaluisse, alius longe subtilior et exitialior hostis supereminet, cuius quidem operâ, Ecclesia Christi, si defectibilis esset, in lethale excidium certius ruere deberet.

Utique, haud dubium est quin Ecclesia, quae in ceteris certaminibus victrix semper evasit, in praesenti quoque discrimine sit victoriam reportatura, cum in Christus aperte promiserit, tum quando in mari Galilaeae discipulos increpavit [1]: *Quid timidi estis. modicae fidei*, tum quando expresse praedixit [2]: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum;* at graves esse prae omnibus quae praecesserunt, praesentis temporis angustias, constat ex hoc quod nunc ipsamet religionis catholicae fundamenta impetuntur, et quidem sub plausibili praetextu puritatem fidei intactam servandi. Quapropter, Summus Pontifex Pius X, rem hanc animo perpendens, non dubitavit systema universum, quo subtilia illa molimina continentur, definire, *omnium haereseon conlectum* [3]; unde etiam legitime inferre possumus, novam hanc persecutionis formam dici debere scandalum ultimis temporibus reservatum.

Ex dictis abunde constat, quanti momenti sit, antequam res ad speculativae theologiae dogmata pertinentes singillatim pertractentur, accurate statuere, in quonam formaliter dogma catholicum consistat et quaenam sit eius extensio; qua ratione a nobis cognosci valeat, et utrum alicuius augmenti sit capax.

Et hac quidem de causa S. Thomas toti operi theologico, quasi praeliminaris tractatus instar, quaestionem praemittit de sacra doctrina, qualis sit et ad quae se extendat: at praeterea necesse est, ad ingruentes praesentis temporis errores confutandos, simulque solidum sacrae doctrinae fundamentum confirmandum, ut ostendatur quam vesana sit eorum sententia qui edicunt abiiciendam esse tanquam nostris temporibus minime accommodam, veterem illam in-

[1] Matth., VIII, 26. — [2] Io., XVI. 33. — [3] Encycl. *Pascendi Dominici gregis*, 8 Sept., 1907.

terpretationis formam, quam ex scholasticis doctoribus Ecclesia suscepit et confovit; cuius loco recentior, humanoque progressui magis respondens, expositio habeatur.

Equidem, futile omnino est, quod aiunt, scilicet eam methodum, quae saeculo tertio decimo, apta fuit ad theologiam exponendam et defendendam, mutatis nunc societatis conditionibus et auctis scientiarum incrementis, antiquatam et nullis amplius usibus aptam esse, cum lex sit universalis, omnia, non excluso dogmate, alicui evolutioni subiici. — Sane, absque veritatis iactura, edici potest, hanc esse potissimam dissidii causam inter eos, quos modernistas vocant, et eos, qui traditioni pressius insistunt, scilicet oppugnationem expositionis hucusque receptae et studium novae interpretationis introducendae: ita ut scholasticae doctrinae applicari illud possit, quod olim de Christi sequacium secta principes Iudaeorum testabantur: *Ubique ei contradicitur* [1].

Nostra igitur in hoc tractatu intentio erit, ea omnia ordinatim quae ad sacram doctrinam, maxime habito respectu ad hodiernos errores, tradere, simul criteria statuentes, quibus probe dignosci valeat id quod ad fidem proprie pertinet, necnon quo pacto progressus in fidei cognitione possit haberi.

Et hoc quidem praestabimus, cum confidentia divini auxilii, hoc opus sub gloriosae Deiparae patrocinio ponentes, quae *cunctas haereses sola interemit in universo mundo*, necnon sanctissimi illius Sponsi, qui Christum, *Pontificem confessionis nostrae* [2], ex Herodis gladio, ad salutem totius generis humani, incolumem servavit.

Romae, in festo Annuntiationis B. M. V., 1927.

[1] Act., XXVIII, 22. — [2] Hebr., III, 1.

TRACTATUS
DE
SACRA DOCTRINA

PROOEMIUM.

I. — Ratio et necessitas huius tractationis. — Cum mos generaliter invaluerit, penes eos qui de universa theologia tractationes, sive longiori, sive breviori calamo edidere, statim a tractatu de Deo uno incipere, mirum forsan lectori videtur quod nos cursui Institutionum nostrarum theologicarum a consideratione de sacra Doctrina et Dogmate catholico exordium demus. Quod quidem non arbitraria aut levi ratione ducti praestamus; sed S. Thomam imitati, qui toti Summae theologicae integram quaestionem, quasi fundamenti instar, de hac re ex professo instituit.

Sane, antequam in medias res theologicas ingrediamur, necesse est probe cognoscere quid proprie et formaliter sit sacra ista Doctrina; quisnam eius ambitus; quo tendat; quem locum sibi vindicet inter scientias hamanas; undenam eius placita hauriantur; quomodo nos illius notitiam haurire possimus; utrum variationi sit aut progressioni utcumque obnoxia. Accedit quod, cum de sacrae Doctrinae natura sit, ut conclusiones multas ex certis revelatis principiis hauriat, oportet theologum probe scire tum quomodo haec scientia a fide distinguatur, tum qualis valor sit conclusionibus assignandus. Denique, sedula et ex professo instituta investigatio de hac sacra Doctrina hunc effectum sponte parit, ut magnam lectoris animo existimationem de eadem pariat, quae calcar adiicit ad illam profundius capessendam.

2. — **Sacrae Doctrinae laus in Sacra Scriptura.** — Porro, cum multum iuvet, ad excitandum in corde rei alicuius desiderium, altam de illa fovere existimationem, operae pretium erit, primo loco nonnulla testimonia in laudem huius sacrae Doctrinae, in Scriptura divinitus inspirata, relegere. Equidem omnes fere textus, in quibus sermo est de sapientia, etsi in primario sensu. de Sapientia increata, quae est Verbum Dei, aut de dono sapientiae, quod est unum ex septem donis Spiritus Sancti, accipi debeant, in sensu tamen secundario, utique litterali, de studio sacrae Doctrinae, quae proprie sapientia est [1], possunt intelligi, cum sic eos Patres et Doctores Ecclesiae constanter interpretentur [2].

Ut autem lectoris memoriae succurramus, sequentes locos recoluisse haud pigebit. — *Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum; recti sunt intelligentibus. et aequi invenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam, doctrinam magis quam aurum eligite: melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari* [3]. — *Infinitus thesaurus est* (sapientia) *hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim haec speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior: illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia* [4].

3. — **Sacra Doctrina et Dogma Catholicum.** — Porro, operi huic titulum inscripsimus *Sacra Doctrina*, quod idem re sonat ac *Sacra Theologia:* illud tamen nomen S. Thoma saepius adhibet, eo quod theologia, si fiat vis in verbo, nimis restrictum sensum prima facie praesefert, cum theologia proprie sit sermo de Deo, sacra Doctrina vero omnes res, sub angulo visuali revelationis complectitur. — At, quod maioris momenti notatum volumus, in hoc tractatu non solum de sacra doctrina, verum etiam de dogmate catholico passim

[1] 1, Quaest. I, art. 6. — [2] Quod sit agnoscendus multiplex sensus litteralis in Sacra Scriptura. dicemus infra, Quaest. II. art. 2. — [3] Prov., VII, 7, seq. — [4] Sap., VII. 14, seq.

agemus, id scilicet materiae, quam tractandam assumimus, exigente ratione. Enimvero, etsi sacra Doctrina a Dogmate catholico specifice differat, tamen, in sua amplitudine hoc illa complectitur: unde in tractatione unius ab altero nequit praescindi [1]. Ad quod intelligendum, necesse est, ex tutissimis principiis, momenta distinctionis unius ab altero repetere.

4. — **Differentia inter sacram Doctrinam et Dogma catholicum.** — Ad differentiam sacram Doctrinam inter et Dogma catholicum plene dignoscendam, necesse est prius rem ad unamquamque quatuor causarum revocare. Et primo quidem, quod ad causam efficientem attinet, differentia non est, cum, ut infra videbimus, idem sit utriusque fons, nempe vel revelatio Dei loquentis, vel Ecclesiae formales declarationes. At, differentia est ex parte trium aliarum causarum.

Primo quidem, ex parte causae finalis, differentia est in hoc quod Dogma catholicum ordinatur immediate ad salutem aeternam; sacra Doctrina vero immediate ad ornatum intellectus, necnon ad illustrationem et defensionem dogmatis catholici. Ex parte etiam causae materialis adest differentia in hoc quod sacra Doctrina latius vagatur quam dogma catholicum: illa enim respicit speculabilia quaecumque sub lumine revelationis, hoc vero ad credibilia sub lumine fidei restringitur. At profundius differentiae caput est ex parte causae formalis, quae pro Dogmate catholico est lumen fidei; pro sacra Doctrina vero est lumen ex revelatione proveniens, prout abstrahit a ratione crediti vel visi, ut fusius infra declarabitur.

Ulterius vero notandum, sacram Doctrinam debere dupliciter considerari: scilicet, late et stricte: et late quidem accepta abstrahit a consideratione crediti vel sciti; et sic comprehendit sub se Dogma catholicum quod est de non visis; stricte vero respicit demonstrabilitatem propositionum ex principiis fidei.

[1] Quae hic de Dogmate catholico traduntur, ut plurimum hausta sunt ex apposito tractatu quem ante plures annos edidimus. DE STABILITATE ET PROGRESSU DOGMATIS.



Quae cum ita sint, planum est non debuisse nos, in hoc tractatu, praescindere a Dogmate catholico: quapropter nonnullae quaestiones agitabuntur de sacra Doctrina formaliter, ut sic; aliae vero de Dogmate catholico.

5. — **Ordo tractatus.** — Iuvat modo ordinem rerum in hoc tractatu agendarum exponere. Nimirum, sacra Doctrina se nobis offert considerandam, hinc quidem in seipsa (I-IV), illinc vero per respectum ad subiecta illam cognoscentia (V). In se autem investiganda venit, tum quantum ad suam ipsius rationem (I-III), tum quantum ad sui immutabilitatem (IV). Rursus, de sacra Doctrina aliud est inquirere in ordine ontologico (I-II), aliud vero in ordine logico, ut scilicet investigetur qualiter et qua certitudine potest a nobis perspici (III). Denique, ontologica sacrae Doctrinae consideratio bina quaestione claudi petit: in quarum prima de eius natura et extensione disseretur (I), in altera de fonte authentico unde hauritur, seu de prophetia (II).



Quocirca, quinque in hoc tractatu erunt inquirenda.

Primo. De sacra Doctrina, qualis sit et ad quae se extendat.

Secundo. De authenticis fontibus sacrae Doctrinae.

Tertio. De cognoscibilitate sacrae Doctrinae.

Quarto. De immutabilitate sacrae Doctrinae.

Quinto. De augmento, seu progressu sacrae Doctrinae.

6. — Quanta sit in mundo ignorantia sacrae Doctrinae. — Porro, cum adhuc in limine illius immensae regionis, quam Theologia quaquaversus peragrat, versemur, omittere non possumus quin lectorem admonitum faciamus, quanta nunc ubique sacrae huius disciplinae ignorantia vigeat, hominibus huius mundi ne suspicantibus quidem existentiam illorum operum, quae de hac re, saeculorum decursu, prodiere: unde de omni scientia acquirenda, praeter quam de rebus fidei, sollicitos se exhibent. Unus igitur, et certe non minimus, fructus studii huius tractatus erit magnam in lectoris animo existimationem sacrae theologiae tum in suo, tum in aliorum corde parere, quae quidem initium quoddam sapientiae erit [1].

[1] Praeclara sunt hac in re verba P. Gul. Faber: *Writers on physical science and political economy look vacantly and wearily into ages when the whole scientific structure of theology was being raised by almost superhuman efforts of erudition and intelligence and gifts of a strictly scientific kind, and pronounce that nothing was done in those times. It is impossible to open any work of the accomplished literature of the present day without perceiving the marvelous ignorance of theology. The authors hardly ever speak of the doctrines or usages, for example, of the Catholic Church, without making such absurd blunders that we feel like men who are reading the pretended travels of a foreigner in our own land, with amusing and provoking evidence in every page that he has never seen what he describes nor has ever set foot upon our shores.* The Blessed Sacrament, p. 375.

QUAESTIO PRIMA.

DE SACRA DOCTRINA, QUALIS SIT, ET AD QUAE SE EXTENDAT.

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. — Quia circa sacram Doctrinam theologicam tota versatur huius operis amplitudo, primo necesse erit quid sacra Doctrina sit definire, *omnis enim*, ait Tullius [1], *quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur.* — Ubi tamen advertendum monemus non esse hic tradendam realem definitionem, cum haec nonnisi perpensis causarum generibus circa rem de qua agitur, elucescat, sed definitionem nominalem seu *quid nominis*, de cuius notitia disceptantes convenire oportet, ni velint circa id de quo ambigitur, in infinitum abire et nunquam ad exitum pervenire.

2. — Quid sit Theologia. — Igitur Theologia (Θεός *Deus*, et λόγος *sermo*) *sermonem de Deo* significat; hic autem *sacra Doctrina*, et etiam *Scriptura* interdum appellatur: quae quidem nomina eamdem rem significant, sub distincta tamen ratione. Nam *theologia* proprie obiectum formale quod in hac scientia per se attingitur, nempe *deitatem*, designat; unde θεολογεῖν apud Graecos est divinitatis doctrinam sermone vel scripto exponere, quo sensu et S. Ioannes, inter Evangelistas, et S. Gregorius Nazianzenus, inter Patres, *theologi* penes illos appellari consuevere, quod ille in exponenda Christi divinitate altius ceteris sese erexerit, hic autem in Dei mysteriis pertractandis, inter omnes scriptores unus excel-

[1] L. I, DE OFFIC., c. II.

luerit. *Scriptura* autem appellat ad fontem, seu ad sedem unde argumenta in ista scientia potissime depromuntur, nempe ad verbum Dei hagiographis revelatum et in libris tum Veteris, tum Novi Testamenti consignatum.

3. — Quid sit sacra Doctrina. — Ast sacrae Doctrinae nomen latius patet: comprehendit enim quidquid sub lumine divinae revelationis non solum de Deo, sed de rebus ad Deum quoquo modo spectantibus, et sic de universis rebus, a certis principiis per conclusiones logice deduci potest; quod quidem non in sola Scriptura, verum etiam in Ecclesiae, cui fidei depositi cura commissa est, traditione continetur. *Doctrina* enim hic in tota sua amplitudine accipitur, nempe pro cognitione quam quis alteri per magisterium tradit, quo sensu aiebat Tullius[1]: *Te autem ab initio aetatis memoria teneo summe omnium doctrinarum studiosum fuisse;* additur autem *sacra*, ut specificetur lumen *sub quo* ista tradi et accipi debeat, nempe lumen divinae revelationis. Opportunissime igitur, ex S. Thoma, primam hanc quaestionem inscribimus: *de sacra Doctrina*, qualis sit et ad quae se extendat.

4. — S. Thomas Aquinas — Ut autem uno obtutu lectori obversetur ambitus eorum quae S. Thomas Aquinas, in sacra Doctrina κατ' ἐξοχήν princeps, scripserit, dicemus illum commentatum fuisse Aristotelem in 891 lectionibus, et Magistrum Sententiarum in 578 quaestionibus et 2931 articulis; auctorem esse 63 Quaestionum disputatarum in 510 articulis et 12 Quodlibetorum in 130 quaestionibus et 260 articulis; item Summae contra Gentiles in 4 libris et 463 capitibus; Summae Theologicae tripartitae in 512 quaestionibus et 2652 articulis a Giovanne XXII dictis totidem miraculis, necnon in 10 argumentis solutis; auctorem quoque esse 43 opusculorum; exposuisse Epistolas S. Pauli et alios libros canonicos in 803 lectionibus et capitulis; collegisse 41 sanctos Patres super quatuor Evangeliis in catena aurea; auctorem denique fuisse Missae et Officii quod Ecclesia recitat in festo SS. Corporis Christi.

[1] IV, Fin.

5. — **Ordo quaestionis.** — Porro, in hac quaestione, decem propositis articulis, de sacra Doctrina quaeremus, primo, secundum se (1-9); secundo, in sua ad fidem relatione (10) — Et quidem de ea secundum se considerata quaeri debebit, primo, propter quid sit (1); secundo quid in se sit (2-7); tertio, qualiter sit (8-9).— Porro, quaerere propter quid sit sacra Doctrina, est quaerere de illius necessitate; quaerere autem quod sit, sibi vult quaerere tum de illius obiecto formali *quo* 2-6), tum de obiecto formali *quod* (7). Obiectum formale *quod* sacrae Doctrinae est ipsummet illius subiectum; secundum autem obiectum formale *quo*, quaestio dupliciter debet agitari: absolute (2-4), et relative (5-6). Absolute quidem debet sacra Doctrina, quantum ad obiectum formale *quo*, considerari, tum secundum essentiam (2-3), tum secundum operationem (4) quae sequi intelligitur, nempe ut determinetur utrum haec sit pura speculatio, an ad praxim quoque se extendat. Dubitatio autem circa essentiam sacrae Doctrinae solvitur determinando de illius quidditate (2), necnon de prima passione (3), nempe de unitate illius. Relativa autem consideratio circa sacram Doctrinam dupliciper fieri potest: vel quantum ad alias scientias (5), vel quantum ad causam quam inspicit (6). — Demum, inquirere qualiter sit sacra Doctrina, sibi vult modum investigare quo eadem procedit, tum ex parte rationis (8), tum ex parte fidei, seu eorum quae in sacra Scriptura traduntur, ut sciatur utrum uti debeat metaphoricis locutionibus (9) [1].

[1] Quod tradit Angelicus Art. 10, utrum scilicet Sacra Scriptura sit secundum plures sensus litteraliter exponenda, in hoc opere tradetur, tanquam in proprio sede, in quaest. II, art. 2. Huius articuli loco, ut apparet, substituimus quaestionem magni momenti, scilicet de relatione sacrae Doctrinae ad fidem.


Sacra Doctrina
considerari debet
absolute, ut sciatur
relate ad fidem (10)
propter quid sit (1)
quid sit, quantum ad obiectum formale
qualiter sit secundum modum procedendi per
quo
quod (7)
rationem (8)
fidem, quantum ad usum metaphorarum (9)
absolute, quantum ad
relate ad
essentiam, per respectum ad
operationem (4)
ceteras scientias (5)
ultimam causam (6)
quidditatem (2)
unitatem (3)

Hinc decem in hac quaestione quaeruntur:

Primo. De necessitate huius doctrinae.

Secundo. Utrum sit scientia.

Tertio. Utrum sit una, vel plures.

Quarto. Utrum sit speculativa, vel practica.

Quinto. De comparatione eius ad alias scientias.

Sexto. Utrum sit sapientia.

Septimo. Quid sit subiectum eius.

Octavo. Utrum sit argumentativa.

Nono. Utrum uti debeat metaphoricis, vel symbolicis locutionibus.

Decimo. Utrum sacra Doctrina differat a fide.

6. — **Quatuor causarum genera.** — Possunt autem et alio modo novem priores articuli ad quatuor capita, secundum ordinem causarum, reduci: nempe primus ad causam finalem; a secundo usque ad sextum, ad causam formalem; septimus ad causam materialem, late hac accepta; ab octavo ad nonum ad causam instrumentalem.

De causa efficiente, seu de causa ex qua sacra Doctrina originem ducit, nempe de divina revelatione, S. Thomas non agit: quia cum nulla scientia probet sed supponat suum obiectum, ad aliam disciplinam spectat existentiam divinae revelationis vindicare, nempe ad apologiam religionis revelatae, de qua agitur in *propaedeutica* aut praeparatoria theologia, quam aliqui etiam *fundamentalem*, quod fundamenta theologiae nostrae rimatur, appellant. Scientiam hanc proprie a sacra Theologia debere distingui patet, cum lumine rationis momenta perpendat quibus homini divinae revelationis authenticitas suadetur: idcirco, ad sublimiorem philosophiae partem, quae est Metaphysica specialis, tamquam ad propriam sedem, reducatur oportet, in qua circa religionem revelatam doctrina traditur.

Attamen nihil vetat quin, rei gravitate id suadente, de ipsis sacrae doctrinae fontibus, quatenus sub lumine divinae revelationis nobis innotescunt, specialis instituatur investigatio, quatenus clare appareat quales sint huiusmodi fontes et quali-

ter totum sacrae Doctrinae depositum ex eis scaturiat: quod quidem, ut innuimus, secunda huius tractatus quaestione praestabitur.

Articulus I. — *Utrum sit necessarium, praeter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi* [1].

1. Status quaestionis. — Cum res homine inferiores doctrinae sint incapaces, angelicae autem cognitionis consideratio ad nos modo non spectet, hinc quaestio hic proposita est de necessitate alterius doctrinae praeter philosophicas disciplinas, pro genere humano, et quidem pro humani generis bono.

Ubi, sub nomine *philosophicarum disciplinarum* venit quidquid homo, ope naturalis luminis intellectus agentis, per abstractionem a rebus sensibilibus, cognoscere potest; ideoque de *alterius doctrinae*, quae videlicet sit altera *formaliter*, nempe, quantum ad lumen seu cognoscibilitatis rationem qua attingit suum obiectum, necessitate, hic quaeritur. Quocirca, nomine *alterius doctrinae* hic non debet intelligi expresse aut *fides* quae est cognitio sine evidentia, aut *scientia theologica* quae est de conclusionibus evidentibus ex principiis fidei deductis, sed in genere talis doctrina, quae contra doctrinam philosophicam dividatur. Quaenam autem haec doctrina sit, ex decursu quaestionis apparebit.

Porro, cum de tali doctrina quaeratur utrum *necessaria* sit, necessarium autem aliquid possit esse secundum unum vel alterum causarum genus [2], evidens est hic non agi nisi de necessario quod se tenet ex parte *finis*, nempe de eo sine quo finis aut *absolute* obtineri non potest, quo sensu solet

[1] Notandum, in antiquioribus S. Thomae editionibus, legi, non *philosophicas*, sed *physicas*, et recte: olim enim nomen *philosophia*, non contra *theologiam*, ut nunc fieri solet, adhibebatur; sed, ut ex derivatione φίλος, *amicus*, et σοφία, *sapientia*, effertur, synonymum erat sacrae doctrinae; physicae autem, seu naturales, habebantur doctrinae rationis exercitationi proportionatae. — [2] Cf. 1. Quaest. LXXXII, art. 1.

dici cibus ad vitam necessarius, aut non ita *bene* obtinetur, sicut cum dicimus equum ad iter faciendum necessarium esse. Quaestio igitur est utrum homini, praeter disciplinas naturales, necessaria sit, sive absolute, sive relative, doctrina formaliter ab istis distincta. – Consulto autem in titulo diversa nomina ponuntur, *disciplina* et *doctrina*: cum enim illa sit passive in addiscente, haec autem active in docente, satis innuitur quaestionem hoc sensu exponi posse: utrum ille qui, per hypothesim, omnium naturalium scientiarum placita et conclusiones calleat, ita perfectus sit in sua cognitione, ut nullius alterius scientiae auxilio indigeat, quam debeat a superiori magisterio, tanquam attentus discipulus, adipisci.

2. — **Errores.** — Huic quaestioni negative prorsus respondent *naturalistae*, sive antiquiores cum *manichaeis*, sive recentiores cum *deistis* et *rationalistis*: hi omnes enim in hoc conveniunt, rationem humanam sibi sufficere, nec esse aliquid expetendum quod altiori magisterio tradatur. Horum rationes, ut ad quaedam capita reducantur, longius enim foret uniuscuiusque aberrationes percurrere, ita ordinatim possunt exponi.

Qui negat necessariam esse, praeter philosophicas, seu naturales disciplinas, aliam, hancque superiorem, doctrinam, α) aut eo movetur quod fidei principia ex quibus, ut dicemus, haec scientia initium sumit, et conclusiones inde deductas *specifice eadem* esse reputat cum principiis et conclusionibus naturalium scientiarum; β) aut, licet distincta habeat, tamen existimat *fieri non posse aut non expedire* ut a Deo tradantur; γ) aut rursus, quanquam hanc revelationem uti possibilem agnoscat, tamen *superfluam* prorsus, *nullius utilitatis* esse praedicat; δ) aut, si quidem eam utilem secundum quid habeat, tamen fidem *inferiorem* esse retinet scientiis naturalibus, et ab hisce *iudicandam*; ε) aut denique, quanquam eam superiorem esse admittat, nihilominus contendit fidei mysteria homini satis evidenter *innotescere non valere*, ut assensus illius concilietur.

3. — **Condemnatio.** — Qui omnes errores ab Ecclesia formaliter proscripti sunt. Cum enim Concilium Vaticanum

de Deo naturali ratione cognoscibili, edisserens [1], solemniter declarasset *placuisse eius sapientiae et bonitati alia, eaque supernaturali, via, seipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare,* singillatim definit: — α) *Si quis dixerit fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, anathema sit* [2]; et iterum: *Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam, ex naturalibus principiis, intelligi et demonstrari, A. S.* [3].

β) *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam, homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, A. S.* [4].

γ) *Si quis dixerit hominem, ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, A. S.* [5].

δ) *Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, A. S.* [6]. Et iterum: *Si quis dixerit parem esse conditionem fidelium, atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demostrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, A. S.* [7].

ε) *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, A. S.* [8]. Et rursus: *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, A. S.* [9].

4. — Divisio articuli. — Quae cum ita constiterint, ut ordinatim in re tanti momenti procedamus, primo loco enu-

[1] Sess. III, c. II, *de Revel.* — [2] Can. III, 2. — [3] Ibid., IV, 1. — [4] Ibid., II, 2. — [5] Ibid., II, 3. — [6] Ibid., III, 1. — [7] Ibid., 6. — [8] Ibid., 3. — [9] Ibid., 4.

cleandus veniet proprius conceptus ordinis supernaturalis, tum ontologice, tum logice, seu tum in se, tum quantum ad illius cognoscibilitatem; postea, statuto quod dantur veritates quae humanae rationis captum totaliter excedunt, necessitas constabilietur cuiusdam doctrinae revelatae, sive per respectum ad ea quae homo per se attingere non potest, sive per respectum ad ea quae humana ratione investigari possunt; demum, assignata formali differentia inter sacram Doctrinam et theologiam naturalem, expositione relationum fidei ad rationem articulus claudetur.

5. — **Ordo supernaturalis.** — Quoniam ea omnia quae in hac scientia traduntur, in tantum sacra Doctrina considerat, in quantum ad ordinem supernaturalem formaliter pertinent, hinc opportunum erit quid *ordinis supernaturalis* nomine veniat, ratione deducta ex eo quod per *ordinem* communiter significatur, in antecessum definire.

Porro, ad ordinem habendum requiruntur: *primo*, multitudo quaedam; *secundo*, eorum quae in multitudine continentur dispositio, et quidem secundum prius et posterius; *tertio* ut haec dispositio fiat ab aliquo agente; *quarto* demum, ut sit secundum aliquam determinatam rationem. Hinc ordo solet definiri: *Dispositio et coordinatio plurium secundum prius et posterius determinata ratione ab aliquo intellectu dirigente*; in qua definitione quatuor causarum genera, ut patet, reperiuntur; et secundum naturam istarum causarum est distinctio ordinis naturalis ab ordine supernaturali.

Revera, quia bonum est finis uniuscuiusque rei, α) causa *finalis* rei in ordine naturali est bonum naturae suae creatae proportionatum, et quidem pro homine est communicatio naturalis divinae bonitatis, eiusque cognitio mediantibus Dei effectibus; rei vero in ordine supernaturali finis est bonum excedens proportionem naturae creatae, scilicet divinae bonitatis communicatio quae naturae capacitem supergreditur, et immediata existit per operationem intellectus et voluntatis.

β) Rursus causa *materialis* rei in ordine naturali est capacitas seu potentia naturalis creaturae ad propriam perfectionem secundum principia essentialia ac proprietates rei,

quae potentia apta nata est in actum reduci per proprias vires naturales uniuscuiusque rei; rei vero in ordine supernaturali causa materialis est capacitas non viribus propriis rei, sed solius agentis primi efficacia mensuranda et complenda, quae dici solet potentia obedientialis.

γ) Deinde, in ordine naturali, causa formalis *extrinseca* seu *exemplaris* alicuius rei sunt ideae in mente divina; *intrinseca* vero est uniuscuiusque rei quidditas, seu, ut dicitur, *quod quid erat esse* rei constitutivum et distinctivum ab aliis; in ordine autem supernaturali causa formalis *extrinseca* est ipse Filius Dei naturalis Homo factus, ad cuius filiationis imitationem in filios adoptivos adsciscimur; causa vero formalis *intrinseca* constitutiva est quid additum supra naturam hominis, scilicet participatio divinae naturae lumine gratiae in via, et gloriae in patria.

δ) Demum, in ordine naturali causa *efficiens principalis* Deus est, ut operatur secundum unitatem suae essentiae, ad communicationem suae naturae modo communi; in ordine autem supernaturali efficiens causa Deus pariter est et quidem secundom unitatem essentiae, cum omnia opera Dei ad extra sint ab eo secundum unitatem essentiae; sed tamen sic operatur, ut in creatura inducat communicationem suae naturae secundum personarum Trinitatem; quocirca, in rerum naturalium universo inveniuntur quidem Trinitatis vestigia, sed subobscura tantum et caligine obducta; in homine autem, secundum quod in ordine supernaturali constitutus reperitur, attenditur Trinitatis imago *secundum verbum conceptum de Dei notitia et amorem exinde derivatum* [1]; unde de tali dicebat Christus [2]: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* scilicet divina Trinitas secundum personarum distinctionem [3]. At, post Incarnationem Verbi, datur etiam causa *efficiens instrumentalis*, nempe Christus secundum suam humanitatem, necnon sacramenta ab ipso instituta.

Igitur, definiri potest ordo supernaturalis, *dispositio et coordinatio creaturae rationalis a Deo in finem vitae aeternae, per gratiam Christi, in divinae Essentiae visione obtinendum.*

[1] 1, Quaest. XCIII, art. 8. — [2] Io., XIV, 23. — [3] Cf. Card. Satolli, *In Summa Theol. S. Thomae Aq.* Vol. I, pp. 28 seq. Romae, 1884.

6. — Ad hunc statum ordinis supernaturalis primus homo in ipso suae creationis exordio evectus est. — Revera legimus [1]: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus* (primum) *hominem rectum*, et cum eo virtute totam illius progeniem [2]; et licet ille a gratia, in qua conditus fuerat, deciderit, hominesque omnes ex eo orti originali peccato inficiantur, unde nec supernaturalia operari valent, tamen nec ille nec isti ab hoc ordine penitus sunt eiecti: cum enim ex fine formam desumi oporteat, homo autem peccator licet gratia actu careat, et sic fine suo actu frustretur, tamen, cum non possit non ordinari ad illam aut quandoque habendam, aut saltem habitu aliquo modo possibilem, hinc nullus est omnino ex Adam progenitus, qui ab isto supernaturali ordine totaliter excludatur. Quocirca, licet ille qui gratia destituitur ea quae propria sunt ordinis supernaturalis *non operetur*, cum vita, in qua operatio consistit, careat, tamen non cessat aliquam, saltem *radicalem*, aptitudinem habere ad finem et ad formam huiusmodi ordinis.

Ex quo patet quam falso Professor St. George Mivart scripserit: *Docet Ecclesia hominem baptismate carentem, cum ad altum naturalis virtutis gradum pervenerit, consentaneasque adspirationes ad divinas res elicuerit, a Deo ad statum supernaturalem elevari, et hoc est baptismus desiderii* [3]: in quo non modo reprehendendus est auctor quod supponit hominem non baptizatum nullo modo pertinere ad ordinem supernaturalem, verum etiam quod innuit hominem posse suis naturalibus viribus ad hunc ordinem elevari: quae duo tantum abest ut Ecclesia unquam docuerit, quin potius formaliter proscripsit, primum quidem in *Naturalismo*, alterum vero in *Pelagianismo*.

Nec minus erronee antea scripserat idem auctor: *Homo in statu naturae, ille est quem videmus extra christianam religionem* [4]; nedum enim ordo supernaturalis quadantenus

[1] Eccles., VII, 30. — [2] Cf. 1 Quaest. XCV, art. 1. Cf. Ibid., Quaest. C, art. 1. — [3] *The Church teaches that when any unbaptized man has attained a very high degree of natural virtue with corresponding aspirations after what is divine, God raises him to the supernatural state, and this is the* baptism of desire. Happines in Hell. The XIXth. Cent., n. 190. Dec. 1892, p. 904. — [4] *Man in a state of nature is man as we see him apart from Christianity.* P. 903.

complectitur totum humanum genus, eo quod omnes homines, etiam gratia carentes, sunt ad gratiam et gloriam, seu ad visionem divinae Essentiae, aliquo modo ordinati, verum etiam plures extra Ecclesiae corpus esse possunt, qui tamen a vitali illius animae influxu non arcentur, et qui proinde ordinis supernaturalis finem formamque actu possident.

7. — Rosminii sententia refellitur. — At neque hac in re praetereunda Rosminii sententia est, cuius positio ad *naturalismum* ducit, radices vero habet in ipsomet *pantheismo*. Hic igitur de ordine supernaturali ita loquitur [1]: *Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis: cuius communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.*

Praeiudicialiter adverti potest quod, cohaerenter ad systema Rosminii, positio ordinis supernaturalis supervacanea foret, cum, iuxta illum, sicut in ordine *ontologico* in natura universi, homo continet in se *aliquid divini sensu proprio* non autem figurato nec per participationem, ita in ordine *logico*, homo naturaliter intuetur *esse divinum ideale*, abstractum a mente divina [2], quod profecto nequit esse nisi divina essentia qualis a beatis videtur, quod formaliter spectat ad ordinem supernaturalem. Hoc tamen omisso, contra enunciatam propositionem sequentia directe animadverti possunt.

α) Ista propositione innuitur ordinem supernaturalem constitui visione Dei substantiae, seu illius formae realis: sed 1° contra fidem est Deum ab homine videri in carne mortali; et si quibusdam eminentioribus viris, sicuti Moysi et Paulo, admittitur concessa visio ista, non tamen hoc fuit per formam immanentem, sed tantummodo transeuntem, non amisso scilicet fidei lumine. 2° Nec obstat limitatio Rosminii, quod haec visio sit *inchoata* tantum in hac vita; repugnat enim esse manifestationem Dei in plenitudine formae

[1] Prop. 36 inter 40. Prop. a S. R. U. Inquisitionis Congregatione, approbante Leone XIII, die 7 martii 1888, condemnatas. — [2] Cf. Prop. 1, seq.

realis, et esse inchoatam; insuper, qui videt immediate Deum, aut videt totum, etsi non totaliter, aut illum non videt.

β) Repugnat etiam formale constitutivum ordinis supernaralis reponi in communicatione *esse* sub forma reali: nam, secundum Rosminium, haec communicatio pertinet ad intellectum, quemadmodum communicatio *esse* sub forma ideali, quod iuxta ipsum constituit ordinem naturalem, ad intellectum exclusive pertinet. Fide enim docemur [1] ordinis supernaturalis formam, post peccatum, haberi per iustificationem, quae non est nisi per infusionem gratiae sanctificantis. Gratia autem sanctificans non pertinet formaliter ad intellectum, sed ad essentiam animae; aut ad summum, si nolit distingui a caritate, ad essentiam animae et ad voluntatem, non autem ad intellectum. Ad intellectum enim pertinet fides quae, amissa etiam per peccatum gratia, adhuc remanet in intellectu [2].

8. — **Quaestio**. — *Utrum ordinis supernaturalis existentia possit solis humanae rationis viribus menti innotescere?*

Resp. Negative, cum minimum ordinis supernaturalis, improportionabiliter excedat summum ordinis naturalis, quemadmodum immediata Dei communicatio, quae quodammodo infinita est, communicationem mediatam, seu per effectus, quae finita omnino est, improportionabiliter excedit. Atqui media perducentia in alicuius rei cognitionem debent esse huic rei proportionata: unde et in rebus naturalibus videmus nullam rem posse per suam operationem perficere effectum qui virtutem suam activam excedat, sed solummodo effectum suae virtuti activae proportionatum [3]. Ergo homo per sola sua naturalia non potest ordinis supernaturalis existentiam assequi, proindeque Ecclesia iure meritoque condemnavit doctrinam Frohshammer qui contendebat philosophiam rite excultam posse, non modo percipere dogmata quae naturalis ratio cum fide habet communia, sed illa quoque quae ad

[1] Conc. Trid., Sess. VI, c. 7, et can. 10. — [2] Cf. Rosminianarum Propositionum Trutinam Theologicam in hanc prop. — [3] Cf. 1 2ae, Quaest. CIX, art. 5.

fidem proprie pertinent, qualia sunt quae ad finem hominis supernaturalem spectant; ex quo concludebat rationem ex seipsa, non ex divinae auctoritatis principio, posse ad certitudinem pervenire circa Dei eiusque attributorum mysteria [1].

9. — Nequit homo, per sua naturalia, attingere ordinem supernaturalem. — Pariter, inferri potest, haud recte absolute dici, cum recentibus quibusdam auctoribus, eo ardentius desiderari ea quae ad supernaturalem ordinem pertinent, quo maior sit illuminatio rationis naturalis; aut gratiae necessitatem eo citius percipi, quo virtutes naturales perfectius possidentur; aut denique naturalis virtutis integritatem optimam esse ad gratiam praeparationem [2]: si enim perfectio naturalis aliquando fingatur, secundum dispositionem divinae Providentiae, tanquam praeparatio aliqua ad ordinem supernaturalem, hoc nequit esse independenter a gratia movente, cum quidquid est ordinis naturalis improportionabiliter excedatur ab iis quae ad supernaturalem ordinem spectant. *Sapientiam autem,* ait S. Paulus [3], *loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quae abscondita est: quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* [4]. *Nobis autem revelavit*

[1] Vide Ep. Pii IX ad Archiep. Frising. *Gravissimas,* 11 dec. 1862: et Syllabi, prop. IX. — [2] *The craving for the supernatural, he* (Fr. Hecker) *was convinced, would be strong in proportion to the enlightenment of the natural reason; the need of the grace of God is, of course, most urgent in a sinful state, but it would be more quickly perceived in proportion to the possession of natural virtue. As the exercise of reason is necessary to faith and precedes its acts, so the integrity of natural virtue is the best preparation for the grace of God.* The Life of Fr. Hecker, by Rev. Walter Elliott. New-York, 1894, pp. 318-319. — [3] 1 Cor., II, 6-10. — [4] Is., LXIV, 4.

Deus per Spiritum suum. Et Glossa, exponens illud Apostoli [1]: *Gratia autem Dei vita aeterna. — certum est,* ait [2], *vitam aeternam bonis operibus reddi; sed ipsa opera quibus reddilur, ad Dei gratiam pertinent.*

Hinc non recte procedunt qui putant, ex eo solum quod studium scientiarum naturalium promovent, se satis homines infideles ad fidem praeparare: enimvero, sicut interdum videmus homines rudes omnisque virtutis naturalis expertes a Deo ad vitam supernaturalem actu reduci, ita, ex cuiusquam in scientiis naturalibus politiori cultura, non est inferendum illum ad veritatem supernaturalem propius accessisse; quod aperte declaravit Christus, dum ait [3]: *Confiteor tibi Pater, Domine caeli et terrae; quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Quo etiam faciunt verba Leonis XIII [4]: *Qui nova sectari adamant, naturales virtutes praeter modum efferunt, quasi hae praesentis aetatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari praestet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant* [5].

10. — Solvitur tacita obiectio. — Nec ex eo quod homo non potest, nisi Deus id revelet, ordinis supernaturalis existentiam cognoscere, vitiosus incurritur circulus, quasi revelatio, quae ad ordinem supernaturalem, tanquam illius manifestatio, pertinet, nonnisi revelatione innotescat. Nam ordinis quidem supernaturalis existentiam ex Dei revelatione cognoscimus; haec autem revelatio non alia indiget revelatione ut a nobis accipiatur; sed ex signis quibus Deus huiusmodi revelationem communivit, quae quidem signa, qualia sunt miracula, hominis experientiae et rationi omnino sunt pervia, motiva credibilitatis suppeditantur in gratiam revelationis divinae, ex qua ordinis supernaturalis existentiam accipimus.

[1] Rom., VI, 23. — [2] Ord. Aug. l. de Gr. et lib. Arb., c. VIII. — [3] Matth., XI, 25. — [4] Epist. ad Card. Gibbons, 22 ian., 1899. — [5] Huic rei attendere debent qui, in locis missionum, putant se satis propagationi Evangelii consuluisse, alumnos infideles in suis scholis solas scientias aut virtutes naturales edocendo.

Quod clare exponit Pius IX [1]: *Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus* [2], *rationabile obsequium exhibeat.* Hinc Angelicus [3]: *Naturale est homini ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde, sicut ductu naturalis rationis, homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur.* Hoc sensu edixit Alighierius, ex operibus miraculosis, qualia sunt ea in quibus natura instrumenta sua non adhibet, quemadmodum faber dum ferrum calefacit et cudit, rationem reddi credibilitatis veritatis revelatae.

... La prova che il ver mi dischiude
Son l'opere seguite, a che natura
Non scaldò ferro mai, nè battè ancude [4].

11. — Corollarium. — Ex hisce autem duo inferri possunt: *primo*, perniciosissimum esse traditionalistarum errorem qui, cum Bautain, dum rationis impotentiam exaggerant, contendunt omnem certitudinem extra revelationem habitam solido fundamento destitui, ex quo sequeretur nunquam posse hominem efficaciter manuduci in revelationis cognitionem [5]; *secundo*, summi esse momenti ut philosophus in illis rite assequendis immoretur, quae ad miraculi naturam rationemque spectant: ut visis operibus mirabilibus quae in gratiam sacrorum Librorum patrata sunt, eorum agnoscat authenticitatem, eaque ut vera habeat quae Deus revelaverit; quibus, si propter auctoritatem Dei loquentis credat, fidem habebit divinam, quae ad salutem aeternam necessaria est.

12. — Necessarium et utile. — Quae cum ita sint, iam propius ad solvendum praesentis articuli quaesitum accedendum est. Pro quo tamen advertendum est, utile pro necessario aliquando sumi, quod enim *necessarium* est semper

[1] Ep. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846. — [2] Rom., XIII, 2. — [3] 2 2ae, Quaest. CLVII, art. 1. — [4] Parad., canto XXIV, vers. 97, seq. — [5] Cf. theses a Ludov. Beautain subscriptas, 8 Sep., 1840. D.-B., n. 1622, seq.

utile est, non tamen vice versa. Nam *utile* potest dupliciter accipi: uno modo, generice, ut sic significet id quod ad finem habendum conducit, utimur enim iis quae ad finem conducunt, et sic *uti* dividi solet contra *frui;* quo sensu utile complectitur tum necessarium absolute, id est ad finem simpliciter habendum, tum necessarium *relative*, seu ad finem melius habendum. Alio modo, utile potest sumi particulariter, et tunc cum necessario relative coincidit; id enim utile proprie dicimus, quod ad finem melius obtinendum conducit.

Quocirca, ex verbis sancti Pauli [1], quae refert S. Doctor in argumento *sed contra*, nempe: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* iam inferri potest sacrae Doctrinae aliquam haberi necessitatem, seu utilitatem, nam Scriptura divinitus inspirata non pertinet ad physicas disciplinas, quae sunt secundum rationem humanam inventae. Attamen huius Doctrinae divinitus inspiratae, seu revelationis, necessitas specialius determinabitur in subsecuturis conclusionibus. — Praestat tamen praemittere, duce eodem Angelico [2], sequentem

13. — PROP. I. — Sunt quaedam vera quae omnino facultatem humanae rationis excedunt.

14. — Auctoritas. — Praeter ea quae ex Concilio Vaticano superius retulimus, sequentia firmant hanc propositionem, quae omnino de fide tenenda est. In libro Iob legimus [3]: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Pariter [4]: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram;* ex quibus apparet homini, quantumcumque in scientia sit perfectus, plura superesse, quibus comparandis quodlibet studium remanet impar.

15. — Ratio theol. — I. Quandocumque aliqua facultas non adaequat omnes rationes sub quibus suum obiectum est cognoscibile, plura sunt quae eius capacitatem excedunt. Atqui ratio humana non adaequat omnem rationem sub qua

[1] 2 Tim., III, 16. — [2] C. Gent. L. I, c. 3. — [3] XI, 7. — [4] Ibid. XXXVI, 26.

ens, quod est eius obiectum, est cognoscibile. Ergo plura sunt quae rationis humanae captum excedunt. — Revera, cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente, cognitum autem est in cognoscente per modum cognoscentis. Qualis igitur est natura cognoscentis, talis est eius obiectum proprium et proportionatum. Intellectus autem hominis est quidem forma immaterialis, tamen est facultas animae, quae est materiae ligata. Eius igitur obiectum proprium et proportionatum est forma seu quidditas, quae omnino immaterialis est, tamen est rei alicuius in materia existentis. Sed non omnis ratio sub qua ens est cognoscibile, est quidditas rei in materia: sunt enim multa entia, ut v. gr. angelus et Deus ipse, quorum ratio non est quidditas in materia. Haec igitur superant captum naturalem humanae mentis; et licet fieri possit ut mens hominis, corpori adhuc unita, ita a Deo nobilitetur et elevetur, ut proportionata fiat videndae quidditati et angelorum et ipsius Dei, tamen hoc naturale non est homini in hac vita; unde plures sunt rationes sub quibus ens est quidem cognoscibile, quae tamen proportionem humani intellectus excedunt.

II. Hoc quoque apparet ex comparatione instituta inter diversorum cognoscentium intellectus. Invenimus enim plurimum differre doctioris cuiusdam viri intellectum ab intellectu rudis, ita ut huius cognitio minima omnino sit respectu cognitionis illius, licet in eadem specie sit uterque intellectus. Quanto magis igitur intellectum humanum superare debent intellectus angelicus, qui superioris est speciei, et intellectus divinus qui simpliciter infinitus est! Sane intellectus noster, horum respectu, *scintilla* tantum intelligentiae est, ut ait Plato [1].

III. Quod confirmatur defectu quem in rebus, etiam maxime perviis, cognoscendis quotidie experimur. Revera, intellectus noster, ut ait Philosophus [2], *ita se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertitionis ad solem* [3]; unde plurimas rerum sensibilium pro-

[1] In *Timaeo*. — [2] L. II METAPH., c. 1. — [3] Verba Aristotelis sunt: *Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea quae manifestissima omnium sunt.*

prietates ignoramus, nec perfecte earum proprietatum quas cognoscimus, rationem in plerisque invenire possumus; unde multo minus naturam illius excellentissimae substantiae, quae omnia transcendit, cognoscere valemus. Quapropter cum Salomone concludendem est [1]: *Difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt, quis investigabit?*

16. — PROP. II. — **Necessarium fuit, ad humanam salutem, esse doctrinam quamdam revelatam.**

17. — **Prob.** — Qui ordinatur ad aliquem finem, qui rationis comprehensionem excedit, debet de hoc fine per doctrinam aliquam revelatam instrui. Atqui homo elevatus ad ordinem supernaturalem ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem qui rationis comprehensionem excedit. Ergo necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt. — *Conclusio*, uti patet, est de necessitate absoluta; *maior* vero sic ostenditur.

Ex fine oportet accipere rationem eorum, quae ad finem ordinantur. Nam, in unoquoque genere, id quod est principium est mensura et regula eorum quae sunt in illo genere. Atqui, finis se habet in agibilibus, sicut principium in speculativis. Ergo, sicut nihil constat firmiter secundum rationem speculativam, nisi per resolutionem ad prima principia; ita nihil per rationem practicam constat, nisi per ordinationem ad ultimum finem. Igitur, qui ad finem supernaturalem ordinatur, nequit efficaciter ad illum finem tendere, nisi ipsi ea quae ad hunc finem spectant divinitus revelentur.

Circa *minorem*, quae quidem ex deductis superiori loco resultat, advertatur, non recte cum Scoto dici, finem ad quem homo ordinatur a Deo, esse solum supernaturaliter adipiscendum, in se autem esse simpliciter naturalem, proindeque hunc finem esse nobis ignotum, solum quia anima nostra non est nobis naturaliter nota sub illa speciali ratione qua ordinatur ad finem illum. — Finis enim ille est simpliciter

[1] Sap., IX, 16.

supernaturalis, quia excedit facultatem totius naturae creatae; et nonnisi secundum quid naturalis dici potest, nempe in quantum non est extra latitudinem capacitatis animae, secundum quod ista capacitas efficacia primi agentis mensuratur, seu secundum potentiam obedientialem.

18. — Utilitates homini ex tradita revelatione obvenientes. — Nec ex tradita homini revelatione parvae consequuntur utilitates; α) ex hoc enim homo inducitur ad altiorem de Deo opinionem concipiendam, cum profunditatem illius scientiae attingere se non posse percipit; β) excitatur eius desiderium divina, terrenis hisce contemptis, capessendi; γ) demum tantum abest ut revelatione praesumptio accendatur, quin potius vehementer reprimitur, dum ea quae traduntur, intellectu in obsequium redacto, fide credenda suscipiantur oportet. Nam si praesumptionis signum est ad ea conari quae supra rationem sunt, animi humiliter subiecti officium est revelata a Deo per fidem suscipere. Unde, cum Spiritus Sanctus dixisset [1]: *Altiora te ne quaesieris*, mox subdit [2]: *Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper;* et [3]: *Plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi* [4].

19. — PROP. III. — Necessarium fuit hominem divina revelatione instrui, in illis quoque quae de Deo humana ratione investinari possunt.

20. — Exponitur. — Huiusmodi sunt veritates quas mens humana propriis viribus cognoscere potest, verbi gratia, Deum esse unum, simplicem, bonum, iustum, infinitum, aeternum; sed et eae insuper veritates quae alias quoque res, prouti tamen ad Deum referuntur. complectuntur, ut, mundum esse a Deo creatum, homini esse animam spiritualem, immortalem. parentes coli debere, etc.: quae proinde revelata non *per se.* sed *per accidens* dici possunt, cum comparari possint via inventionis, non autem necessario via auctoritatis. Necessitas igitur hic posita respicit finem, non ut simpliciter habendum, sed ut melius habendum; ex huiusmodi autem

[1] Eccli., III, 22. — [2] Ibid. — [3] Vers. 25. — [4] Cf. ad 1[m].

positione sequetur revelationis depositum constare tum veritatibus per se revelatis, tum veritatibus revelatis per accidens.

21. — **Prob.** — Veritates naturaliter cognoscibiles quae sunt circa Deum et hominem, prout hic ad Deum refertur, tales sunt, ut α) *ab omnibus adultis.* β) *statim,* γ) et *sine admixtione errorum* cognosci debeant, ut videlicet ipsi salutem suis operibus assequi valeant. Atqui nisi revelentur huiusmodi veritates, nonnisi α) a paucis, β) post longum tempus, et γ) cum admixtione errorum cognosci possunt. Ergo necessarium fuit hominem de divinis ad se spectantibus, etiam naturaliter cognoscibilibus, per revelationem instrui.

Ratio *maioris* ex eo deducitur, quod ab huiusmodi veritatum cognitione dependet tota hominis adulti salus, quae in Deo est.

Minor evolvitur. Huiusmodi veritates, nisi revelentur, non possunt cognosci nisi α) a *paucis,* tum ob aliquorum physicam indispositionem, tum ob aliorum rei familaris procurandae necessitudinem, tum denique ob plurimorum moralem tarditatem seu pigritiam; β) *post longum tempus.* tum propter profunditatem huiusmodi studii, tum propter multa quae ad hoc studium praeexiguntur, tum denique propter iuventutis calescentem ardorem, quae nonnisi in quiescendo fit prudens et sciens; denique γ) cum *admixtione errorum,* tum propter phantasmata comitantia nostras intellectuales operationes, tum etiam propter diversa aliquorum, qui sapientes falso reputantur, peregrina, imo erronea opinamenta.

22. — **Scholion.** — Cuius rei confirmationem habemus in infinitis erroribus quos sive antiquitas revelatione carens, sive recentia tempora revelationem respuentia peperere. Quocirca veritates a Deo, sive de se, sive de homine revelatas, grato et omnino obsequenti animo suscipere homo debet, ut iam non ambulet *sicut et gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum* [1].

Attamen caveat quis sedulo oportet, ne talis revelatio-

[1] Eph., IV, 17, 18. Cf. C. Gent., l. I, c. 4, et 2 2ae, Quaest. II, art. 4.

nis necessitatem ita extollat, ut contendat rationem divina revelatione non suffultam, nullam posse, etiam minimam, rerum spiritualium et moralium notitiam accipere, quod quidem *traditionalistae mitiores* perperam docent, cum, ut ait Angelicus [1], *ex rebus materialibus ascendere* (possimus) *in aliqualem cognitionem immaterialium*, licet haec perfecta non sit, *quia non est sufficiens comparatio rerum materialium ad immateriales.*

23. — PROP. IV. — Theologia, quae ad sacram Doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur et vocatur theodicaea [2].

24. — Exponitur. — Adiicitur haec propositio, ut statuatur proprium discrimen inter sacram theologiam, et theologiam naturalem, quae etiam theodicaea audit: quod discrimen hic non dicitur esse speciei a specie, sed generis a genere.

Ad cuius evidentiam recolendum est discrimen inter scientias, non ex *obiecto maieriali* sumi debere, plures enim scientiae de eodem obiecto tractare possunt, sicut medicina, anatomia, philosophia naturalis de hominis corpore pertractant, sed ex *obiecto formali sub quo* unaquaeque scientia attingit suum obiectum, seu ex ratione cognoscibili, aut lumine seu medio *sub quo* hoc obiectum attingitur. Unde dicit Angelicus quod diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit, sive videmus quod eamdem quidem conclusionem demonstrat et astronomus et philosophus naturalis, puta terram esse rotundam; sed ille per medium mathematicum, id est a materia sensibili abstractum, hic vero per medium circa materiam sensibilem consideratum.

Revera, astronomus ostendit terram esse rotundam per eclipsim, puta lunae, interpositione terrae inter solem et lunam umbram in hac per lineam circularem producente, in quo quidem abstractio a materia sensibili habetur; philosophus autem naturalis seu physicus idipsum ostendit, sive ex sphaerica superficie aquarum, sive ex casu gravium ad centrum per lineas non parallelas, sed convergentes, quod medium circa materiam sensibilem versatur.

[1] 1, Quaest. LXXXVIII, art. 2 ad 1[m]. — [2] Ad 2[m].

Atqui diversa est ratio cognoscibilis, seu medium *quo* utitur qui de Deo agit naturaliter, et qui de illo tractat secundum revelationis principia; ille siquidem de Deo agit, sicut de iis de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod est cognoscibilis lumine naturalis rationis; hic autem secundum quod cognoscitur lumine divinae revelationis. Et quia in alio ordine sunt lumen naturale et lumen divinae revelationis, hinc consulto dictum est differre sacram theologiam a theologia naturali seu theodicaea, non secundum speciem tantum, sed secundum genus [1].

25. — PROP. V. — **Veritati fidei non contrariatur veritas rationis.**

26. — **Ostenditur.** — Veritas, *formaliter* accepta, invenitur in intellectu, secundum quod apprehendit rem ut est: *fundamentaliter* autem est in re, secundum quod res habet esse conformabile intellectui; quod maxime invenitur in Deo, cuius esse non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere. Intelligere autem Dei est mensura et causa omnis alterius esse et omnis alterius intellectus: cum autem Deus sit ipsum suum esse et intelligere, sequitur quod non solum in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa summa et prima veritas [2].

Continet igitur divina Sapientia omnem, quaecumque illa sit, veritatem, sive ista menti nostrae ex inspectione rerum pateſiat, sive revelatione et fide accipiatur. Unde quodcumque verum sit, id ex uno eodemque fonte, qui Deus est, repeti necesse est, quem impossibile est in contradictionem induci, secus seipsum negare deberet. Revelatio igitur non est rationis negatio, sed elevatio, non destructio, sed aedificatio; ista illius viam sternit, hanc illa complet, illiusque potentialitatem modo superius indicato exhaurit, quo sensu dicit S. Augustinus [3]: *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum: habere autem fidem quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium*, cui praeluserat Apostolus scribens [4]: *Prope est verbum in corde tuo et in ore*

[1] Ibid. — [2] 1, Quaest. XVI, art. 5. — [3] L. de Praedest. SS., c. V, t. X, p. 797. — [4] Rom., X, 8.

tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus. Quocirca impossibile est aliquod verum dissidium inter fidem et rationem unquam existere [1].

Ubi tamen monendum censemus, ne tanquam veritas revelata habeatur cuiusvis theologi privatum opinamentum; at longe sedulius cavendum est ne rationis veritas confundatur cum multiplicibus illis hypothesibus, peregrinisque figmentis, quae a fertilibus aliquorum cerebris, maxime circa rerum mundanarum originem, de die in diem concipiuntur.

27. — PROP. VI. — **Revelatio fidei supra rationem est omnino agnoscenda.**

28. — **Prob.** — Licet utraque veritas, rationis scilicet et revelationis fidei, sit a Deo, haec tamen a Deo ad nos immediate pervenit, illa autem mediate; unde fides proprie innititur auctoritati Dei loquentis, quem falli aut fallere omnino impossibile est; veritas autem naturalis innititur rationi, quae finita est, et ab omni errore in suo discursu libera non est. — Quocirca revelatio super rationem eminet, non modo propter *originem*, necnon propter *certitudinem* quae, in revelatione, ipsa Dei loquentis veritate mensuratur; sed etiam propter *supereminentiam* veritatum fidei super veritates rationi pervias [2]. Ex quo sequitur Ecclesiam, cui revelationis depositum divinitus commissum est, iure et officio gaudere etiam in philosophiam animadvertendi, falsique nominis scientiam proscribendi, fidelesque, adhibitis etiam censuris, ab huiusmodi erroribus arcendi.

[1] Notari hic potest, quam longe sint a vero illi, ex modernistis, quibus visum est nullam, fidem inter et rationem, discrepantiam esse, eo quod, ad diversos ordines pertinentes, nunquam possunt, sicut lineae parallelae, ad invicem convenire. — [2] Sic canit ALIGHERIUS:

Quanto ragion qui vede
Dir ti poss'io: da indi in là t'aspetta
Pure a Beatrice, ch'è opra di fede.

Purgat. XVIII, 46.

Notandum est Beatricem in Alighierii poemate, theologiam designare.

29. — Syllabus Pii IX. — Quae omnia in Syllabo Pii IX declarata sunt, sequentibus damnatis propositionibus:

α) *Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat* [1].

β) *Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni* [2].

γ) *Cum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt* [3].

δ) *Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat* [4].

ε) *Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione* [5].

Articulus II. — *Utrum sacra Doctrina sit scientia.*

1. — Ratio articuli. — Statuta iam sacrae Doctrinae necessitate, subit modo resolvenda secunda quaestio *quid sit.* Porro, cum scire sit, ut docet Philosophus, cognoscere de aliqua re causam propter quam res est, et quod illius causa est, et quod non contingit aliter se habere, unde scientia definitur, *cognitio certa et evidens veritatis necessariae per causas*, ideo quaerere utrum sacra Doctrina sit scientia, idem est ac quaerere utrum ipsa talis existat, ut nata sit gignere conclusiones certas et evidentes ex firmis principiis per demonstrationem deducendas, seu utrum sit habitus scientificus, cum habitus, iuxta S. Augustinum [6], aliud non sit, nisi *cuiusque disciplinae perceptio usu roborata atque firmata.*

Ubi a sancto Thoma, tenente sacram Doctrinam esse scientiam, dissentiunt Scotus et Durandus; at cum alius habitus intellectualis esse non possit, non enim est intellectus

[1] Prop. IV. — [2] Prop. VI. — [3] Prop. VIII. — [4] Prop. XI. — [5] Prop. XIV. — [6] L. LXXXIII Quaest., q. 73, t. VI, p. 64.

principiorum, cum sit de conclusionibus, neque fides, cum haec circa articulos fidei, qui sunt inevidentes versetur, nec opinio, cum theologia certitudine gaudeat, sed nec prudentia, quae est recta agibilium ratio, hinc negato quod sacra Doctrina sit scientia, aliud fingi non poterit, nisi quod mera sit veritatum series aut nomenclatura, absque necessario ordine et dependentia, quo profecto huius Doctrinae dignitati haud leviter derogatur. — Hinc cum S. Thoma [1] ponimus sequentem

2. — PROP. I. — Sacra Doctrina est veri nominis scientia.

3. — Sacra Scriptura. — Imprimis hoc apparet ex *Sacra Scriptura*, in qua doctrina ista saepius nomine scientiae appellatur, ut [2]: *Dedit illi scientiam sanctorum;* pariter [3]: *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei;* rursusque [4]: *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Idipsum confirmatur tum exemplo Christi, dum, verbi gratia [5], ex eo quod David vocat illum dominum suum, tacite arguit se ex altiori principio quam esset ipse David, ortum habere; tum exemplo apostolorum, Pauli praesertim, dum argumentatione utuntur ad mysteria religionis christianae evolvenda seu explicanda.

4. — Traditio. — α) Quin et tota Patrum Ecclesiae *traditione*, a primis saeculis usque ad praesens tempus, idipsum ostenditur, in quorum tractatibus scientificae methodi primo tentamina evincuntur; tum, praesertim a S. Ioanne Damasceno deinceps, progressus iugiter crescentes ostenduntur, usquedum in media aetate, ope praecipue Angelici [6] et Seraphici [7] Doctorum, et scholarum quibus originem, nomenque dedere, scholastica methodus, quae proprie scientifica est, ita Ecclesiae est incorporata, ut eius arx et munimen, necnon tutissimum propugnaculum dici possit.

[1] Hic, et 2 2ae, Quaest. I, art. 5, ad 2um. — [2] Sap., X, 10. — [3] Ibid., XIII, 1. — [4] Os., IV, 1. — [5] Matth., XXII, 42, seq. — [6] S. Thomae. — [7] S. Bonaventurae.

Quod bene novere hostes, qui nunquam Ecclesiae doctrinam aggredi ausi sunt, nisi prius scientificam hanc methodum evertere conarentur; moeniis siquidem dirutis, civitatem cito everti posse confidebant. Scholastica enim methodus, ut differt a positiva, accuratiori utitur stylo, dempta superfluitate verborum, conclusiones quoque statuit exactiores logico ordine colligatas, quas et rationibus etiam philosophicis comprobat. In illa habetur, ut pulcre exponit Sixtus V [1], *apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tanquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta tanquam veste detracta, patefiunt et denudantur.*

5. — Utilitas et necessitas sacrae Doctrinae. — Quaenam autem sit huius praestantis scientiae utilitas et necessitas, idem Pontifex exponit [2]: *Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores, proficiunt in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est.* Hinc S. Augustinus [3], huius *scientiae* partes complectens, id illi iam tribuerat, *quo fides saluberrima..... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Quo sensu etiam Leo XIII [4], cum dixisset sacram theologiam *multiplici eruditionis adiumento iuvari atqui illustrari*, mox subiicit: *Sed omnino necesse est* (eam) *gravi scholasticorum more tractari,*

[1] Bulla *Triumphantis*, 14 Mart., 1588. — [2] Ibid. — [3] L. XIV. de Trin., c. I, t. VIII, p. 948. — [4] Encycl. *Aeterni Patris*, 4 aug., 1879.

ut, revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, invictum fidei propugnaculum [1] *esse perseveret.*

6. — Doctrinae scholasticae minime detrahendum. — Quocirca, Pius IX scholasticae detrahentes his severis verbis compescuit [2]: *Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem Scholam, et adversus doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit ut ex eorumdem doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sanctis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.*

7. — Scholion. — Ex quibus hoc unum inferri potest, nimis illos leviter loqui, qui Scholasticae succensent, quod de numero rerum ad fidem pertinentium, qualia sunt sacramenta, dona Spiritus Sancti, virtutes theologales, petitiones orationis dominicae, et cetera huiusmodi, rationem reddere conetur. Quod utique vanum esset, si Deus in suis operibus nullo duceretur consilio, aut si theologi scholastici suae imaginationis figmenta, tanquam veritatis regulam, *a priori* proponerent; sed quoniam Dei sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [3], homo autem a Deo invitatus fuit ad divina, ex iis quae revelata sunt, sub traditionis magisterio intimius capessenda, hinc qui student rationem numerorum ad fidem pertinentium investigare, non modo laude digni sunt quod Deum propius cognoscere nituntur, sed etiam, dummodo ad analogiam fidei et traditionis regulam attendant, propriam harum rerum rationem se invenisse gaudere possunt.

[1] Verba sunt Sixti V, in Bulla cit. — [2] Ep. ad Archiep. Frising., 21 dec., 1863. — [3] Sap., VIII, 1.

Nam *numeros in Scripturis esse sacratissimos, et mysteriorum plenissimos, ex quibusdam quos inde nosse potuimus dignissime credimus,* ait S. Augustinus [1], qui et plurium in Scriptura numerorum arcana mysteria luculenter pandit [2]; sed et ipsamet Ecclesia horum numerorum rationem accurate tradi iussit, pastoresque vehementer hortata est, ut in istis populo christiano explicandis, quasi magna exhinc utilitas derivaretur, insisterent, dum ex iis quae in sacrosancta Tridentina Synodo tradita fuerant, Catechismum ad Parochos fieri curavit [3].

Quocirca scholasticam irridere [4], quod de hisce numeris rationem reddere conetur, sibi vult aut reputare Deum inconsulto omnia peregisse, aut tenere scholasticam ipsam, quam tanquam propriam scientiam Ecclesia agnoscit, incassum ad fidei aedificationem adhiberi. Atqui, primum simpliciter impium est; alterum vero condemnatum manet in hac Syllabi Pii IX propositione [5]: *Methodus et principia quibus antiqui Doctores Scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus, scientiarumque progressui minime congruunt.*

8. — Rat. theol. — Ratione quoque constat sacram Doctrinam veri nominis esse scientiam. — α) Imprimis ipsa conditiones implet quas supra ad scientiam requiri diximus. Enimvero, I, *certitudinem* habet suorum principiorum, quae sunt veritates a Deo revelatae, cuius loquentis auctoritas firmitatem adhaesionis mentis nata est gignere metaphysica maiorem; II, tum *nexum* ostendit conclusionum suarum cum principiis revelatis; necnon, III, *necessariam habitudi-*

[1] QQ. IN GEN., qu. 152, t. III, pars. I, p. 416. — [2] Vide GAUME, *Traité du Saint-Esprit*, vol. II, cc. 22, 23. — [3] Vide P. II, n. 20, etc. — [4] Modernistarum, et, generaliter loquendo, omnium larvatorum hostium Ecclesiae mos fuit Scholasticae methodo succensere; ita ut Scholasticae odium tanquam certissimum indicium periclitantis fidei habendum sit. Hodiernorum inimicorum Ecclesiae insectationibus praeivere, initio saeculi decimi octavi, obtrectationes gallicani FLEURY, *Cinquième discours sur l'Histoire Ecclésiastique*, in HISTOIRE ECCLÉS., t. XVII. — [5] Est XIII[a].

nem conclusionis ad principia. Ergo sacrae Doctrinae nihil deest, quominus sit scientia proprie dicta.

) Idipsum suadetur ex analogia inter ordinem naturalem et supernaturalem. Cum enim hic illum elevet et perficiat, ideo habitudo quaedam proportionis inter utrumque existat oportet. Atqui ordinis naturalis ea est conditio, ut quae disciplinae de rebus in eo contentis pertractant, scientiae dignitate gaudeant. Ergo nec congruit ut doctrina illa, quae ordinis supernaturalis veritates complectitur, a scientiae ratione deflectat.

9. — Duplex scientiae genus. — At vero, ad praesentis doctrinae pleniorem evidentiam necesse est distinguere scientiam *subalternantem* a scientia *subalternata* aut *subalterna*. Prior illa est, quae procedit ex principiis notis lumine naturali intellectus, altera vero, quae procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae. Exemplum prioris generis habetur in arithmetica vel in geometria, quarum principia sunt naturaliter nobis nota; perspectiva vero aut optica, et musica aut statistica, cum earum principia notificentur respective per geometriam et arithmeticam, sunt, relate ad istas, scientiae subalternae.

Porro, si velint *comparari* ad invicem, quoniam de ratione scientiae, ut dividitur contra habitum principiorum, est ut habeat conclusiones visibiles non in se, sed in alio, dicendum est scientiam subalternantem habere conclusiones visibiles *in et ex principiis per se notis immediate*, id est nullo mediante habitu scientifico; dum scientia subalternata conclusiones habet visibiles *in et ex principiis per se notis* non immediate, sed *mediante habitu scientifico subalternante*. Ex quo sequitur quod, quia omnis scientia requirit continuationem ad habitum superiorem, quo sensu etiam solet dici quod ibi incipit medicus ubi desinit physicus, subalternans continuatur immediate primis principiis per se notis, subalternata vero tantummodo mediate [1]. — Hisce positis dicimus

10. — PROP. II. — Sacra Doctrina est scientia subalternata per respectum ad scientiam Dei et beatorum.

[1] Cf. CAIET., in h. l.

11. — **Exponitur.** — Revera, scientia nostra theologica in tantum est scientia, in quantum procedit ex principiis notis, non immediate lumine naturali intellectus, sed lumine superioris scientiae, id est scientiae Dei et beatorum. Nam beati, per lumen gloriae, quod in ipsis est habitus supernaturalis quidem, sed eos reddens aptos et proportionatos videndae divinae Essentiae et in ipsa alias res, immediate vident in Verbo eas veritates quae sunt principia nostrae scientiae theologicae, et quas, licet inevidentes nobis, tamen certissime retinemus propter auctoritatem Dei loquentis. Ergo scientia nostra est subalternata scientiae Dei et beatorum, sicut musica, quae evidentiam principiorum suorum in arithmetica habet, est huic subalternata.

12. — **Notanda.** — Hic tamen tria advertisse iuvabit. — α) Non est extendenda per omnia comparatio quam habet S. Doctor musicae ad arithmeticam cum theologia nostra ad theologiam beatorum; siquidem musica, in eo qui arithmeticam non callet, scientia proprie non est, cum talis assentiatur principiis arithmeticae solum per fidem humanam, quae ratio assentiendi infirma est et ad scientiam non sufficiens: dum theologus credens fidei principia, certitudinem quammaximam de illis habet. Igitur comparatio in eo formaliter sita est quod, sicut aliqua disciplina, qualis est musica, scientia esse potest, licet a superiori scientia mutuetur evidentiam suorum principiorum, ita et quod theologia nostra a scientia Dei et beatorum sua sumat principia, non officit quin illa sit veri nominis scientia.

β) Nec eodem modo dici potest subalternata theologia nostra relate ad theologiam beatorum, quo musica respectu ad arithmeticam: nam huius et obiectum, nempe numeri, aliud est ab illius obiecto, quod est sonus, et conclusiones sunt proprie principia illius. At idem est obiectum formale theologiae nostrae et beatorum, nempe Deitas; insuper utraque doctrina eadem principia habet, easdemque conclusiones ex illis deducibiles.

γ) Cum scientia Dei et beatorum possit dupliciter sumi: *uno modo*, secundum quod Deus et beati in Verbo unico actu et absque ullo discursu principia et conclusiones vident

alio modo secundum quod in principiis vident conclusiones ex illis deducibiles, quo sensu solet dici quod Deus non cognoscit effectus per causam, sed in causa [1], scientia beata seu divina, cui subalternata dicitur theologia nostra, secundo modo sumitur, quia non ex eo cognitio Dei et beatorum in Verbo habet rationem scientiae, quod simul omnia uno simplicissimo actu intuentur, sed ex eo quod ibi vident necessarium nexum conclusionum cum principiis, licet non distinctis actibus; et huic scientiae theologia nostra subalternata est, in quantum accipit principia sua, ut formalissime evidentia in illa.

13. — Corollarium. — Exinde inferri potest, scientiam *nostram* theologicam esse aliquo modo imperfectam, scilicet *quoad statum* [2].

Revera, scientia theologica, quae est subalternata scientiae Dei et beatorum, dupliciter potest accipi: *in se absolute*, et quatenus est *in nobis viatoribus*. Si sumatur in se, tunc eius conclusiones deducuntur ex principiis quae in se, a parte rei, evidentiam quammaximam habent; si autem consideretur quatenus est in nobis *viatoribus*, conclusiones suas deducit ex principiis *nobis* inevidentibus, quia principia ista per fidem accipimus.

Igitur theologia nostra, si quidem accipiatur *in se*, est perfecta scientia, quia in ea reperiuntur et principia per se evidentia, et conclusiones per demonstrationem evidenter procedentes. Si autem accipiatur ut est *in nobis viatoribus*, deficit a perfecta ratione scientiae, quia principia illa sunt nobis inevidentia, nec perfecte scit, qui non potest id quod scit resolvere in principia evidentia. Attamen, extra latitudinem scientiae non excurrit quoad substantiam, quia infert conclusiones quae natae sunt certitudinem in sciente generare, et evidentiam habet, non quidem perfectam, sed imperfectam, scilicet evidentiam resolutionis conclusionum in principia. Unde, sicut infans est verus homo quoad substantiam, licet quoad statum sit imperfectus, aut sicut gratia

[1] 1, Quaest. XIV, art. 7, ad 2[m]. — [2] Cf. Caiet., in 2 2[ae], Quaest. I, art. 5, ad 2[m].

habitualis in peccatore qui relabitur est, quantum in se est, qualitas difficile mobilis, licet ratione subiecti sit facile mobilis et ideo imperfecta; ita et theologia nostra, quae nunc quidem est veluti *lucerna lucens in caliginoso loco* [1], perfecta non erit nisi in patria, quando Deus ab intellectu beati videbitur facie ad faciem.

14. — Difficultates. — I. 1. Omnis scientia procedit ex principiis per se notis. Atqui sacra Doctrina non procedit ex principiis per se notis. Ergo sacra Doctrina non est scientia. — *Prob. min.* ex eo quod sacra Doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur; *non enim*, ait S. Paulus [2], *omnium est fides.*

Resp. *Dist. mai.:* omnis scientia procedit vel ex principiis per se notis, si nempe sit *subalternans*, vel ex principiis quae reducuntur in notitiam superioris scientiae, si sit *subalternata*, *conc.;* semper ex principiis per se notis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Revera, ex habita superius distinctione, resultat inter scientiam subalternantem et scientiam subalternatam hanc esse differentiam, quod illa procedit ex principiis per se notis lumine naturali intellectus, haec autem ex principiis notis lumine superioris scientiae; unde ad hoc quod sacra Doctrina, quam diximus esse subalternatam scientiae Dei et beatorum, sit scientia, sufficit quod eius principia, scilicet articuli fidei, reducantur ad notitiam Dei et beatorum [3]. Quocirca sacra Doctrina est ex per se notis *mediate*, et hoc quidem sufficit, nam *demonstratio*, ut ait Philosophus [4], *est ex per se notis, vel ex his quae per illa fidem sumpserunt.*

2. INSTABIS. Atqui, licet sacra Doctrina habeat principia quae innotescunt lumine scientiae Dei et beatorum, tamen non est scientia. Ergo redit difficultas. — *Prob. min. subs.* Scientia non est de singularibus. Atqui sacra Doctrina est de singularibus. Ergo sacra Doctrina non est scientia. — *Prob. min.* Sacra enim Doctrina tractat de gestis Abrahae, Isaac et Iacob, et similibus.

[1] 2 PETR., I, 19. — [2] 2 THESSAL., III, 2. — [3] Ad 1[m]. — [4] L. I, TOPIC., c. I.

Resp. *Dist. mai.:* secundum quod obstant firmitati scientiae, *conc.;* secus, *nego. Dist. min :* de singularibus quae necessaria sunt, primo quidem et per se, *conc.;* de singularibus quae necessaria non sunt, *subdist.:* principaliter, *nego;* secundario, *conc. Nego conseq. et conseq.* — Revera, advertendum est id quod dici solet, nempe de singularibus non esse scientiam, formaliter intelligi debere, quatenus nempe singularitas tollit scientiae firmitudinem, cum e contra oporteat scientem esse immobilem; tollunt autem scientiae firmitudinem singularia propter eorum corruptibilitatem et infinitum numerum. Igitur, si qua sint singularia quae nec corruptibilia sunt, nec numero infinita, de his utique potest scientia ex professo pertractare, in sua enim consideratione universalibus aequiparantur. Quocirca, in sacra Doctrina, ex professo principaliter tractatur de Deo, de Patre, Filio et Spiritu Sancto; necnon de Christo, eiusque Incarnatione, Passione, Resurrectione, et his similibus, quibus scilicet mysteriis salus humana in aeternum est peracta [1]. Agit tamen etiam sacra Doctrina de singularibus quae necessaria non sunt, sed non principaliter, verum secundario; sicut gesta sanctorum virorum hic introducuntur sive in exemplum vitae, ut in scientiis moralibus, sive ad declarandam auctoritatem eorum per quos divina revelatio, super quam fundatur sacra Doctrina seu Scriptura, ad nos usque processit [2].

II. Doctrina, de cuius subiecto non datur aliqua species, non est scientia. Atqui de Deo, qui est subiectum sacrae Doctrinae, non datur species. Ergo sacra Doctrina non est scientia. — *Prob. mai.* Ad scientiam enim requiritur species, per cuius informationem fit assimilatio cognoscentis ad rem cognitam. — *Prob. min.* A Deo, qui est ens simplicissimum, nequit aliqua species absrahi.

Resp. *Dist. mai.:* non datur aliqua species, sive per abstractionem, sive per impressionem, *conc.;* solum per abstractionem, *nego. Dist. min.:* de Deo non datur aliqua species per abstractionem, *conc.;* per impressionem, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Hanc difficultatem, quam sibi proponit Angelicus, ipsemet ita solvit [3]: *Species, per quam fit cognitio, est*

[1] Cf. Franc. Sylvium, in h. l. — [2] Ad 2[m]. — [3] 1, Dist. III, art. 1, ad 3[m].

in cognoscente secundum modum cognoscentis: unde eorum quae sunt magis materialia quam intellectus, species est in intellectu simplicior quam in rebus, et ideo huiusmodi dicuntur cognosci per modum abstractionis. Deus autem et angeli sunt simpliciores nostro intellectu, et ideo species quae in nostro intellectu efficitur, per quam cognoscuntur, est minus simplex. Unde non dicimur cognoscere ea per abstractionem, sed per impressionem ipsorum in intelligentias nostras.

15. — Scholion. — Perperam quis, contra dignitatem scientificam sacrae Doctrinae, argumenta desumeret ex illis verbis S. Pauli [1]: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* — Revera, hisce verbis, gentium Doctor non reprobat rectum sacrae huius theologiae seu sapientiae usum, sed tantum animadvertit in pseudo-apostolos et pseudo-prophetas, qui sophismata sub perpolitis et eloquentibus verbis, loco veri apostolici sermonis, venditabant, ut sibi favorem popularem et admirationem captarent, quo sensu eius verba sunt intelligenda. Quod autem sacram hanc Doctrinam, et quidem, ut est proprie dicta scientia, optime calleret, ipsemet testatur, dum dicit [2]: *Nam, etsi imperitus sermone, sed non scientia.* εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει.

16. — Dubiae Patrum voces. — Quod ad Ecclesiae Patres attinet, quandoque quidem videntur scientificam in rebus fidei pertractandis rationem reprehendisse, re tamen vera nihil contra sacram hanc scientiam decrevere, sed tantummodo dialecticae abusum reprimere voluerunt. Quod praesertim contra duplicem philosophorum scholam praestitere.

Aliqui enim, post Valentinum et Marcionem, gnosticismo addicti, *gnosim*, id est profanam, imo paganam, scientiam cum veritate christiana assimilare conabantur, unde transformationem moliebantur simplicioris et rudioris doctrinae christianae in nobiliorem et subtiliorem, ut putabant, philosophiam antiquitatis.

[1] 1 Cor., II, 4, 5. — [2] Ibid., 2 Ep., XI, 6.

Alii vero, ethnicorum idololatriam restituere cupientes, paganae religionis, quam Platonis esse profitebantur (unde *Neoplatonici* dicebantur), instaurationem nitebantur efficere ex ipsismet christianae religionis fontibus, ducibus Plotino, Porphyrio et Iamblico, qui Trinitatem sic commentabantur, ut ex *uno absoluto* per emanationem derivatum sit principium intelligens, et anima universalis, seu *demiurgos*, ex quo omnes typos gradatim descendisse fingebant, secundum seminales rationes, usque ad infimam materiam.

Patres igitur huiusmodi nefandum facinus denunciantes, edixerunt Christi religionem non indigere falsa philosophia ut perficiatur, nec aliquid cum idolorum cultu commune habere, multo minus esse deturpandam gentilium abominationibus, nec debere ab istis corrumpi, aut sophistarum cavillationibus defendi. — Nam *si sunt*, inquit Mansuetus Mediolanensis Episcopus in Epistola ad Constantinum Pogonatum [1], *qui audacia dialecticae artis inflati, cothurnata cervice, buccis tumescentibus, sinuosis circumitionibus, et flexuosis ambagibus, phaleris verborum, pompisque sermonum, sua ferali calliditate, simplicem fidei rationem convellere, et delegatas a Patribus regulas conculcare, vel temerare voluerint, eorum inflationibus tranquillitas vestra non acquiescat.*

De cetero, qualem iudicarent esse rectum huius scientiae usum habendum, exemplo suo satis commonstrarunt, dum sanae dialecticae ope, fidei dogmata ipsimet vindicare non destiterint.

Articulus III. — *Utrum sacra Doctrina sit una scientia.*

1. — Advertenda. — Sacram Doctrinam hic sumimus non ut comprehendit *opiniones* quae in theologia hinc inde agitantur: opinio enim a scientia specifice differt. — Nec est quaestio utrum sacra Doctrina sit unus simplex habitus, cum omnis habitus, licet ad multa se extendat, cum tamen hoc

[1] Apud Petav., Prolog. c. III, 8.

non sit nisi per ordinem ad unum, puta ad unam naturam, aut unum principium, una simplex qualitas existat [1]. Sed quaestio est utrum sacra Doctrina sit scientia una unitate specifica speciei specialissimae, seu utrum sit indivisibilis specie, an possit in inferiores species dividi, ut mathematica quae in arithmeticam, geometriam, mechanicam dividitur.

Ubi adversarium habemus Durandum, qui reputavit sacram Theologiam esse plures habitus distinctos per obiecta et media diversa, ita ut primus sit fidei infusae circa principia, alter circa conclusiones defendendas, tertius circa earum deductionem ex articulis fidei.

2. — **Divisio Theologiae.** — Cur autem hic proponatur haec quaestio, facile patet. Nam solet ab auctoribus multiplex Theologiae divisio adduci Et quidem, ratione *modi* quo traditur, Theologia dividitur in *positivam* seu *historicam*, *apologeticam*, *polemicam*, *scholasticam*, *systematicam*, secundum quod aut simpliciter exponit fidei mysteria, aut illa vindicat, propugnat, illustrat, eorum intelligentiam indagans. Rursus, ratione *finis* quem parere nata est, dispertitur in *dogmaticam*, *moralem*, *asceticam*, *mysticam*, secundum quod aut tantum cognitionem intellectus intendit, aut regulas morum, aut virtutum exercitium, aut unionem animae christianae cum Deo. Iterum, secundum diversam obiecti pertractati *conditionem*, habetur theologia *praeparatoria* et theologia *proprie dicta*. Demum, una vel altera multiplex studium in se claudit; sic, verbi gratia, theologia positiva complectitur *biblicam*, *exegeticam*, *criticam*, *pastoralem*, *hermeneuticam*, *iuridicam*, *patristicam*, *symbolicam*, *liturgicam*, etc.

Quaestio igitur est utrum istae sint tot species subalternae unius speciei superioris, an modi expressiores unius eiusdemque speciei specialissimae. Cui ut respondeatur, sit

3. — PROP. — **Sacra Doctrina est scientia una, specie specialissima.**

4. — **Prob.** — Ad huius rei evidentiam recolendum est

[1] Cf. Tr. II. DE HABITIBUS ET VIRTUTIBUS, Quaest. LIV, art. 4, p. 124.

obiectum scientiae aliud esse *materiale*, quod vocatur etiam obiectum extensionis, et est id quod attingitur non ratione sui, sed ratione alterius; aliud *formale quod*, et est id quod attingitur ratione sui, cuius ratione cetera attinguntur; aliud demum *formale quo* seu *sub quo*, et est ratio per quam obiectum illud fit cognoscibile, seu secundum quam res obiicitur aut praesentatur menti, et dicitur etiam *lumen*, secundum illud Apostoli [1]: *Omne quod manifestatur lumen est* [2].

Ratio vero cur distinguitur obiectum formale *quod* ab obiecto formali *quo* aut *sub quo*, ex hoc desumitur, quod obiectum aliquod potest considerari vel ut est *res* quaedam, vel ut est formaliter *obiectum*, id est secundum quod obiicitur, praesentatur, menti. Et potest esse quod res alíqua, puta Deitas, licet formaliter una sit, tamen obiiciatur menti sub pluribus rationibus, verbi gratia, sub ratione visi, aut crediti, aut revelati simpliciter. E contra, potest esse quod res sit multiplex et tamen obiiciatur menti sub una tantum ratione formali; sicuti *entitas* in metaphysica, licet sit una solum transcendentaliter, et sic tum specie, tum genere sit multiplex, tamen obiicitur menti sub una ratione abstrahibilitatis ab omni materia. — Exemplo quoque sensuum res confirmatur. Nam obiectum sensus est *res* quaedam, puta sonus aut color, et est *sensibile*, puta sonorum aut coloratum.

Porro, quia non quaelibet differentia obiecti sensibilis, ut *res* est, facit distinctionem specificam sensibilis, sed solum illa differentia obiecti sensibilis, ut *sensibile* est, inde est quod, verbi gratia, sonus, sive sit acutus sive sit gravis, sive sit magnus sive sit parvus, sive sit dulcis sive sit asper, non diversificat potentiam, sed quodcumque habet rationem sonori, ad sensum auditus pertinet. Similiter Deitas, *ut res*, non specificat scientiam, sed Deitas ut cognoscibilis. Et quia Deitas potest esse cognoscibilis: α) ut visa, β) ut credita,

[1] Eph., V, 13. — [2] Graece legitur: πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστιν, quod participium, medium cum sit, potest active exponi: *omne quod manifestat*, — in quo sensu, qui ab Estio aliisque bene multis interpretibus probabilior dicitur, hunc locum hic et alibi cum S. Thoma sumimus.

γ) ut revelata; ideo alia est α) visio beatifica, alia β) fides, alia γ) theologia nostra. Sed, quemadmodum visio Dei una est, et fides etiam, propter unitatem obiecti formalis, seu rationis cognoscibilis, ita et theologia nostra: quia revelatio, quae est medium formale *sub quo* attingitur Deus in hac scientia et ex qua desumitur ratio assensus nostri, una formaliter est.

Unde ita enunciata propositio *probari* potest. Ubi est una ratio formalis qua, ibi est una scientia. Atqui in sacra Doctrina est una ratio formalis qua, nam ea quae considerat, in tantum considerat, in quantum sunt divinitus revelata; omnia autem divinitus revelabilia communicant in una ratione formali obiecti huius scientiae. Ergo comprehenduntur sub sacra Doctrina, tanquam sub una scientia.

Quocirca de hac scientia Sacra Scriptura loquitur sicut de scientia una: verbi gratia, cum dicit [1]: *Dedit illi* (Iacob) *scientiam sanctorum.*

5. — Confirmatur. — α) Sacra Doctrina est quaedam impressio scientiae Dei [2]. Atqui haec maxime una est. Ergo, etc. β) Sacra Doctrina continetur, ut in fonte, in Libris sanctis et in Traditione. Atqui haec omnia non modo habent unum auctorem, nempe Deum, sed etiam unam rationem formalem qua assensum nostrum sollicitant, nempe auctoritatem Dei loquentis sive immediate, sive mediate. Ergo sacra Doctrina una formaliter est scientia.

6. — Corollarium. — Ex hoc deduci potest, haereticorum theologiam, ubicumque a catholica theologia discrepat, a dignitate sacrae Doctrinae deficere, cum non habeat tunc idem obiectum *formale quo* revelationis; unde de iis dici possunt ea S. Pauli [3]: *Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Quocirca, nonnisi analogice doctrina, puta, protestantica, dici potest theologia.

7. — Lumen revelationis tanquam causa efficiens et medium cognitionis. — Bene autem notandum est lumen re-

[1] Sap., X, 10. — [2] Ad 2m. — [3] 2 Tim. III, 7.

velationis debere hic sumi sub ratione formali, seu tanquam rationem et medium cognoscendi Deum, et motivum quo inducitur mens ad assentiendum veritatibus revelatis. Si enim lumen revelationis consideretur sub respectu causae efficientis, scilicet secundum quod Deus lumen infundit ad aliquod de se cognoscendum, tunc istud nec constituit obiectum formale quo, nec ex illius unitate sequitur scientiae unitas. Nam et anima separata intelligit per conversionem ad species intelligibiles quas Deus immediate in illam infundit, et animae Christi, sicut etiam menti angelicae impressae sunt ab initio sui species intelligibiles ipsis proportionatae [1]; et tamen horum cognitio est per diversos habitus distincta [2]; quod quidem ideo est, quia huiusmodi lumen inditum, quod interdum nomine revelationis appellatur, non est ratio aut motivum cur isti assentiuntur veritatibus sic manifestatis; sed revelatio se habet ad has veritates sicut lumen intellectus agentis ad ea quae naturaliter cognoscibilia sunt per abstractionem a sensibus. *Lumen divinitus infusum*, ait S. Thomas [3], *est communis ratio intelligendi ea quae divinitus revelantur, sicut et lumen intellectus agentis, eorum quae naturaliter cognoscuntur.*

Quocirca sicut lumen intellectus agentis non est motivum quo ducimur ad assentiendum veritatibus naturalibus, unde et sunt multae scientiae naturaliter cognoscibiles, licet lumen intellectus agentis unum tantummodo sit, ita, ex unitate luminis divini *quod*, non debet deduci unitas specifica scientiae revelatae, sed haec unitas debet sumi formaliter ex unitate luminis *quo*. quod unum cum sit in sacra Doctrina, sequitur quod omnia quae ibi traduntur ad unam scientiam formaliter spectent, quia cognoscuntur sub hac formali ratione, nempe, quia et quatenus ex revelatis deducuntur.

8. — **Quonam criteris scientiae dividuntur.** — Sciendum igitur, sub unitate luminis intellectus agentis, multas scientias distingui, tot, scilicet, quot possunt inveniri species obiectorum, ut obiecta sunt, seu sub ea ratione qua

[1] Tr. de Incarn. Verbi, Vol. I, Quaest. IX, art. 3, n. 3, p. 407. — [2] Ibid., Quaest. XI, art. 6, p. 453. — [3] Ibid., ad 3[m].

possunt ab eodemmet intellectu cognosci. Atqui, ad habendam assimilationem inter cognoscens et cognitum, quae requiritur ad hoc ut scientia pariatur, exigitur ut obiectum cognoscibile sit a materia depuratum; et quidem, secundum diversos depurationis gradus, est diversitas in scientiis. Cum autem depuratio ista perficiatur per abstractionem, vel ab omni prorsus materia, vel a materia sensibili, retenta materia communi, vel demum a materia individuali, retenta materia sensibili, hinc alia scientia est *metaphysica*, alia *mathematica*, alia *physica*.

Pariter, in ordine supernaturali, ad quam profecto sacra Doctrina pertinet, ex eo quod Deus alicui lumen divinitus infundit ad aliquid cognoscendum, non sequitur formaliter unam esse scientiam; lumen enim istud non est ratio cognoscibilitatis, aut motivum assensus mentis; sed una erit scientia quae sit unius obiecti sub una ratione cognoscibilitatis; ideoque, cum alia sit ratio cognoscibilitatis Dei in visione beatifica, in qua Deus praesentatur ut visus, et alia in fide, in qua Deus praesentatur, non ut visus, sed ut creditus, et alia in nostra Doctrina sacra in qua Deus praesentatur ut visus non in se, sed in principiis revelatis, hinc alia formaliter est visio beatifica, alia fides, et alia sacra Doctrina, quae una specie est, quia unum specifice est eius obiectum.

Si autem Deus infunderet quidem lumen ad aliqua videnda, at ista viderentur per species istarum rerum proprias, qualis est cognitio *indita* angelorum, animae Christi, et etiam animae separatae extra Verbum, tunc ad distinctionem harum specierum talis scientia indita distingueretur.

9. — Scholion II. — Ulterius notandum est obiectum formale sue quo sacrae Doctrinae esse divinam revelationem, non quidem *in se et immediate*, sed *virtualiter et mediate*, quatenus nempe id quod hac scientia infertur, continetur in aliquo in se immediate revelato, sicut effectus continetur in causa, aut proprietas in essentia: quemadmodum Christum habere unum tantum esse est virtualiter et mediate revelatum, quia hoc per discursum naturalem deducitur tanquam proprietas ex essentia, ex hoc immediate revelato: Christus est una persona. Si enim obiectum formale sub quo sacrae

Doctrinae esset divina revelatio immediate, non distingueretur a fide, cum huius obiectum formale sub quo sit praecise divina revelatio in se et immediate.

10. — **Scholion III.** — Nec tollitur unitas theologiae ex hoc quod in syllogismo theologico concurrunt duo lumina: alterum ex fide, alterum ex ratione naturali: nam ista duo lumina sunt subordinata, scilicet naturale supernaturali, tanquam cognitio ex primis principiis acquisita habitui primorum principiorum; unde duo ista lumina non influunt in conclusionem, nisi sub unica et eadem ratione formalis et mediatae revelationis, non secus ac si duae praemissae essent supernaturales; ideoque unitas scientiae theologicae non impeditur, sicut nec tollitur unitas scientiae naturalis ex hoc quod ad conclusionem, cum intellectu primorum principiorum, concurrit etiam propositio quaedam per legitimam demonstrationem deducta.

11. — **Solvuntur difficultates.** — I. Scientia quae est una, est unius generis subiecti. Atqui sacra Doctrina non est unius generis subiecti, agit enim de Creatore et de creaturis, quae sub uno genere non continentur. Ergo sacra Doctrina non est una scientia.

Resp. *Conc. mai., nego min. Nego conseq. et conseq.* — *Ad probationem* dicitur quod licet sacra Doctrina tractet de Deo et de creaturis, non tamen ex aequo; sed de Deo tractat principaliter, de creaturis autem secundum quod ad Deum referuntur, vel ut ad principium a quo procedunt, vel ut ad finem ad quem reduci debent; ideoque unitas scientiae non tollitur per hoc quod sacra Doctrina agit de Deo et de creaturis [1].

II. Doctrina quae considerat ea quae ad diversas scientias spectant, non est una. Atqui talis est sacra Doctrina, quae naturalia considerat, ut creaturas corporales; moralia, ut mores hominum; metaphysicalia, ut angelos. Ergo sacra Doctrina non est una scientia.

Resp. *Dist. mai.*: sub diversis rationibus propriis, *conc.*;

[1] Ad 1[m].

sub una communi ratione formali, *nego. Dist. min.:* sub una ratione formali universali, *conc.;* sub diversis rationibus propriis, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Sacra Doctrina, una existens, considerat ea quae in diversis scientiis philosophicis tractantur, non quidem sub rationibus uniuscuiusque propriis, sed sub una universali ratione, nempe in quantum sunt divinitus revelabilia. Porro, quemadmodum superior potentia vel habitus considerat obiectum sub universaliori ratione formali, sicut obiectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile, audibile, tangibile, etc., et sic sensus communis, una potentia cum sit, se extendit ad obiecta quinque sensuum, ita e contra nihil prohibet inferiores potentias vel habitus diversificari circa illas materias quae communiter cadunt sub una potentia vel habitu; et sic sacra Doctrina, propter communitatem sui obiecti formalis, quod est *revelabile*, complectitur in sua eminentia quidquid invenitur divisim in aliis scientiis, quo sensu intelligi possunt verba Apostoli [1]: *Spiritualis homo iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur* [2].

Articulus IV. — *Utrum sacra Doctrina sit scientia practica.*

1. — Praenotanda. — α) Ponitur hic articulus contra haereticos, sive illos qui sacram istam scientiam ad sola speculabilia coarctant, dicentes fide tantum hominem iustificari, sive eos qui operis tantum necessitatem extollentes, fidei doctrinam respuunt: ponitur etiam contra illos theologos qui, cum Durando, sacrae Doctrinae habitum specifice subdividi contendunt in theologiam speculativam et theologiam practicam.

β) Porro, habitus speculativi ab habitu practico differentia formalis sumenda non est ab operatione aut a praxi quocumque modo sumptis. Nam et speculari oportet illum qui intendit operationem; et bona operatio, sin minus bona passio, sicut amor, delectatio, sequitur illum qui speculatur.

[1] 1 Cor., II, 15. — [2] Ad 2[m].

Sed differentia formaliter sumenda est ex fine obiective inspecto, nam dicitur quod *speculativus differt fine a practico* [1]; ita quod *speculativae finis sit veritas, practicae vero opus* [2], seu ut habet Caietanus [3], *scientia speculativa vocatur, cuius finis proprius non est nisi scire; scientia autem practica est cuius proprius finis est operari, vel opere appetitus. vel potentiae executivae.*

γ) Conclusiones mox proponendae sibi volunt sacram Doctrinam, in sua unica formali ratione, quae est lux divinae revelationis, complecti simul, non quidem per modum aggregationis, sed per modum perfectionis, in sua eminentia, conditiones utriusque scientiae, speculativae videlicet et practicae, quasi finis eius sit tum veritatem eruere, tum ad bonum opus incitare; principalius tamen ad speculationem intendere quam ad praxim.

2. — PROP. I. — Sacra Doctrina, in sua formali ratione, est scientia eminenter simul speculativa et practica.

3. — **Suadetur.** — Illa scientia est simul speculativa et practica, qua est vestigium scientiae Dei, et quae perficit omni ex parte intellectum; nam et scientia Dei, qua se et ea quae facit cognoscit, est simul speculativa et practica [4], et dici solet quod intellectus speculativus per extensionem fit practicus [5]. Atqui, talis est sacra Doctrina, quam diximus esse impressionem scientiae Dei, et quae dicitur scientia sanctorum. Ergo in sua ratione formali est eminenter simul speculativa et practica.

4. — **Propria propositionis ratio** desumitur ex hoc principio: *Ea quae dispersa sunt in inferioribus, unita praeinveniuntur in superiori*, sicut, ut ad exemplum superius propositum redeamus, differentias sensuum propriorum unus complectitur in sua ratione formali sensus superior, qui est communis. Revera, sicut prima divisio sensus non sumitur ex quacumque divisione obiecti sensibilis, sed ex ea quae

[1] L. III de Anima, text. 49. — [2] L. II, Metaph., c. I. — [3] In h. l. — [4] 1, Quaest. XIV, art. 16. — [5] 1, Dist. I, quaest. 2, art. 3.

primo in sensibili invenitur, scilicet ex sensibili communi et proprio, ita prima divisio scientiae non debet sumi ex quacumque differentia obiecti scibilis, sed ex ea quae primo in obiecto invenitur, scilicet ex scibili finito et infinito. Et primum quidem patitur magnam latitudinem, quia obiecta finita sunt multiplicabilia usque in infinitum; secundum autem unicum est, quia illud obiectum *formale quo*, scilicet lux divinae revelationis una est. Hinc cum plures sint scientiae specifice distinctae inferi ores, sacra Doctrina tamen una exsitens eas omnes in suâ ratione formali complectitur; ideoque complectitur simul eminenter differentias scientiae speculativae et practicae.

Ex quae sunt, ab opere nostro, ait S. Thomas [1], *et ea quae sunt ab opere naturae, considerata secundum proprias rationes, non cadunt in eamdem doctrinam. Una tamen scientia utrumque potest considerare, quae per lumen divinum certitudinem habet, quod est efficax ad cognitionem utriusque* [2]. Sic, verbi gratia, prudentia universalis in homine, ad omnes actus, propter suam excellentiam, potest accipi ut propria ratio et similitudo particularis prudentiae quae est in leone ad actus magnanimititis, et prudentiae quae est in vulpe ad actus cautelae [3].

5. — Sacra Scriptura. — Quocirca, sacra Doctrina describitur a S. Paulo tanquam utrumque complectens [4]: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Pariter [5]: *Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* In hunc quoque sensum S. Iacobus scripserat [6]: *Estote factores verbi, et non auditores tantum*, et ipsemet Dominus Noster pronunciaverat [7]: *Spiritus Sanctus... docebit vos omnia* (credenda), *et suggeret vobis omnia* (agenda) *quaecumque dixero vobis.* Tandem, non est tacendus pulcherrimus iste locus [8]: *Intellectus bonus* (est) *omnibus facientibus eum* (nempe timorem Domini): *laudatio eius manet in saeculum*

[1] Cf. Caiet., in h. l. — [2] Cf. 1, Quaest. LXXIX, art. 11. — [3] Cf. 1, Quaest. LV, art. 3, ad 3[m]. — [4] 2 Tim., III, 16. — [5] Rom., X, 4. — [6] I, 22. — [7] Io., XIV, 26. — [8] Psalm., CX, 10.

saeculi. Ubi observandum est, hebraice et chaldaice legi *ea*, nempe *mandata Dei*; et sensus est non eos qui solum speculative sciunt Deum super omnia timendum esse, sed qui insuper id faciunt, seu opere ipso complent, declinantes ideo a malo, et in virtutum exercitium serio incumbentes, esse demum vere intelligentes et sapientes, in tota aeternitate collaudandos.

6. — Patres. — Veritatem hanc pulcre S. Augustinus exponit, dicens [1]: *Si non vacat omnes sacras paginas perscrutari, omnia volumina sermonum evolvere, omnium scripturarum secreta penetrare, tene caritatem, ubi pendent omnia, ita tenebis quod ibi didicisti, tenebis etiam quod nondum didicisti.* Et rursus [2]: *Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo Creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus et proximus. Hic logica, quoniam veritas lumenque animae rationalis, nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicae salus; neque enim conditur et custoditur optime civitas, nisi fundamento et vinculo fidei firmaeque concordiae.*

7. — Confirmatur. — Sacra Doctrina ex libris Veteris et Novi Testamenti potissime hauritur. Atqui in huiusmodi libris, non modo traditur lex, quae pertinet ad scientiam moralem quae est scientia practica, sed etiam prophetiae consignantur, ex quibus homo devenit in cognitionem Dei eiusque attibutorum, quae non sunt ab homine operabilia [3].

8. — Scholion. — Duplex est igitur sacrae Doctrinae facies, duplexque conspectus: alius ad Deum versus, a quo omnes res tanquam a summo principio profluunt; alius ad hominem, qui ad Deum, propria operatione, tanquam ad ultimum finem, reducendus est; ipsaque sacra Doctrina, una manens, utrumque in sua simplicitate, complectitur, non secus ac sol qui simul in mundo radios suae claritatis diffundit, et inferiora ista confovet ad suos quaeque fines per-

[1] Sermo CCCL, qui est II de caritate, t. V, P. II. p. 1349. — [2] Ep. CXXXVII, c. V, n. 17, t. II, col. 409. — [3] Ad 2^m.

ducens. *Studium istud*, alibi scribebamus [1], *mentem nobilitat, dirigit voluntatem, bonae operationis instrumenta subministrat. Et quoniam hominis perfectio praestantiaque in hisce tribus consistit, in mentis dignitate, voluntatis rectitudine, iusti rectique executione, non est ulli ambigendum quominus ceteris superemineat et naturae perfectione et virtutis ornamento, quem sacrae huius scientiae studium exornat.*

9. — PROP. II. — Sacra Doctrina est magis speculativa quam practica.

10. — Prob. — *Speculatio*, ait, S Thomas [2], adducens verba Glossae [3], *dicitur a speculo, non a specula. Videre autem aliquid per speculum est videre causam per effectum in quo eius similitudo relucet, unde speculatio ad meditationem reduci videtur.* Porro, ratio huius propositionis est quia magis et principalius de rebus divinis sacra Doctrina pertractat, quam de actibus humanis.

Revera, de actibus humanis sacra Doctrina non pertractat, nisi secundum quod per eos homo ordinatur ad perfectam Dei cognitionem, in qua consistit aeterna beatitudo. Atqui aliqua doctrina principalius agit de eo quod habet rationem finis, quam de eo quod habet rationem medii, cum media sint propter finem. Ergo magis est speculativa quam practica haec Doctrina, cum etiam eius obiectum magis sit Deus, cuius sunt homines, quam homines qui sunt propter Deum: actus enim humanos haec scientia non attingit, nisi secundum quod per hos actu ducuntur homines ad Deum.

11. — Confirmatur. — Accedit quod omnis scientia practica humana est de rebus operabilibus ab homine, sicut moralis est de actibus humanis, et de iis quae sunt ab homine operabilia, aedificativa de aedificiis, et similiter de aliis. Atqui sacra Doctrina, licet sit etiam de operabilibus ab homine, potissime tamen est de iis quae non sunt operabilia ab

[1] S. Doctrinae thomisticae studii utilitas demonstrata. Romae, 1893. p. 7. — [2] 2 2^{ae}. Quaest. CLXXX. art. 3. ad 3^{um}. — [3] Ord. S. August., lib. XV, DE TRIN., c. 8.

homine; est enim de Deo, qui nullo modo operabilis est, et de angelis, et de ipso homine, qui opera quidem sunt, sed solius Dei.

Hinc concludendum est cum sancto Doctore [1]: *Opus non est ultimum intentum in hac scientia, immo potius contemplatio primae veritatis in patria, ad quam depurati ex bonis operibus pervenimus, sicut dicitur* [2]: BEATI MUNDO CORDE; *et ideo principalius est speculativa quam practica.*

ARTICULUS V. — *Utrum sacra Doctrina sit dignior aliis scientiis.*

1. — Ratio articuli. — Cum ex hucusque traditis constiterit sacram Doctrinam procedere per lumen altius lumine rationis, iam sponte sua inferri potuit illam ex hoc capite ceteris scientiis, quae omnes naturali rationis lumini innituntur, eminere. Comparatio igitur quae nunc intenditur inter sacram Doctrinam et alias scientias, ad illud referri debet quod in praecedenti articulo traditum est, ut nempe determinetur utrum aliis scientiis dignior existat, secundum quod formaliter simul et eminenter, et non per modum aggregationis, complectitur conditiones speculativi et practici. Ex eo enim quod sacra Doctrina altiori lumine dirigitur, conclusimus illam, unam existentem, ad plura se extendere, sicut Deus, qui altior res est quam totum creatum universum, simul formaliter et eminenter est intelligens, volens et exequens.

Quaeritur ergo utrum, stante unitate formalis rationis qua sacra Doctrina complectitur simul speculativum et practicum, caeteris scientiis dignior existat.

2. — PROP. I. — Sacra Doctrina alias scientias dignitate transcendit α) tam speculativas, β) quam practicas.

3. — Prob. 1ª pars. — Scientiarum speculativarum una alia dignior existit, tum I. propter *certitudinem*, tum II.

[1] 1 Sent., Prol. Quaest. I, q. 3, sol. 1, ad 1^m. — [2] MATTH., V. 8.

propter *dignitatem materiae*. Atqui sacra Doctrina ceteras scientias speculativas excedit ex utroque capite. Ergo ceteris scientiis speculativis dignior existit.

4. — **Explicatur.** — I. Quantum ad **certitudinem,** ex qua primo loco argumentum desumitur ad excellentiam sacrae Doctrinae vindicandam, et quae aliud non est nisi determinatio intellectus ad adhaerendum firmiter uni parti, advertendum est illam aliam esse: 1° quae oritur *immediate ab obiecto intelligibili*, qualis est quae ex intelletu principiorum per se notorum habetur, et solet dici *assensus sine cogitatione*; 2° aliam quae oritur *mediante processu discursivo*, qualis in scientiarum conclusionibus habetur, et dici solet *assensus ex cogitatione*; 3° demum aliam quae oritur *mediante determinatione voluntatis* moventis intellectum ad assentiendum alicui veritati, quia hoc bonum ipsi videtur, qualis habetur in fide, et dicitur *assensus cum cogitatione* [1].

Porro, hic non est sermo, uti patet, de certitudine primo modo accepta; sed nec de certitudine tertio modo sumpta, sed tantum secundo modo, cum hic agatur formaliter de sacra Doctrina ut est scientia, seu ut in ipsa conclusiones natae sunt deduci ex principiis; et quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae quae potest errare, haec doctrina autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae quae decipi non potest, ideo ex hoc capite illis dignior praedicanda est.

5. — **Tacita obiectio.** — Nec obstat quod huius scientiae principia, quae sunt articuli fidei, dubitationem recipiunt, non autem principia aliarum scientiarum, unde concludendum videretur has certiores esse, cum dubitatio assensum excludat, definitur enim *cogitatio sine assensu*: — nam facile responderi potest, dubitationem hanc, quae accidit circa articulos fidei, non esse propter rei incertitudinem, sed propter debilitatem intellectus humani. Re quidem vera, fides nata est gignere in intellectu maiorem certitudinem quam ipsa

[1] Cf. Qq. disp. de verit., q. XIV, art. 1, et Satolli, Enchiridion Philosophiae, pp. 130, 131; Brunae, 1884.

prima principia naturaliter nota, quia, ut ait Angelicus [1], *multo certior est homo de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione quae falli potest;* at ista certitudo, ut diximus, gignitur in intellectu voluntate movente; unde dubietas quae est circa articulos fidei et consequenter circa conclusiones inde deducibiles, causam habet intellectus debilitatem, qui *se habet ad manifestissima naturae, sicut oculus noctuae ad lumen solis*, ut ait Aristoteles [2], quam quidem debilitatem voluntas firmitate sui motus non semper corrigit, cum corrigere posset; — sed hoc non prohibet quominus ista sacra scientia sit certior aliis scientiis et proinde dignior.

Habitus istorum principiorum, ait S. Thomas [3], *scilicet articulorum, dicitur fides et non intellectus, quia ista principia supra rationem sunt; et ideo humana ratio ipsa perfecte capere non valet; et sic fit quaedam defectiva cognitio, non ex defectu certitudinis cognitorum, sed ex defectu cognoscentis.*

6. — **Scholion.** — Quocirca iste defectus, qui est ex parte cognoscentis, non tollit quin sacra Doctrina sit simpliciter certior humanis scientiis: nam unumquodque iudicatur *simpliciter secundum causam suam; secundum autem dispositionem quae est ex parte subiecti, iudicatur secundum quid;* at sacra Doctrina certiorem causam habet, nempe principia revelata quae innituntur veritati divinae; licet homo huiusmodi principia, quia sunt simpliciter supra eius intellectum, non tam perfecte assequatur [4]. Unde, quanquam mens humana non possit in statu vitae praesentis omnimodam evidentiam circa res in sacra Doctrina traditas assequi, tamen minimum quod de cognitione rerum altissimarum potest haberi, desiderabilius est quam certissima cognitio quae de minimis rebus acquiritur [5].

7. — **II. Dignitate etiam materiae** sacra Doctrina ceteras scientias transcendit: nam aliae scientiae ea tantum

[1] 2 2ae, Quaest. VIII, art. 4, ad 2m. — [2] L. II, METAPH., c. I. Supra, art. 1, n. 14, nota 1. — [3] 1 SENT., PROL., art. 3, quaest. 3, sol. 3. — [4] 2 2ae, Quaest. IV, art. 8. — [5] Ad 1m.

considerant quae rationi subduntur; haec autem est principaliter de his quae sua altitudine rationem transcendunt, ut sunt mysteria SSmae Trinitatis, gratiae, Incarnationis Domini, etc. — Nec dicatur metaphysicam, ex hac parte, theologiae nostrae praestare, cum illa agat de *ente* in sua communitate, sub quo Deus etiam et omnia quae ad Deum spectant comprehenduntur: nam falsum est Deum sub ente comprehendi, sicut inferiora comprehenduntur sub univoco: ens enim non est univocum, sed analogum, nec Deus est *Ens*, sed, si ita loqui fas sit, ipse est potius *Supra-Ens*.

8. — **Prob. 2ª pars.** — Inter scientias practicas illa dignior est, quae ad ulteriorem finem non ordinatur. Atqui sacra Doctrina ad ulteriorem finem non ordinatur. Ergo sacra Doctrina est dignior ceteris scientiis practicis. — *Maior* exemplo patescit; nam, quia bonum exercitus, quod considerat ars militaris, ordinatur ad bonum civitatis, quod considerat ars civilis, hinc civilis dignior est militari, iuxta tritum illud Ciceronis [1]: *Cedant arma togae.* — *Minor* quoque evidens est: siquidem finis sacrae Doctrinae, in quantum est practica, est aeterna beatitudo, ad quam, sicut ad ultimum finem, omnes alii fines scientiarum practicarum ordinantur.

9. — **Advertenda.** — Hic autem plura, duce Caietano [2], monere debemus.

I. In *maiori* praeiacti argumenti sermo est de scientiis practicis subordinatis, quales sunt omnes scientiae practicae per respectum ad nostram theologiam; nam, si sermo esset de practicis scientiis disparatis, id est aliorum ordinum, propositio non valeret. Dignior enim est aliquis habitus practicus ministrans in ordine superiori, ut puta in arte aurifici, quam principans in ordine inferiori, ut in arte figuli.

II. Caute, ad *minoris* explicationem, diximus, ad sacram Doctrinam, sicut ad ultimum finem, ordinari omnes alios fines *scientiarum practicarum*, non autem *scientium*, ut scilicet attenderetur ad finem *operis*, et non ad finem *operantis*; nam

[1] Orat. in Pis., n. 29. — [2] In h. l.

non omnes quidem operantur in finem beatitudinis, cum plures operentur contra illum finem, a virtute recedendo; attamen recte operantur secundum artes, et sic secundum bonum rationis, quod de se ultimo ordinatur in beatitudinem aeternam.

III. Ex dictis sequitur hoc huius scientiae singulare esse, quod, dum ceterae scientiae practicae nonnisi remote Deum intendunt, haec, in quantum est practica, eumdem finem proximum habet, ac habet in quantum est speculativa, nempe Deum, licet, ut practica est, extrinsece, ut autem speculativa, intrinsece Deum intendat; ex quo etiam deduci potest eam esse practicam quasi secundum quid, quia si esset pure practica, speculari non esset nisi remotus eius finis.

10. — PROP. II. — **Sacra Doctrina aliis scientiis tanquam ancillis utitur.**

11. — **Exponitur.** — Revera, sicut artes architectonicae utuntur subministrantibus, ut civilis militari, sic sacra Doctrina, ex sui dignitate hoc habet, ut ceteris scientiis utatur tanquam inferioribus et ancillis: unde eidem possunt applicari verba Proverbiorum [1]: *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Quod autem theologia nostra philosophicis utatur disciplinis, non est ex necessitate, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur. Quod vero amplior habeatur ex hisce scientiis manifestatio veritatum in sacra Doctrina contentarum, non est propter defectum vel insufficientiam illius, sed propter intellectus nostri imbecillitatem, qui facilius manuducitur in ea quae superant rationem, qualia sunt quae traduntur in nostra theologia, ex iis rebus quae cognosci possunt per rationem, ex qua aliae scientiae naturales procedunt: quocirca, ex hoc quod sacra Doctrina philosophicis disciplinis utitur, non debet inferri eam esse istis inferiorem. At, dato etiam quod aliquibus ex hisce scientiis naturalibus necessario indigeret, non tamen propterea inferior existeret; nam una scientia est alia scientia inferior, quando sua principia ab hac accipit,

[1] IX, 3.

ut musica relate ad arithmeticam; sacra autem Doctrina sua principia non accipit ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem.

12. — **Quomodo sacra Doctrina aliis scientiis utitur.** — Modus autem quo sacram hanc Doctrinam aliis scientiis uti conveniat, luculenter traditur a S. Hieronymo in Epistola ad Magnum, oratorem romanum [1]. Nimirum cum ab illo Magnus quaesiisset, *cur in opusculis suis saecularium litterarum interdum poneret exempla, et candorem Ecclesiae ethnicorum sordibus pollueret*, respondit Hieronymus se id fecisse Moysis et Prophetarum exemplo, *in quibus quaedam assumpta sunt de gentilium libris.* Paulum quoque commemorans, ait: *Didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliae superbissimi caput proprio mucrone truncare.* Tum Ecclesiae quoque doctores et scriptores bene multos hoc fecisse ostendit: *In tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem saeculi, an scientiam Scripturarum.* Cur autem id praestandum sit, ultimo declarat, nempe quia *omnes pene omnium libri, exceptis iis, qui cum Epicuro litteras non didicerunt, eruditionis doctrinaeque plenissimi sunt.*

Egregie pariter S. Augustinus [2]: *Qui philosophi vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommoda dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda sunt.*

13. — **Corollarium.** — Ex hisce apparet quam fallaciter aliqui, cum Günther, *humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat* [3]. Nec magis probanda sunt quae tradiderat Georgius Hermesius, nempe, *rationem principem normam, ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem* [4]: haec enim

[1] Epist., LXX, tom. I, p. 426 seq. — [2] De Doctr. christ., l. II, c. XL, t. III, p. 42. — [3] Pius IX, Ep. Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov., 1846. — [4] Gregorius XVI, Brevi 26 sept., 1835. D.-B., n. 1619.

sibi volunt sacram Doctrinam humanis scientiis inferiorem existere, aut eorum instar, posse mutationi subiacere.

Contra quod solemniter edixit Concilium Vaticanum [1]: *Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum.*

Articulus VI. — *Utrum haec doctrina sit sapientia.*

1. — **Virtutes intellectuales speculativae.** — Tres esse virtutes intellectuales speculativas, nempe *intellectum, scientiam* et *sapientiam*, ex eo patet quod verum, quod considerat intellectus speculativus, duplex est, scilicet, sicut per se notum, et sicut notum per aliud. Et quidem, ad verum quod est per se notum, perficit *intellectus* qui vocatur habitus *principiorum;* ad verum autem quod est per aliud notum, necessaria est inquisitio *rationis:* huiusmodi enim verum habet rationem *termini*, ad quem perveniendum est per media. Quocirca habitus perficiens hominem per respectum ad hoc verum erit quidem *scientia*, si consideret ultimum tantummodo in aliquo genere scibilium, erit autem *sapientia*, si sit ultimum respectu totius cognitionis humanae [2].

2. — **Quid sit sapientia.** — Igitur *sapientia* est virtus intellectualis speculativa quae considerat altissimas causas; unde, quemadmodum multitudo decernere solet, cuius usum nos sequi debere in rebus ordinandis Philosophus monet ad sapientis officium pertinet ordinare et iudicare de omnibus, eo quod iudicium perfectum et universalis ordinatio haberi nequeunt, nisi per resolutionem ad primas causas. At vero, quoniam prima et altissima causa potest dupliciter accipi: uno modo, in aliquo genere particulari, alio modo, supra omne genus, — hinc aliud est esse sapientem in aliquo genere, aliud autem esse sapientem simpliciter.

[1] Sess. III, c. 4. — [2] Cf. tr. n. de Habitibus et Virtutibus, Quaest. LVII, art. 2, n. 2, p. 180. — [3] Top., II, c. 1.

Igitur, sapiens in aliquo genere ille dicitur, qui considerat causam sive finem altissimum illius generis; nam et in artibus, illa cuius finis est etiam finis aliarum, principalitatem obtinet, sicut videmus quod ars medicinalis principatur arti pigmentariae, eamque ordinat, propterea quod sanitas, circa quam medicina versatur, finis est etiam omnium pigmentorum quae arte pigmentaria conficiuntur: et similiter est ars gubernatoria respectu navifactivae, militaris respectu equestris omnisque bellici apparatus, aedificativa respectu lignariae et structoriae; unde, generaliter, illae artes quae aliis imperant, architectonicae, quasi principales, artes vocantur, et eorum artifices, qui et architectones dicuntur, nomen sibi vindicant sapientum, iuxta illud S. Pauli [1]: *Ut sapiens architectus fundamentum posui*, ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον ἔθηκα [2]. Similiter quoque, in genere totius humanae vitae, *prudens* sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; unde dicitur [3]: *Sapientia autem est viro prudentia*.

At huiusmodi sapientes sunt in aliquo tantum genere; ad hoc igitur ut quis sapientis nomen *simpliciter* sibi vindicet, necesse est ut eius consideratio versetur circa finem universi, qui finis est etiam principium universitatis, nempe Deus.

3. — **Donum sapientiae.** — Sed rursus, sedulo distinguenda est sapientia, quae est *virtus intellectualis*, a sapientia quae ponitur inter septem *dona* Spiritus Sancti. Iudicium enim, ut dictum est, ad sapientem pertinet. At, duplex est ratio iudicandi: altera, per modum *inclinationis*, altera per modum *cognitionis*: nam potest esse quod quis iudicet de his quae sunt secundum virtutem agenda, in quantum, habitum virtutis habens, ad illa quae virtutis sunt inclinatur, quo modo dicitur quod ipsemet *virtuosus est mensura et regula actuum humanorum* [4]; aut aliquis, iam in scientia morali instructus, potest, etsi virtutem ipse non habeat, de actibus virtutis iudicare per cognitionem quam possidet. Igitur, quia

[1] 1 Cor., III, 10. — [2] Cf. C. Gent., l. I, c. 1. — [3] Prov., X, 23 — [4] L. X. Ethic., c. 5, vol. III, p. 149.

primus modus iudicandi de rebus divinis pertinet ad sapientiam quae est donum Spiritus Sancti, quae per infusionem habetur, et ad quam referenda sunt verba S. Pauli [1]: *Spiritualis homo iudicat omnia*, et haec alia auctoris libri de divinis Nominibus [2]: *Hierotheus doctus est non solum discens, sed et patiens divina*; — ideo hic quaeritur de sacra Doctrina utrum sit sapientia, non sumpta sapientia pro dono Spiritus Sancti, sed pro intellectuali virtute, quae etiam per studium acquiri solet [3].

4. — **Quaestio.** — Igitur, quaestio hic proponitur utrum et quomodo sacra Doctrina ad sapientiae dignitatem assurgat. Ubi difficultas potest fieri, quo modo possit quaeri de sacra Doctrina utrum sit sapientia, cum iam de ipsa fuerit determinatum quod sit scientia: nullus enim habitus est idem illi cum quo condividitur. Hoc autem facile solvitur, advertendo quod scientia potest dupliciter sumi: *uno modo*, generice, in quantum nempe ad scientiam spectat ex principiis conclusiones demonstrare; *alio modo*. specialius, in quantum nempe conclusiones resolvit in propria principia, quin tamen pertingat usque ad ultima simpliciter.

Igitur primo modo sumpta, scientia comprehendit etiam sapientiam, seu ut ait S. Thomas [4], *omnis sapientia scientia est, sed non convertitur*; *quia illa scientia sola sapientia est, quae causas altissimas considerat*; secundo modo vero accepta. dividitur contra sapientiam, ut constat. Unde id quod hucusque dictum est, nempe sacram Doctrinam esse scientiam, accipi debet primo modo sumpta scientia; ideoque nunc ulterius vult quaeri utrum sacra Doctrina habeat aliquid proprium supra ceteras scientias, vi cuius ab omnibus istis distingui debeat, et vocari proprie *sapientia* [5].

5. — PROP. — **Sacra Doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter.**

6. — **Auctoritates.** — Ita imprimis in SACRA SCRIPTURA

[1] 1 Cor., II, 15. — [2] C. XII. — [3] Ad 3[m]. — [4] 1, Dist. XXXV, Quaest. I, art. 4, ad 5[m]. — [5] Cf. 1 2[ae], loc. cit., ad 1[m].

nominatur: sic in principio legis dicitur [1]: *Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis.* Pariter [2]: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit.* Et rursus [3]: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Tanti autem facienda est haec sapientia, ut expresse dicatur [4]: *Etsi fuerit quis consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, Domine, in nihilum computabitur;* quinimmo integer liber tanquam canonica scriptura in Ecclesia honoratur, qui *Sapientiae* liber dicitur, eo quod, sublimius diviniusque de sapientia tam increata quam creata pertractat.

7. — **Ratio theologica.** — Illa scientia est sapientia simpliciter dicta, quae considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, unde sapientia dicitur esse divinorum cognitio. Atqui sacra Doctrina simpliciter considerat causam altissimam totius universi. Ergo simpliciter et non in aliquo genere tantum est sapientia. — *Minor* ex eo ostenditur, quod sacra Doctrina non solum determinat de Deo quantum ad illud quod de ipso per creaturas cognoscibile est, sed etiam quantum ad id quod est Deo soli notum de seipso, et quod aliis per revelationem communicat, puta mysterium Trinitatis aut Incarnationis, quod in nulla scientia, praeter hanc nostram theologiam, attingitur. Nam et philosophi de Deo plura cognoscere potuerunt, iuxta illud S. Pauli [5]: *Quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit;* sed ea quae Deus de seipso cognoscit et nobis revelat illos penitus latuerunt, ideoque non simpliciter consideraverunt causam altissimam totius universi, sed tantummodo in aliquo genere. Quocirca sacra nostra Doctrina, quae de Deo simpliciter determinat, non solum est sapientia, sed maxime dici debet sapientia.

8. — **Scholia.** — I. Hic tamen notasse iuvabit, sacram Doctrinam dici maxime sapientiam per respectum ad omnes humanas scientias, non autem per respectum ad scientiam Dei et beatorum, quia ab hac, sicut a summa sapientia,

[1] Deut., IV, 6. — [2] Eccli. XXXIX, 1. — [3] 1 Cor., II, 6. — [4] Sap., IX, 6. — [5] Rom., I, 19.

omnis nostra cognitio ordinatur. Revera, nostra theologia, ut dictum est, supponit sua principia non ab aliqua scientia divina; unde, cum sapientis sit ordinare et non ordinari, sacra Doctrina nostra non dicitur sapientia per respectum ad scientiam Dei et beatorum a qua ordinatur [1].

II. Nec ex eo quod ad sapientem spectat ordinare, inferri debet ad sacram Doctrinam, utpote sapientiam, pertinere probare principia aliarum scientiarum. Nam propria huius scientiae cognitio non est per naturalem rationem, sed per revelationem, ideoque ad alium ordinem spectat. Quapropter, si considerentur omnes scientiae aliae a sacra Doctrina, istae pro principiis habent aut veritates quae sunt per se notae, et tunc probatione non indigent; aut veritates quae per naturalem rationem probantur in aliqua alia scientia, et tunc illa scientia, ad quam pertinet probare principia aliarum scientiarum, sapientia est respectu ad istas, quasi caput huiusmodi scientiarum existens. Ad sacram autem Doctrinam, cum ad alium, ut ita dicamus, ordinem pertineat, non spectat aliarum scientiarum principia probare, sed tantummodo de eis iudicare, ita ut quidquid in aliis scientiis invenitur huius scientiae veritati repugnans, totum debeat condemnari ut falsum; unde dicebat S. Paulus [2]; *Concilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* [3]. Revera, historia testis est, multos errores, sive in Philosophia, sive in aliis scientiis naturalibus, per hanc scientiam fuisse detectos atque convictos.

Articulus VII. — *Utrum Deus sit subiectum huius scientiae.*

1. — Quid sit subiectum. — I. Subiectum duplex est: aliud est subiectum *considerationis*, et est id circa quod scientifica versatur speculatio; aliud subiectum *inhaesionis*, et est velut causa materialis in qua radicantur alicuius rei accidentia, sive propria, sive communia, quo sensu anima verbi gratia, dicitur subiectum respectu suarum facultatum. Porro, planum est non esse hic sermonem de subiecto hoc

[1] Ad 1[m]. — [2] 2 Cor., X, 4, 5. — [3] Ad 2[m].

secundo modo sumpto, sed tantummodo priori sensu accepto.

II. Rursus, subiectum alicuius scientiae in eo differt ab obiecto, quod obiectum est quid complexum, et proprie respicit conclusiones illius scientiae; subiectum vero est quid incomplexum, et est id de quo in ista scientia plura praedicantur. Est igitur primus fons totius demonstrationis, quia ex eius definitione demonstrationis rationes conficiuntur.

2. — Quaestio. — Cum igitur de huius scientiae obiecto iam dictum sit quod sunt propositiones deducibiles ex veritatibus revelatis, nunc quaeritur de subiecto, non quidem materialiter inspecto sed formaliter. Scilicet, non quaeritur modo de subiecto quocumque modo sumpto, sed sumpto formaliter, id est secundum quod est ratio qua cetera quae haec scientia complectitur, in ipsa attinguntur. Theologia siquidem significat, ut diximus, sermonem de Deo; sed hoc nomen, *Deus*, potest multipliciter sumi. Potest sumi ut dicit relationem ad creaturas quae ab ipso dependent, sicut cum dico: *Deus est creator*, eo scilicet modo quo dicimus hominem esse nobilissimum animal; aut potest sumi prout est subiectum attributorum, ut cum dicimus: *Deus est bonus*, quo modo etiam, licet diversa ratione, dicimus hominem esse album: pariter potest sumi quasi in communi, ut cum dicitur: *Deus est ens*, quemadmodum etiam dicimus: homo est substantia; aut denique, potest sumi in propria sua quidditate aut natura, *Deus est id quod est*, quo modo etiam dicimus: homo est animal rationale.

Porro, nullo ex tribus prioribus sensibus debet modo sumi hoc nomen *Deus;* sed tantummodo ultimo sensu, qui formalissimus est, ut nempe quaeratur utrum Deus, formaliter et quidditative inspectus, seu secundum rationem suae deitatis, sit huius scientiae subiectum. Hoc enim prius est secundum naturam, et fundamentum ceterorum; unde et id quod proprie hic quaeritur, non est utrum Deus sit subiectum huius scientiae sub ratione alicuius relationis, aut attributi, aut cuiuscumque communitatis, sed sub ratione propriae quidditatis [1].

[1] Cf. Card. Caietan.

3. — Opiniones. — Iamvero, non una fuit theologorum mens circa subiectum sacrae Doctrinae: aliis cum Magistro Sententiarum opinantibus quod hoc sit res et signa; aliis cum Hugone Victorino, quod sint opera reparationis, vel totus Christus, id est caput et membra [1]; aliis, cum Scoto, quod sit Deus sub conceptu infiniti. Ipsemet S. Thomas, in commentario in Magistrum Sententiarum [2], posuerat *ens divinum cognoscibile per inspirationem* esse subiectum huius scientiae. — Hic autem indubitanter statuit

4. — PROP. — Deus est subiectum huius scientiae, et quidem sub ratione deitatis.

5. — Prob. — Illud est subiectum alicuius scientiae, α) sub cuius ratione cetera attinguntur in ista scientiae; et β) quod est subiectum principiorum illius scientiae. Atqui Deus, sub ratione deitatis, est α) id sub cuius ratione cetera attinguntur in sacra Doctrina, et β) est subiectum principiorum sacrae Doctrinae. Ergo Deus, et quidem sub ratione deitatis, est subiectum huius scientiae.

6. — Exponitur maior. — α) Quoad primam partem, dicendum est ita se habere subiectum ad scientiam, sicut se habet obiectum ad potentiam vel habitum. Atqui illud proprie assignatur tanquam obiectum alicuius potentiae vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum; sicut coloratum est proprium obiectum visus, quia omnia quae ad visum referuntur, licet in se diversa sint, ut homo et lapis, tamen referuntur ad visum sub ratione coloris, seu in quantum sunt colorata. Ita igitur illud erit subiectum alicuius scientiae, sub cuius ratione omnia in hac scientia attinguntur. β) Secundae autem partis ratio est, quia tota scientia virtute continetur in principiis; unde necesse est quod illudmet sit subiectum totius scientiae, qnod est subiectum principiorum illius.

7. — Prob. min. — α) Porro Deus, sub ratione deitatis, seu formaliter et quidditative inspectus, est id quod primo et

[1] L. DE SACRAM. GEN., I, p. 1, c. 2. — [2] IN PROL., art. 4.

per se in ista scientia attingitur, et sub cuius ratione cetera attinguntur, sicut etiam est id quod primo attingitur in scientia subalternante, quae est theologia Dei et beatorum, ita quod nostra theologia idem obiectum formale *quod* habeat ac scientia Dei et beatorum, cuius proinde dicta est quaedam *impressio*. β) Constat insuper Deum, sub ratione deitatis, esse subiectum principiorum huius scientiae: principia enim huius scientiae sunt articuli fidei, aut etiam praeambula ad fidem, quae sunt de Deo sub ratione deitatis.

Igitur, quemadmodum coloratum est proprium obiectum potentiae visivae, quia sub illius ratione et lapis, et homo, et cetera a potentia visiva attinguntur, aut quemadmodum ens mobile est subiectum proprium scientiae physicae, quia sub illius ratione attingitur in physica omne corpus, et est etiam subiectum principiorum huius scientiae, ita Deus sub ratione deitatis, est proprium subiectum nostrae theologiae, sicut etiam vox ipsa indicat, cum theologia sit quasi *sermo de Deo;* cetera autem quae determinantur in sacra Doctrina, puta origo et finis creaturarum, mores hominum, opera Redemptionis, comprehenduntur sub subiecto huius scientiae, nempe sub Deo, non quidem ut partes, vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliqualiter ad ipsum, videlicet, quia aut Dei sunt, aut a Deo, aut ad Deum; ita nempe quod Deus, sub ratione deitatis, sit subiectum principale huius scientiae, seu subiectum *attributionis*, cetera vero pertineant ad subiectum *extensionis* [1].

8. — **Scholion.** — Attamen, cum dictum est Deum esse subiectum huius scientiae, quemadmodum coloratum est obiectum potentiae visivae, aut ens mobile subiectum scientiae physicae, cavendum est ne comparatio plus aequo extendatur. Nam obiectum formale potentiae visivae, nempe coloratum, est quid commune omnibus obiectis huius potentiae, et pariter ens mobile per respectum ad corpora naturalia in scientia physica; Deus autem non est quid commune, sive in essendo, sive in praedicando, omnibus quae obiiciuntur in ista scientia: ideoque ex hac parte paritas non

[1] Ad 2[um].

tenet, licet Deus possit praedicari, sed in obliquo tantum, de omnibus aliis a Deo de quibus tractat theologia; ita ut quodcumque in theologia nostra tractatur, aut sit ipse Deus, aut aliquid Dei, videlicet aut proprietas, aut effectus, aut aliquid ad ipsum ducens, aut aliquid ab ipso imperatum, prohibitum, praemiandum, aut puniendum [1]. Distinctio igitur inter hanc nostram theologiam et, verbi gratia, scientiam physicam est, quod illa distinguit subiectum *attributionis* et subiectum *extensionis*, haec autem non habet nisi unum subiectum quod est commune per praedicationem; propterea quod in physica subiectum scientiae univoce praedicatur, Deus autem nequit univoce praedicari de creaturis, ut melius apparebit ex quaestione de *divinis Nominibus* [2].

9. — **Solvuntur difficultates.** — I. Subiectum in aliqua scientia debet esse radix proprietatum quae in illa scientia demonstrantur. Atqui Deus sub ratione deitatis, non est radix proprietatum quae in sacra Theologia demonstrantur, sicut, verbi gratia, non est radix innascibilitatis in Patre, secus etiam aliis personis conveniret. Ergo Deus, sub ratione deitatis non est subiectum huius scientiae.

Resp. *Conc. mai., dist. min.* : Deus, sub ratione deitatis, *absolute, conc.*; *relative*, scilicet ut determinatur ad aliquam personam, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Igitur Deus, sub ratione deitatis, est radix omnium proprietatum quae in theologia demonstrantur, sed diversimode; nam, quia Deus est tam alta res, ut in unitate essentiae claudat personarum trinitatem, ideo aliquarum proprietatum est radix sub ratione unitatis, aliarum vero secundum quod determinatur ad unam vel ad alteram personam, et sic Deus, sub ratione deitatis, prout haec determinatur ad personam Patris, est radix innascibilitatis. Ceterum, nec, ut in proposito exemplo insistamus, in physica, ens mobile est semper absolute secundum se radix omnium proprietatum quae in illa demonstrantur, sed ut est determinatum, verbi gratia, ad caelestia vel ad elementaria.

[1] Cf. Billuart, Tract. de Deo, Dissert. prooem., art. 5.—[2] 1, Quaest. XIII, art. 5.

II. De eo quod est subiectum in aliqua scientia, oportet supponere *quid est*. Atqui de Deo in sacra Doctrina non supponitur quid est: *de Deo* enim, ait Damascenus [1], *impossibile est quidnam essentia sua ac natura sit enuntiare*. Ergo Deus non est subiectum huius scientiae.

Resp. *Dist. mai.:* oportet aut supponere quid est, aut uti aliquo alio, loco eius quod est *quid*, ad demonstrandum aliquid de subiecto, *conc.;* semper supponere quid est, *nego. Dist. min.* in eodem sensu. *Nego conseq.* et *conseq.* — In scientiis etiam philosophicis, hoc interdum invenitur, quod utimur aliquo alio, loco definitionis rei, ad determinandum aliquid de illius subiecto, sicut quando aliquid demonstramus de causa per effectum, accipiendo effectum loco definitionis causae; quod ideo fieri debet in sacra Doctrina, quia de Deo non possumus scire quid sit; unde utimur eius effectu vel naturae vel gratiae, loco definitionis, ad ea quae de eo in hac doctrina considerantur [2].

Articulus VIII. — *Utrum haec doctrina sit argumentativa.*

1. — Ratio articuli. — Ex eo quod sacra Doctrina nostra est scientia proprie dicta, iam inferri potest eam esse, pro statu viae, argumentativam; de ratione enim scientiae nostrae in statu viae est ut procedat de noto ad ignotum, ita quod quando cognoscimus primum, adhuc ignoramus secundum, et ita secundum cognoscimus non in primo tantum, sed ex primo, scilicet per argumentationem [3]. Apposite tamen praesens instituitur articulus, non solum ut quaestio de modo procedendi in hac Doctrina hic, tanquam in propria sede, resolvatur, sed maxime ut determinentur ratio et conditiones, quas theologum sequi oportet in usu argumentorum.

Ubi quaestio est non proprie de subiecto huius scientiae, seu de incomplexo, sed de obiecto complexo, seu de illis quae de subiecto per demonstrationem nata sunt deduci.

[1] L. I, Orthod. fid., c. 4. Ven., 1748, t. I, p. 127. — [2] Ad 1m. — [3] 1, Quaest. XIV, art. 7.

Advertendum quoque est *arguere* latius patere quam *probare*: non modo enim probatio alicuius veritatis, sed etiam illius expositio et difficultatum solutio ad argumentum spectant.

2. — PROP. I. — Sacra Doctrina generatim loquendo debet esse argumentativa.

3. — Sacra Scriptura. — Sic S. Petrus [1] iubet ut fideles sint *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe.* Pariter S. Paulus, episcopi officium describens, vult eum esse *complectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* [2]. — Quod quidem Dominus Noster usu suo comprobavit, dum, verbi gratia, ab exemplo Davidis, et ab eo quod sacerdotes faciobunt in templo etiam die sabbati, ostendit apostolis licuisse die sabbati vellere spicas [3], et similiter dum ipsemet, ex matrimonii institutione, deduxit illud esse indissolubile [4]. De apostolis quoque iam dictum est illos argumentatione saepius usos fuisse, maxime S. Paulum, cuius epistolis, praeterquam quod divina inspiratio adnectitur, theologicorum tractatuum vis roburque accedit.

4. — Patres. — Idipsum evincit constans, diuturnusque usus Patrum et Doctorum Ecclesiae, quorum conatus in id vertebantur, ut non solum fidei nostrae dogmata illustrarent vindicarentque, verum etiam nexum ostenderent quo inter se coniunguntur. Hinc egregie hac de re loquitur S. Augustinus [5]: *Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in Litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet; tantum ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.* Pariter S. Basilius [6]: *Dialectica instar muri est dogmatibus, quod ea non sinit facile decipi et quorumlibet incursioni patere.*

5. — Theologia scholastica. — Huc quoque refertur sequens propositio, ex Decreto S. Congregationis Indicis in

[1] 1 Ep., III, 15. — [2] Tit.; I, 9 — [3] Matth., XII. — [4] Ibid., XIX. — [5] L. II, de Doctr. christ., c. 31, t. III, par. I, p. 33. — [6] In Cap. II, Is.

causa Augustini Bonetty sancita [1]: *Methodus qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur, apud scholas hodiernas, philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante, vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint.* Ad rem faciunt verba Pii X [2]: *Sive id ex ignoratione faciant, sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper: nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum.* Porro, theologiae scholasticae vis praesertim in argumentatione consistit.

6. — Scholion. — Attamen propositionem hanc minus recte contenderet quis comprobare ex eo S. Pauli [3]: *Rationabile obsequium vestrum*, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, quasi iubeat Apostolus, ut adhaesio mentis nostrae veritatibus revelatis debeat esse secundum scientiam a principiis ad conclusiones deductam, sive secundum argumentationem. Non enim est hic Apostoli sensus; sed, uti patet tum ex contextu, tum ex Patrum Ecclesiae interpretatione, ipse vult cultum, quo Deum prosequimur, non materialem aut corporalem tantum esse, qualis erat Iudaeorum et maxime paganorum cultus, sed λογικήν, *rationabilem* aut *rationalem*, scilicet spiritualem, quo sensu etiam in Canone Missae legimus: *Quam oblationem, tu Deus... rationabilem... facere digneris* [4].

7. — PROP. II. — Sacra Doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei.

8. — Prob. — α) Ex analogia. Revera, nulla scientia ad sua principia probanda argumentatur, sed ex hisce principiis ad alia comprobanda argumentatur. Ita igitur sacra Doctrina ad probanda sua principia, quae sunt articuli fidei, non argumentatur, sed ex eis procedit ad aliud probandum,

[1] 15 Iun., 1855. D.-B., n. 1652. Cf. etiam Const. Pii VI *Auctorem fidei*, 28 Aug., 1794, n. 76. D.-B., n. 1576. — [2] Encycl. *Pascendi*. — [3] Rom., XII, 1. — [4] Cf. Estius, in h. l.

sicut Apostolus [1], ex Christi resurrectione, argumentatur ad communem hominum resurrectionem. — β) Accedit quod hoc, etiamsi alteri scientiae liceret, minime conveniret dignitati sacrae Doctrinae, cuius principia per revelationem, non per argumentationem accipiuntur. — γ) Sed nec utile est ad fidem; quia cum quaevis ratio impar sit hisce dogmatibus rite comprobandis, haec ille irrisioni exponit, qui tam futilibus rationibus ea corroborare praesumit, quasi istae essent nostrae fidei rationes et fundamenta [2]. — δ) Demum in hac doctrina praecipue fides quaeritur, unde dicitur [3]: *Haec... scripta sunt, ut credatis.* Atqui, ut ait S. Ambrosius [4], *tolle argumenta, ubi fides quaeritur.* Ergo principia sacrae Doctrinae, quae sunt articuli fidei, probanda non sunt, sed ex eis haec doctrina ad alia argumentatur [5].

At notandum est hic, a nobis, duce Angelico, dici sacram Doctrinam non probare sua principia quae sunt articuli fidei: unde relinquitur, tanquam subintellectum, sacram Doctrinam probare posse ea principia quae articuli fidei non sunt. — Ad quod rite intelligendum, solvenda quaestio est, quid sint *principia sacrae Theologiae.*

9. — Principia sacrae theologiae. — Principia sacrae theologiae sunt propositiones illae, abstractione facta ab evidentia aut inevidentia, quatenus ex ipsis natae sunt deduci conclusiones theologicae. — Ut autem sciatur quaenam propositiones sic habendae sint tanquam principia sacrae Theologiae, sciendum est aliud esse *articulos fidei*, aliud *praeambula ad fidem.*

Articuli fidei, seu *fidei principia*, sunt illae veritates quae natura sua humanae rationis captum superant, et quas Deus magisterio Ecclesiae suae proposuit homini credendas fide supernaturali. *Praeambula* autem *ad fidem* sunt eae veritates circa Deum, aut res ad Deum spectantes, quas homo potest proprio ingenio comparare, quas tamen non repugnat Deum homini revelasse.

Quomodo praedicta praeambula ad fidem possint esse principia theologiae exponit S. Doctor [6]: *Ea quae demon-*

[1] 1 Cor., XV. — [2] 1 Quaest., XXXII, art. 1. — [3] Io., XX, 31, — [4] L. I de Fide cathol., c. 5. — [5] Ad 1[m]. — [6] 2[a] 2[ae], Quaest., I, art. 5, ad 3[m].

strative probari possunt, inter credenda numerantur; non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praeexiguntur ad ea quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his qui eorum demonstrationem non habent. Idipsum tradit idem Angelicus [1]: *Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus; scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. II:* ACCEDENTEM AD DEUM OPORTET CREDERE, QUIA EST, ET QUOD INQUIRENTIBUS SE REMUNERATOR SIT. *In esse enim divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit: in fide autem providentiae includuntur omnia quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem.*

Ex huiusmodi distinctionibus igitur inferri poterit, sacram Doctrinam probare posse ea principia quae non sunt articuli fidei, ut Deum esse, Deum esse unum, etc.

10. — PROP. III. — Sacra Doctrina praebet aliquam intelligentiam veritatum, quas Deus homini fide credendas proponit.

11. — Exponitur. — Huius propositionis veritas elucescit ex declaranda distinctione inter fidem et sacram Doctrinam. Quae distinctio attendi debet non α) secundum *originem:* nam unum est alterius fons, scilicet sacra Doctrina ex fide nascitur, cum propter amorem eius cui assentitur, homo desiderat habere rationes eius quod credit. Sicut enim gratia non tollit naturam, sed perficit, ita naturalis ratio subservit fidei, sicut inclinatio voluntatis subservit caritati. Nec ista distinctio attendi debet β) ex parte *subiecti* etiam formaliter inspecti, cum utraque agit de Deo et quidem sub ratione deitatis.

Igitur ista distinctio attendi debet: 1° *formalissime*, ut dictum est, nempe ex parte rationis formalis *sub qua* una et altera attingit suum subiectum, quia fides illud attingit sub ratione *crediti*, sacra vero Doctrina abstrahit a ratione crediti aut sciti, et illud attingit qua demonstrabile sub lu-

[1] IBID., art. 7.

mine revelationis. Consequenter 2° distinctio est ex parte *finis* quem una et altera nata est parere, quia fides est ad salutem propriam: sine fide enim impossibile est placere Deo; sacra vero Doctrina est ad promotionem fidei, et hoc triplici modo, secundum tria hominum genera, qui sunt: *adversarii* fidei, *incipientes* in fide et *provecti*. Demum haec distinctio attendi debet 3° ex parte *effectus*. Fides enim parit purum assensum, sacra Doctrina autem parit intelligentiam eius quod fide tenetur; unde dicebat S. Paulus [1]: *Quaerere Deum, si forte attrectent eum aut inveniant*; significans Deum posse, rationis discursu, ex iis quae de illo creaturae docent, adiri, *palpari* (ψηλαφίζω), eo modo quo in tenebris palpando deprehenditur quod quaeritur. Esto enim Deus sit spiritus invisibilis in se, inest tamen intime unicuique nostrum, per essentiam, per praesentiam et per potentiam, intimiori longe modo quam aer quem respirando attrahimus, et quem, licet non videamus, ex eo tamen quod nos refrigerat, quodammodo palpamus [2].

12. — PROP. IV. — **Sacra Doctrina disputat contra negantem aliqua ex suis principiis, et solvit rationes quae contra fidem inducuntur.**

13. — **Exponitur.** — Huius rei ratio desumitur ex analogia quae intercedit inter sacram Doctrinam et altiorem inter scientias humanas, scilicet metaphysicam. Nam, quemadmodum ista scientia disputat contra negantem sua principia, si adversarius quidem aliquid concedat; sin minus, solvit rationes quas contra haec inducit, ita sacra Doctrina contra negantes aliqua ex suis principiis arguit ex aliis, si adversarius aliqua saltem admittat; sin minus, munus suum exequitur, tantummodo eius rationes solvendo. Exempli gratia, si adversarius neget processionem Spiritus Sancti a Filio, admittat tamen SS.mae Trinitatis mysterium, aut ad minus auctoritatem S. Scripturae, theologus in promptu habebit illum, ex hisce, erroris convincere. Sin autem adversarius nihil admittat eorum quae divinitus revelantur, non rema-

[1] Act., XVII, 27. — [2] Cf. Tirin., in h. loc. Ven., 1760, t. III, p. 135.

nebit amplius via ad probandum hunc articulum fidei per rationes, sed tantummodo ad solvendum difficultates quas fors contra illum adversarius inducit.

14. — Scholion. — Nec oportet solutionem hanc esse semper positivam, ita ut rei negatae vindiciae simul et rationes adducantur; sed sufficit ut sit negativa, seu ut ostendatur tales rationes minime cogere, quidquid sit de obiectiva rei veritate. Non enim idem est solvere ac probare: nam probare est ex evidentibus; solvere autem est etiam ex his quae non apparent esse falsa, dato quod non sciantur esse vera.

Quod autem argumenta quae contra fidem inducuntur solvi ratione possint, ex eo deducitur quod fides infallibili nititur veritati; at impossibile est de vero demonstrari, vera et legitima argumentatione, contrarium: unde ratione ostendi potest quaecumque argumenta contra fidem inducta veras non esse demonstrationes, sed mera sophismata, aut ad summum propositiones quae assensum non cogunt: ad solvendum enim sufficit ostendere quod talis propositio non cogit.

15. — Advertenda circa conclusiones. — Circa conclusiones, tria advertenda sunt: *primo*, sedulo distingui debent illae conclusiones, pro quibus theologo viriliter dimicandum est, quarum scilicet negatio inducit ipsorum principiorum negationem, ab illis conclusionibus quae possunt sine fidei iactura in utramque partem agitari. *Secundo*, conclusio debet esse vere theologica, id est descendens saltem mediate ex una praemissa de fide [1]: utraque quoque certa esse debet: si enim probabilis alterutra sit, conclusio quoque probabilis erit. *Tertio*, quantum ad syllogismi *formam*, hic vere *discursivus* seu *deductivus* esse debet, non autem *expositorius*; id est, conclusio descendere debet praecise vi connexionis, scilicet, tanquam effectus in causa, vel proprietas in essentia, non autem tanquam pars in toto aut im-

[1] Utrum conclusio descendens ex una praemissa de fide, et altera de ratione sit et ipsa de fide tenenda, dicetur infra, Quaest. III.

plicitum in explicito: sic in hoc quod dicitur: *Christus est Deus, ergo est adorandus cultu latriae,* conclusio theologica habetur: non autem in hoc quod dicitur: *Omnis creatura est a Deo, ergo et haec creatura est a Deo.*

ARTICULUS IX. — *Utrum sacra Scriptura debeat uti metaphoris.*

1. — Articuli ratio. — Praesens articulus a S. Thoma adiicitur, quia prima facie non videretur sacram Scripturam quae est praecipuus fons ex quo nostra theologia argumentorum suorum materiam depromit, metaphoris uti debere, eo vel magis quia scientiam metaphoris uti vetat Philosophus [1]. Ubi metaphoram sumit S. Doctor pro similitudine ex rebus corporalibus ducta: at extendi potest ad significandam quamlibet locutionem figuratam; cum enim metaphora sit, iuxta S. Augustinum [2], *de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio,* constat in sacris Scripturis non metaphoras tantum, sed alias quoque figuratas locutiones inveniri, circa quas convenit et proposita quaestio.

Porro, planum est multas inveniri figuras tum in Veteri, tum in Novo Testamento. Sic figurative accipi debet id quod dicitur [3]: *Omne autem vulgus interfecit in ore gladii;* pariter [4]: *Lucerna pedibus meis verbum tuum;* rursus [5]: *Ecce Agnus Dei*; similiter [6]: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; et [7]: *Deus noster ignis consumens est.* Hunc autem figurarum usum Deum generaliter sanxisse sequentia ostendunt verba [8]: *Ego visionem multiplicavi, et in manu* (id est opera et ministerio) *prophetarum assimilatus sum*; tradere enim aliquid sub similitudine, ut hic [9] notat Angelicus, est metaphoricum. Ad imitationem autem sacrae Scripturae, Patres et Doctores, approbante, imo et suadente Ecclesia, res caelestes sub imaginibus etiam corporalium rerum ostendere

[1] L. II, Poster. — [2] CONTRA MENDAC., c. 10, I. VI, p. 461. — [3] 1 REG., XV, 8. — [4] Ps. CXVIII, 104. — [5] IO., I, 29. — [6] IBID., VI, 52. — [7] HEBR., XII, 29. — [8] Os., XII, 10. — [9] Sed contra.

consuevere. Quapropter, non hic de convenientia usus metaphorarum *a priori* quaeritur, sed *a posteriori* rationes huius convenientiae investigantur.

2. — Convenientiae rationes. — Cum igitur iam satis constet conveniens fuisse sacram Scripturam divina et spiritualia sub similitudine corporalinm rerum tradere, huius convenientiae rationes possunt ex duplici capite erui, scilicet ex parte *hominis, in cuius gratiam* fit revelatio, et ex parte *ipsius S. Scripturae, quae pro omnibus* traditur.

I. Ex parte quidem *hominis*, haec convenientia ex hoc apparet, quod, cum Deus omnibus provideat secundum quod competit eorum naturae, naturale autem sit homini ut per sensibilia ad intelligibilia deveniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium ducit, hinc convenienter in sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium; quod exprimens auctor libri *Caelestis Hierarchiae*, dicit [1]: *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varieta sacrorum velaminum circumvelatum.*

II. Ex parte etiam *S. Scripturae* apparet haec convenientia; quia cum omnibus hominibus proponatur, sapientibus nempe et insipientibus, convenit ut spiritualia sub imaginibus corporalium praesentet, ut saltem vel sic rudes, qui ad intelligibilia secundum se capienda, et ad res spirituales nude propositas percipiendas idonei non sunt, ea capere valeant.

3. — Corollarium. — Ex dictis patet quo diverso fine sacra theologia, quae supremum inter omnes scientias locum tenet, et poetica, quae est infima inter omnes doctrinas, utuntur huiusmodi similitudinibus. Poeta enim hoc facit propter delectationem: siquidem, repraesentatio ex metaphoris deducta delectationem affert; sacra autem Doctrina in hoc usu respicit fidei aedificationem: utiles, enim sunt ut diximus, metaphorae ad inducendum hominem in cognitionem divinorum [2].

4. — Scholion I. — Nec *praeiudicium* divinae revelationi ux usu talium figurarum inducitur: nam radius divinae re-

[1] C. I. — [2] Ad 1[m].

velationis non destruitur per huismodi sensibiles figuras quibus circumvelatur, sed remanet in sua veritate, cum non sinat mentes eorum quibus fit revelatio in similitudinibus perseverare, sed elevet eas ad cognitionem suprasensibilium, et per eos quibus revelatio facta est, alii etiam circa haec instruantur: unde ea quae in uno Scripturae loco sub metaphoris traduntur, expressius alibi exponuntur. Quapropter, ista figurarum velamina nec veritatis manifestationi obsunt, nec consequenter privant illius manifestatores promisso his verbis praemio [1]: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.*

5. — **Scholion II.** — Sed nec talis adumbratio utilitate vacat; cum sic α) aditus praecaveatur irrisioni infidelium, de quibus Dominus Noster ait [2]: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Accedit β) quod per huismodi occultationem, nostra reprimitur superbia, qua inflati tumescere possemus, si tam facile divina caperemus. Denique γ) silenda non est alia utilitas ex eo deducta, quod, per hanc adumbrationem, studiosorum ardor acuitur, atque ita fastidium tollitur, quod nimia intelligendi facilitate generari solet.

Haec omnia pulcre exponit S. Augustinus, dum ad loca sacrae Scripturae obscura alludens, ait [3]: *Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio renovandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* Et rursus: *Nemo ambigit et per similitudines libentius quaeque cognosci, et cum aliqua difficultate quaesita multo gratius inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt quod quaerunt, fame laborant: qui autem non quaerunt, quia in promptu habent, fastidio saepe marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnifice igitur et salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret.*

6. — **Quaestio.** — Ad huius rei complementum perutile

[1] Eccli., XXIV, 31. — [2] Matth., VII, 6. — [3] Lib. II, de Doctr. christ., c. 6, t. III, P. I, p. 21.

erit quaestionem solvere cur sacra Scriptura, si quidem similitudinibus creaturarum uti debuerit, infimas creaturas, et non sublimiores elegerit, dum novimus quod quanto aliqua creatura sublimior existit, tanto magis ad divinam similitudinem accedit.

Cuius rei triplicem reddit Angelicus rationem, vestigia secutus auctoris libri *Caelestis Hierarchiae* [1], cui magis conveniens videtur quod divina in Scripturis potius sub vilium, quam sub nobilium corporum figuris tradantur. Et *prima* quidem est, quia sic magis liberatur mens hominis ab errore. Nam cum multi sint, qui corpore nobilius quid cogitare non noverint, oportebat ut, propositis vilium corporum figuris, manifeste appareret haec non secundum proprietatem, sed secundum translationem dici de divinis. *Secunda* ex eo ducitur quod cognitio divinorum sub vilium corporum figuris conformior est cognitioni quam de Deo in hac vita habemus: cognoscimus enim de Deo potius quid non sit, quam quid sit; unde usus similitudinum rerum quae a Deo magis elongantur, veriorem nobis aestimationem faciunt quod Deus sit omnino supra id quod de ipso dicimus aut cogitamus. *Tertia* est quod per huiusmodi, divina magis occultantur indignis; unde licet Deus quandoque per nobiles creaturas, ut per *hominem, solem, aut stellam*, et similia, repraesentetur, tamen frequentior est usus illum repraesentandi per figuras rerum vilium [2], quales, exempli ad instar, sunt *leo, agnus, porta, via, ignis*, etc.

7. — **Solvitur difficultas.** — Nec absolute verum est scientiam metaphoris uti non debere: figurarum enim usus confert ad explicandum et illustrandum ea quae intellectus non tam facile capere potest; unde Philosophus non absolute reprobat usum metaphorarum in scientia, sed vult scientificum hominem ab eis abstinere tantum in definitionibus, in deductiva argumentatione, et in conclusione, cum ibi aequivocationem inducere possent, cum veritatis manifestandae detrimento [3].

[1] C. 2. — [2] Ad 3[m]. — [3] Quem iuvat usum metaphorarum in Sacra Scriptura penitius cognoscere, adeat pulcrum opus DE LA BOUILLERIE. Ep. Carcass., *Etude sur le symbolisme de la nature, interprété d'après l'Ecriture Sainte et les Pères*. Paris, 1864.

ARTICULUS X. — *Utrum sacra Doctrina differat a fide.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam de sacra Doctrina determinatum fuerit propter quid sit, quid in se sit, et qualiter procedere debeat, restat ut, ultimo loco, de eadem agatur prout ad fidem refertur. Saepe enim ista nomina, fides et sacra Doctrina seu Theologia promiscue adhibentur; at datur inter utramque, ut iam innuimus [1], formalis differentia, quam hic profundius rimari debemus. — Ubi, quo uberior sit nostra tractatio, comparatio quoque institui debebit cum visione beatifica, de qua in tractatu *de Deo Uno* ex professo peragetur [2].

2. — PROP. I. — Sacra Doctrina specifice distinguitur α) tum a fide, β) tum a visione beatifica.

3. — Prob. 1ª Pars. — Obiectum formale fidei est res non apparens, iuxta illud S. Pauli [3]: *Est autem fides... argumentum non apparentium;* res tamen ista est credita propter autoritatem Dei, qui nec falli, nec fallere potest, unde fides est formaliter mentis adhaesio rebus non visis. Obiectum vero sacrae Doctrinae est scitum, quod oportet aliquo modo esse visum. Ergo sacra Doctrina specifice distinguitur a fide. — Ubi recolendum est quod superius diximus [4], principia sacrae Doctrinae, utpote subalternatae scientiae Dei et beatorum, reduci ad notitiam Dei et beatorum.

4. — Prob. 2ª Pars. — Ad visionem beatificam pertinet ut intellectus ita Deum videat, ut velut ipsamet divina essentia informetur; unde nulla in ea potest fingi obscuritas, iuxta illud [5]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem.* Ergo necesse est visionem hanc specifice differre a fide, cuius obiectum, utpote essentialiter excedens rationem humanam, manet velamine obductum.

[1] Art. 2. — [2] Quaest. XII. — [3] Hebr., XI, 1. — [4] Art. 2, n. 11. — [5] 1 Cor., XIII, 12.

5. — PROP. II. — Sacra Doctrina non est incompossibilis α) cum fide, β) nec cum visione beatifica.

6. — Prob. 1ª Pars. — Revera, fides est quidem incompossibilis cum Dei visione in Verbo; nam omnis habitus recipit speciem ab obiecto; de ratione autem fidei est ut sit de re divina non visa, nam, ut ait S. Paulus, fides est *argumentum non apparentium* [1], et rursus: *quod videt quis, quid sperat* [2]? ubi spes sumitur prout originem suam ducit ex fide; quocirca, posito quod res divina sit visa, qualis est in visione beatifica, in qua omnia clare videntur in Deo, excluditur ratio fidei; unde dici solet quod fides in patria evacuabitur [3], seu quod fides est incompossibilis cum scientia beata, quae respectu nostrae scientiae est subalternans. — At fides non est incompossibilis cum scientia subalternata, quae est nostra theologia. De ratione enim fidei est ut credantur articuli revelati a Deo, formaliter quatenus sunt non visi; at sacra Doctrina nostra abstrahit a ratione sciti aut crediti, et adhaeret conclusionibus suis propter earum nexum necessarium et evidentem cum principiis revelatis; unde sacra Doctrina non solum certitudinem, sed etiam evidentiam habet suarum conclusionum. Non tamen principiorum evidentiam habet; sed hoc non impedit, ut dictum est, quin sacra Doctrina sit vere et proprie dicta scientia, quia ipsa est formaliter scientia subalternata; at in tantum scientia subalternata est scientia, in quantum continuatur ad habitum superiorem; accidit autem scienti quod principium subalternatae scientiae non sciat, sed credat; sicut accidit musico quod arithmeticam non calleat, sed illiusmet principia accipiat per fidem humanam.

Quocirca, sacram hanc scientiam S. Augustinus *fidei oculos* vocat, dicens [4]: *Habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, et quibus certissime videt, nondum se videre quod credit.*

7. — Scholion. — Hinc inferri potest, nostram scientiam

[1] Hebr., XI, 1. — [2] Rom., VIII, 24. — [3] 1 Cor., XIII, 10. Cf. 2 2ae, Quaest. I, art. 4, et Tr. de Incarn. Verbi, Quaest. VII, art. 3, Vol. I, n. 2, p. 314. — [4] Ep. CXX, c. II, n. 8, t. II, col. 349.

theologicam non evacuare fidem, aut illius meritum, ut quidam, suae ignorantiae excusationem petentes, calumniantur, sed potius illam vehementer promovere. Sacra enim Doctrina non conatur probare articulos fidei, de quibus proprie est fides; aliunde intelligentia quam parit de eis quae ex articulis fidei deducuntur, potest esse causa cur voluntas vehementiori nisu faciat intellectum assentiri iis quae Deus de se revelaverit. Unde iam Augustinum audivimus attribuentem huic scientiae illud quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur [1]; et rite ab Innocentio XI [2] damnata est sequens propositio Michaelis de Molinos [3]: *Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo, quia non habet fidem adeo puram, secundo, quia non est adeo humilis, tertio, quia non adeo curat propriam salutem, quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.*

8. — **Prob. 2ª Pars.** — Sacra theologia, quam magno hic labore comparamus, manebit in anima beatificata, non quidem ad essentialem sanctorum beatitudinem, sed ad accidentalem eorumdem perfectionem.

Revera, visio beatifica est, ut diximus, scientia subalternans respectu ad nostram theologiam: at possunt subalternans et subalternata in eodem esse subiecto, sicut in eo qui simul cum perspectiva cognoscit etiam geometriam. Praeterea, nostrae theologiae obiectum formale est res cognoscenda ex principiis a Deo revelatis; atqui obiectum istud non evacuatur obiecto scientiae beatae; hoc enim obiectum est Deus formaliter ut visus; unde in beatis non modo ponitur cognitio in Verbo et per Verbum, sed etiam cognitio rerum per species proprias earumdem, quam ad illam, theologi, Augustino duce, referri dicunt, sicut lucem vespertinam ad matutinam. Hinc S. Hieronymus ait [4]: *Discamus in terris quorum scientia nobis perseveret in caelis.* Quinimo haec

[1] L. XIV, DE TRIN., c. I, t. VIII, p. 948. — [2] Die 20 nov., 1687. — [3] Quae est 64ª. D.-B., n. 1284. — [4] Ep. LIII AD PAULINUM, al. CIII, t. I, P. I, p. 281.

nostra theologica scientia in beatis erit perfectissima, cum eis non desit principiorum, per altiorem quidem scientiam, evidentia. Sed et in anima separata a corpore, utcumque haec inveniatur, perdurabit theologia hic acquisita; quia, licet in ea non habeatur huius scientiae usus per conversionem ad phantasmata, quo sensu possunt intelligi verba S. Pauli, cum dicit [1] quod *scientia destruetur*, tamen quantum ad essentiam habitus, qui in intellectu reponitur, remanebit, cum tunc sui contrarium non sit habitura [2].

9. — Scholion. — Pro huius articuli coronide, distinxisse iuvabit, relate ad cognitionem Dei in ordine supernaturali, tres habitus: α) visionem Dei in Verbo, β) fidem, γ) nostram theologiam; qui quidem habitus specifice distinguuntur propter distinctionem obiectorum formalium *sub quo*, seu rationum cognoscibilium: siquidem, beati in Verbo Deum vident ipso divinae Essentiae lumine; fideles autem propter lumen fidei assentiuntur revelatis ab eo, theologi vero eadem scientifice deducunt, quantum possibile est, sub lumine divinae revelationis.

10. — Verba Aligherii. — Distinctiones has egregie illustrat Alighierius cum, loquens de visione divinae Essentiae, ait [3]:

Lì si vedrà ciò che tenem per fede,
Non dimostrato, ma fia per se noto,
A guisa del ver primo che l'uom crede.

Fidem vero describit [4] ipsis S. Pauli verbis [5]:

Fede è sustanzia di cose sperate,
Ed argomento delle non parventi,
E questa pare a me sua quidditate.

Mox de nostra theologia loquens, subiicit [6]:

... Le profonde cose,
Che mi largiscon qui la lor parvenza,
Agli occhi di laggiù son sì nascose,

[1] 1 Cor., XIII, 8. — [2] Cf. 1, Quaest. LXXXIX, art. 5. — [3] Parad., canto II, vers. 43, seq. — [4] Ibid., XXIV, 64, seq. — [5] Hebr., XI, 1. — [6] Vers. 70, seq.

Che l'esser loro v'è in sola credenza,
Sovra la qual si fonda l'alta speme;
E però di sustanzia prende intenza;
E da questa credenza ci conviene
Sillogizzar, senza avere altra vista
Però intenza di argomento tiene.

11. — **Definitio sacrae Doctrinae seu Theologiae.** — Collectis iam omnibus hucusque traditis, poterit sacra Doctrina seu Theologia, quoad rem ipsam, ita definiri: *De Deo, ut Deus est, sub lumine divinae revelationis, argumentativa scientia, ad finem vitae aeternae ordinata:* ubi patet omnes illius causas recenseri.

Quae cum ita sint, non restat nisi ut Spiritus Sancti verba ob lectoris oculos ponamus [1]: *Fili mi si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua; inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaberis et inclinaveris cor tuum prudentiae: si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam: et ex ore eius prudentia, et scientia.*

[1] Prov., II, 1-6.

QUAESTIO SECUNDA.

DE AUTHENTICIS FONTIBUS SACRAE DOCTRINAE.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Non satis quidem fuerit sacrae Doctrinae naturam et extensionem ostendisse, nisi etiam de authenticis fontibus, unde illa hauritur, sermo instituatur. Qui fontes humani non sunt, sed divini; nimirum, ex ipsis caelestibus regionibus et quasi ex Dei corde scaturiunt, qui arcana mentis suae homini pandit, itemque illum suaviter simul et efficaciter movet ad id quod sic didicerit aliis manifestandum. De his igitur fontibus agendum nunc erit, non quales in Propoedeutica, id est, sub lumine rationis naturalis investigantur, sed qualiter nobis sub ipso divino lumine manifestantur, quod quidem est propria ratio sub qua illos modo rimari debeamus.

2. — **Duplex sacrae Doctrinae fons.** — Duo autem sunt huiusmodi fontes: nimirum, alius directe, alius vero indirecte a Deo promanat: ita ut prior ipsum Spiritum Sanctum auctorem seu inspiratorem habeat; alter vero ex hominum industria, attamen sub Spiritus Sancti adsistentia profluat. Et prior quidem revelatio proprie dicitur; ad alterum autem pertinent Ecclesiae definitiones. Porro, revelatio divina, in libris Novi et Veteris Testamenti, necnon in Traditione consignata, ad prophetiam pertinet, quatenus per ipsam cognoscuntur ea quae Spiritus Sanctus nobis directe revelaverit. Definitiones vero Ecclesiae, ad fidem pertinentes, ad prophetiam quoque, ut dicemus, spectant, scilicet secundum iudicium de earum veritate ferendum, quatenus, ex Dei providentia, multiplex suppetit, in hominum opera, sub speciali adsistentia Spiritus Sancti, adminiculum, quo depositum illud illustratur, defenditur atque exponitur.

3. — Ordo quaestionis. — Quae cum ita sint, duo erunt in hac quaestione investiganda: primum, de iis quae sacrae Doctrinae depositum constituunt (1-3); alterum de iis quibus huiusmodi depositum exponatur, illustretur atque defendatur (4). Constituunt autem depositum sacrae Doctrinae tum prophetia authentica in Scriptura et traditione contenta (1-2), tum Ecclesiae authenticae definitiones (3); demum de Sacra Scriptura inquirendum erit, tum in se (1), tum quatenus plures sensus, sub una littera, claudit (2).



Quocirca, quatuor in hac quaestione erunt investiganda.

Primo. Utrum sacrae Doctrinae fons authenticus sit Sacra Scriptura et Traditio.

Secundo. Utrum Sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.

Tertio. Utrum authenticae Ecclesiae definitiones pertineant etiam ad fontem sacrae Doctrinae.

Quarto. Utrum per Patres Ecclesiae, Concilia particularia et Doctores scholasticos, Sacra Doctrina exponatur, illustretur, atque defendatur.

Articulus I. — *Utrum sacrae Doctrinae fons authenticus sit prophetia Scripturae et Traditionis.*

1. — **Quid sit prophetia.** — Prophetia, ut ait S. Thomas [1], est sicut quiddam imperfectum in genere divinae revelationis; unde dicitur quod *prophetiae evacuabuntur*, et quod *ex parte prophetamus* [2], id est imperfecte; perfectio autem divinae revelationis erit in patria. Etenim, prophetia importat cognitionem divinam ut procul existentem, unde et de prophetis dicitur quod *erant a longe aspicientes* [3]: illi autem qui sunt in patria, in statu beatitudinis existentes, non vident ut a remotis, sed magis quasi ex propinquo [4].

Potest igitur prophetia definiri, *quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina, per modum cuiusdam doctrinae.* Cum autem veritas cognitionis sit eadem in discipulo et in docente, sicut etiam in rebus naturalibus forma generati est similitudo quaedam formae generantis, hinc oportet eamdem esse veritatem propheticae cognitionis, quae est cognitionis divinae, cui impossibile est subesse falsum [5].

2. — **Quomodo hic prophetia accipiatur.** — Porro, cum cognitio prophetica sit per lumen divinum quo possunt omnia, tam divina quam humana, tam spiritualia quam corporalia, cognosci, ideo revelatio prophetica ad omnia huiusmodi se extendit: nempe, ad ea quae pertinent ad Dei excellentiam et angelicorum spirituum ministeria, ad mores hominum, vel ad corpora naturalia: et aeque complectitur futura, praeterita et praesentia, quae scilicet procul sunt ab hominum cognitione. Attamen, quia contingentia futura nondum habent in se veritatem determinatam, ideo ista minus cognoscibilia sunt quam occulta praesentia aut praeterita; et hac de causa solet nomen prophetiae reservari pro revelatione eventuum futurorum. — Sciendum tamen est nomen

[1] 2 2ae, Quaest. CLXXI, art. 4, ad 2a. — [2] 1 Cor., XIII, 8, 9. — [3] Hebr., XI, 13. — [4] 2 2ae, Quaest. CLXXIII, art. 1. — [5] 2 2ae, Quaest. CLXXI, art. 6.

prophetiae a nobis modo usurpari potissime pro revelatione mysteriorum fidei nostrae, ut Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, etc. [1]. — Intentio igitur nostra nunc est, ut ostendamus primum ac praecipuum sacrae doctrinae fontem esse prophetiam hoc modo intellectam.

3. — Duplex prophetiae genus, privatum et authenticum. — Ulterius advertendum est, duplex distingui debere prophetiae genus: alterum privatum, publicum alterum. Primum ad eum cui conceditur formaliter pertinet; alterum vero ad commune bonum electorum ordinatur. Et de illo quidem satis est ut ei cui fit innotescat; hoc vero publici quodammodo iuris fieri debet per authenticam divulgationem, sive scriptam, sive ore traditam. Proinde loquens privatus propheta, propria auctoritate loquitur; publico autem prophetae adnexa est divinae auctoritatis charisma, iuxta illud [2]: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*: locuti sunt, inquam, sive ore, sive scriptura, ad communem Ecclesiae aedificationem.

4. — Duplex prophetalis fons divinae revelationis. — Quae cum ita sint, iam duplicem agnoscere est revelationis fontem: unum, per oralem doctrinae revelatae, de generatione in generationem, traditionem; alterum, per authenticam scripturam, qualem hagiographi nobis reliquere et Ecclesia sancivit. At, in utroque casu, scilicet in prophetia tum scripturali, tum traditionali, agnoscenda est, praeter divinam manifestationem, etiam Spiritus Sancti formalis inspiratio ad eam tradendam, de qua re praestat aliquid ulterius disserere, cum res ista magni momenti sit, signanter pro intelligendo eo quod in hagiographis, seu in auctoribus librorum Veteris et Novi Testamenti, formaliter requiritur.

5. — Ad tradendam prophetiam authenticam requiritur divina motio. — Sciendum igitur, ad omnem prophetiam requiri inspirationem ad illam suscipiendam; at vero, in iis a quibus divina revelatio, sive ore, sive scripto, nobis perve-

[1] Cf. 2 2ae, Quaest. CLXXI, art. 3. — [2] 2 Petr., I, 21.

nit, ulterius necessaria est inspiratio ad illam tradendam [1]: quae quidem inspiratio est formaliter Spiritus Sancti motio, ex qua repetendum est quod sacri scriptores sunt proprie instrumenta, Deus autem agens principale: ad quod rite intelligendum, recolenda est profundissima ac verissima scholastica doctrina de instrumento et agente principali.

Ex hoc autem quod hagiographi et illi qui revelationem tradiderunt, sunt Dei instrumenta, sequitur totum quod scribunt aut dicunt esse non solum ipsis, sed Deo auctori, tanquam causae primae, tribuendum, ac proinde non modo eorum sententias, sed etiam verba, esse inspirata.

6. — Sententia Card. Newman examinatur et reiicitur. — Ex quo haec doctrina, utique certissima, derelicta est, maxime ob auctoritatem Card. Newman, qui inspirationem solum sententiarum tenuit, magna in Scholis inducta est confusio, quam tamen abstulit Leo XIII, edita percelebri Encyclica, *Providentissimus Deus*, in qua ait [2]: *Supernaturali virtute ita eos ad scribendum* (Spiritus Sanctus) *excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia, eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae.*

In hoc nimirum reponitur fundamentum erroris celebris Cardinalis quod ille, in Libris Sanctis, distinguebat id quod est a Deo ab eo quod est ab homine, quasi non posset esse idem ab utroque, scilicet totum a Deo, ut a causa prima et principali, et totum ab homine ut a causa instrumentali, ut docet philosophia [3].

Retinendum ergo est, in hagiographis, et in eis qui re-

[1] 2 2ae, Quaest. CLXXI, art. 1. — [2] 18 nov., 1899. — [3] Sic quippe erronee scribebat Cardinalis: *By reason of the difficulty of always drawing the line between what is human and what is divine*, (the Word of God) *cannot be put on the level of other books*, etc. What is of obligation for a catholic to believe concerning the inspiration of the Canonical Scriptures. Being a Postscript to an article in the February N.o of the XIXth Century Review, in answer to Professor Healy. London, Burns and Oates.

velationem oretenus tradidere, primo requiri motionem Spiritus Sancti, hominem loquentem aut scribentem suaviter et efficacissime impellentis tum ad suscipiendam revelationem, tum ad eam verbo aut scripto tradendam.

7. — In prophetis authenticis, requiritur etiam formaliter lumen propheticum ad diiudicandum. — Praeter Spiritus Sancti motionem, requiritur etiam formaliter, in propheta authentico, lumen propheticum ad diiudicandum, secundum divinam veritatem, tum ea quae sibi manifestantur, tum ea quae forsan naturali ratione cognoscere potuerit.

Equidem, debuit interdum Spiritus Sanctus novas hagiographis rerum species imprimere, sive sensibiles, sive imaginarias, sive intellectuales, quando scilicet ipsi per se veritatem assequi non poterant, eo nempe modo quo magister discipulo repraesentat aliquas res per signa locutionum; sed hoc non semper necessarium fuit: scilicet, satis interdum esse potuit, ut divinitus ordinarentur species imaginariae praeacceptae a sensu, secundum congruentiam ad veritatem revelandam; et interdum etiam hoc ipsum necessarium non fuit, hagiographo naturaliter aut per proprium studium ultro assequente id quod scribere debebat.

Hoc sensu S. Lucas de se ipse testabatur [1]: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quae in nobis completae sunt rerum; sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Expressius adhuc auctor libri secundi Machabaeorum scribebat [2]: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.* Pariter in libro Ecclesiastici legimus [3]: *Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum, et multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis ad illa quae ad finem ducunt, librum istum dare.*

8. — Absoluta necessitas luminis prophetici ad iudicandum. — At, quod omnino necessarium fuit in omni hagiogra-

[1] I, 1, seq. — [2] C. II, 27. — [3] In Prologo.

pho et quod aliunde suppleri non potuit, est lumen intellectuale ad *iudicandum*, tum de veritate obiectiva eorum quae scit, tum de propria ratione ea, sive ore, sive scripto, tradendi. Et quidem hoc lumen, accedente motione ad scribendum. sufficiens est ut aliquis liber dici possit inspiratus, cum fieri potuerit, et revera factum fuerit quod aliquis sacer scriptor materiam suae narrationis aliunde, quam per revelationem, cognoverit. Quapropter, inter responsa a Commissione Pontificia de Re biblica edita, legitur [1], *absque praeiudicio mosaicae authentiae Pentateuchi, concedi* (posse) *Moysen, ad suum conficiendum opus, fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum, et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit.*

Notat autem opportune Angelicus Doctor [2], quod si lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed tantummodo ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione possunt cognosci, tunc talis prophetia intellectualis est infra illam quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem: huiusmodi autem prophetiam habuerunt illi ex hagiographis qui loquebantur de rebus humana ratione cognoscibilibus, cum adiutorio tamen divini luminis.

9. — Distinctio inter prophetas et hagiographos. — Ut autem omnis hac in re confusio auferatur, ex modo dictis inferri potest, opportune introductam fuisse distinctionem inter prophetas et hagiographos, hoc pacto ut prophetae ii sint quibus ea quae dicebant vel scribebant Spiritus Sanctus revelaverit; hagiographi vero qui, Spiritu Sancto movente et lumen ad iudicandum infundente, ea conscripserint, quae naturaliter cognoscere potuerint: quae quidem distinctio in Sacra Scriptura fundatur, ubi inducuntur prophetae loquentes ex persona Domini, cum dicerent ad populum:

[1] Vide *Analecta Ecclesiastica*, Iulius, 1906, p. 305. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CLXXIV, art. 2, ad 3^{m}.

Haec dicit Dominus; hagiographi autem exhibentur potius loquentes ex persona propria.

Attamen, sicut hagiographus, sic acceptus, est etiam propheta, ita propheta quoque, qui revelationes sibi commissas conscripserit, vicissim dicitur hagiographus: unde hoc nomen, *hagiographus*, dupliciter sumi potest, scilicet, generice et specifice: et si quidem sumatur generice, dici potest omnis propheta esse hagiographus; si autem sumatur specifice, dividitur hagiographus contra prophetam, ut hic dicitur [1].

10. — **Quaestio.** — *Quaenam ad inspirationem Librorum sacrorum formaliter requiruntur?*

Resp. Cum distinctione: aut enim sacris scriptoribus res narrandae erant humano sensui perviae vel ex proprio labore cognoscibiles, et tunc sufficiebat lumen propheticum ad iudicandum seu discernendum; aut ea quae narrabant nonnisi per revelationem cognoscere poterant, et tunc, praeter huiusmodi lumen, requirebatur ulterius lumen ad cognoscendum, licet etiam hagiographi cognitiones naturales ex revelatione, scilicet per accidens, accipere potuerint. — Quoniam vero Ecclesia docet libros canonicos Veteris et Novi Testamenti Deum habere auctorem, ulterius agnoscenda est, in conceptu inspirationis, motio Spiritus Sancti utentis hagiographo tanquam instrumento rationali et libero, eo modo quo dicitur Deus movere unumquodque secundum modum suae naturae: et haec quidem requiruntur et sufficiunt ad genuinum inspirationis conceptum.

11. — PROP. — **Praecipuus fons sacrae Doctrinae est revelatio prophetica in sacris Litteris et Traditione contenta.**

12. — **Auctoritas S. Pauli.** — Ad rem hanc conficiendam, adest imprimis locus S. Pauli [2]: *Tu vero permane in iis quae*

[1] Uti patet, non hoc sensu sumitur hic nomen *hagiographus*, quo a recentioribus scriptoribus usurpari solet, scilicet, pro designando scriptore Sanctorum gesta narrante, qui potius *hagiologus* foret dicendus. — [2] 2 Tim., III, 14-17.

didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris: et quia ab infantia sacras litteras nosti quae te possunt instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

13. — Explicatur textus. — Ad rite intelligendum celeberrimum istum S. Pauli locum, imprimis iuvat advertere, hanc fuisse Apostoli intentionem, ut Timotheum induceret ad officium suum episcopale fideliter adimplendum. Ad officium episcopale autem formaliter pertinet populum mysteria fidei docere, seu sacram doctrinam inviolabiliter tenere et fideliter tradere: unde et appellativum *homo Dei*, in ore S. Pauli [1] valet doctorem et episcopum. Sacram doctinam vero tenere et tradere est illi scientiae pressius inhaerere, quae hoc nomine vocitatur, cuius munus duplex est: scilicet speculativum et practicum: quorum prius significatur verbis: *ad docendum*; alterum vero verbis: *ad arguendum, ad corripiendum*, etc.: utrumque autem cumplectuntur verba: *instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Iesu.* — Iamvero, ad haec omnia praestanda, provocat S. Paulus dilectum discipulum, primo quidem ad id quod ipsemet illum olim docuerat, seu ad traditiones quas ab ipso ore Pauli acceperat: verba enim: *sciens a quo didiceris*, ad ipsum Paulum, qui modestiae causa nomen suum reticet, referuntur; secundo, eumdem provocat ad sacram Scripturam, quam ille a pueritia accurate didicerat. Ergo sacrae Doctrinae fons praecipuus est tum traditio prophetica, tum sacra Scriptura, quae pariter e prophetiae fonte scaturivit.

14. — Prophetia authentica, tum in Veteri, tum in Novo Testamento consignata. — Quod autem huiusmodi prophetia tum in Veteri Testamento, per prophetas, tum in Novo, per Dominum nostrum Iesum Christum, sit facta, solemniter testatur idem S. Paulus, his verbis [2]: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime diebus*

[1] Cf. 1 Tim., VI, 11. — [2] Hebr., I, 1, 2.

istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. — Porro, recolendum est, id unum a S. Paulo, in hac epistola, intendi, ut quasi tractatum ederet theologicum, ea ordinatim continentem, quae ad Filii Dei aeternam ac temporalem originem, necnon ad humanam redemptionem, maxime per sacerdotium Novae Legis procurandam, pertinent. Cum igitur huic sublimissimo tractatui, qui utique et ipse ad prophetiam pertinet, praemittat Apostolus Dei ad homines per prophetas, et maxime per Christum, factam revelationem, pronum est concludere hunc esse, ex eius mente, sacrae nostrae Doctrinae fontem praecipuum.

15. — Auctoritas Concilii Tridentini. — Iuvat autem veritatem hanc ex ipsis Concilii Tridentini verbis relegere[1]: *Quod* (Evangelium) *promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit*[2]: *perspiciensque, hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae* (ex) *ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.*

16. — Notanda. — I. Ex dictis constat, sacram Doctrinam haurire suarum disputationum principia, imprimis ex prophetica revelatione, quae tum in Sacra Scriptura, tum in Traditione sine scripto continetur: ubi, traditiones *sine scripto* audiens, reputare non debet has scriptis non fuisse consignatas, cum utique scriptis apud Patres et Doctores consignatae reperiantur, at non in libris inspiratis.

[1] Sess. IV, Decr. de Can. Script. — [2] Matth., XXVIII, 19.

II. Sacram Scripturam potiorem esse, prae Traditione, revelationis fontem, ex duplici ratione evincitur: primo, quia plures in ea, quam in Traditione, veritates continentur; secundo, quia velut supremum tribunal existit ad quod pro Traditionis veritate debeat appellari. Etsi enim, quod attinet ad inspirationem, canonicitatem et interpretationem, Sacra Scriptura Traditioni subsit, quo sensu aiebat S. Augustinus se Scripturae non credere, nisi adesset Ecclesiae auctoritas, tamen, ut Traditionis existentia et vigor, seu ut ipsius Eccleriae auctoritas, adaequate demonstretur, ad Scripturam, vicissim, tanquam ad supremum criterium recurrere debemus.

III. Quocirca, Sacra Scriptura et Traditio non sunt duplex fons divinae revelationis, sed unus ex duobus rivis coalescens: quia nec Scriptura sine Traditione, nec Traditio sine Scriptura sufficienter valet ad veritatem revelatam plene promendam.

IV. Quae cum ita sint, rite intelligetur: primo, quomodo, in nominando fonte revelationis, ex quo sacra Doctrina sua haurit principia, potius nominatur Sacra Scriptura quam Traditio; secundo, cur S. Thomas, in pluribus locis, sacram Doctrinam cum Sacra Scriptura confundit [1].

Articulus II. — *Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.*

1. — **Pluralitas sensuum in sacra Scriptura.** — In hoc articulo, in quo tum potissima dos, qua sacra Scriptura ceteras scientias superat, traditur, tum norma statuitur qua theologum in illius usu duci oporteat, nos, S. Doctorem secuti [2], rem statuemus quae omnino ad fidem pertinet, nempe plures, in sacra Scriptura, sub una littera, sensus contineri. Hoc enim pluries in ipsismet Libris sanctis manifesto po-

[1] Celebria sunt S. Doctoris verba (L. contra Ep. Man., c. V, n. 6, t. VIII, col. 154): *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.* Cf. Quaest. I, art. 2, ad 3^{m}; art. 8, corp.; art. 9, tit., etc. — [2] 1, Quaest. I, art. 10.

nitur: puta, cum id quod in Genesi de duobus Abrahae filiis, quorum alter de ancilla, alter vero de libera natus refertur [1], Apostolus docet interpretandum esse de duobus testamentis [2]; aut id quod de serpente aeneo in Numeris narratur [3], positum fuisse ad significandum Christum in cruce exaltandum Ioannes Evangelista declarat [4]; aut rursus Ionae inclusionem in ventre piscis [5], Christum signare in sepulcro reconditum, ipse Dominus noster apud S. Matthaeum edisserit [6]. Quocirca omnes sacrorum orthodoxi interpretes unanimiter hanc sensuum multiplicitatem agnoscunt, licet prioribus Ecclesiae saeculis ipsorum sensuum distinctionem non tam accurate definierint.

2. — Ratio pluralitatis sensuum in Sacra Scriptura. — Nec deest huic rei propria ratio ex eo deducta, quod auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam ipsas res; unde cum in omnibus scientiis voces significent, hoc ista scientia sibi proprium vindicat, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid; pro quo referri possunt ea Sapientiae [7]: *Est enim in illa spiritus... multiplex..., qui capiat omnes spiritus.* Unde S. Gregorius Magnus ait [8]: *Sacra Scriptura scientias omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit; quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium.*

Notandum vero, id quod hic dicitur de vocibus, aeque valere pro nutibus, aut gestibus, aut signis quibuscumque, sicut cum Aegyptii rerum vel animalium figuris pro conceptibus significandis utebantur.

3. — Sensus litteralis et spiritualis. — Porro, prima distinctio sensus in sacra Scriptura est sensus *litteralis* a sensu *spirituali*, ita accipienda, ut illa prima significatio, qua voces significant res, pertineat ad primum sensum; illa

[1] XVI, 15; et XXI, 2. — [2] Gal., IV, 22. — [3] XI, 9. — [4] III, 14. — [5] Ion., II, 1. — [6] XII, 40. — [7] VII, 22, 23. — [8] L. XX, Mor., c. I. Basil., 1551, t. I, p. 665.

vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, spectet ad secundum sensum, qui super litteralem fundatur, et eum semper supponere debet. Unde ait S. Hieronymus [1]: *Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae; quod plerique ignoranles, lymphatico in Scripturis versantur errore.* Litteralis sensus aliquando vocatur etiam *historicus, corporalis, grammaticus* (a γράμμα, *littera*), *immediatus;* spiritualis autem interdum appellatur etiam *mysticus, mediatus.* Duplicem hunc sensum, quorum alter in verbis obvius est, alter vero sub rebus occultatus latet, idem S. Hieronymus censet figurari per librum scriptum intus et foris, qui Ezechieli narratur oblatus [2].

4. — **Sensus litteralis duplex.** — Porro, sedulo advertendum est, sensum litteralem alium esse *proprium,* alium vero *figurativum* seu *metaphoricum,* quem etiam aliqui *parabolicum* vocant: nam per voces aliquid significatur proprie, aliquid autem figurative aut parabolice [3]. Quandocumque enim aliquid figurative dicitur, litteralis sensus non est ipsa figura, sed id quod est figuratum; sicut, cum Scriptura nominat Dei brachium, litteralis sensus non est quod in Deo sit huiusmodi membrum corporale, sed quod in ipso sit id quod per hoc membrum significatur, nempe virtus operativa [4]. Pariter, cum dicitur [5]: (Oves meae) *vocem meam audient,* litteralis sensus est de populo fideli, qui per oves significatur. Ad sensum litteralem figurativum pertinet et sensus *symbolicus,* quo apud prophetas res sub symbolis repraesentantur. Porro sensus litteralis, cum sit reliquorum sensuum, de quibus mox dicetur, fundamentum, in omnibus locis sacrae Scripturae reperitur, sive nempe sit sensus litteralis proprius, sive figurativus [6].

Nec praetermittendum est S. Augustinum [7] tacite subdivi-

[1] Comm. in Cap. II, Is. — [2] Ezech., II, 9. — [3] *Intellectus metaphoricae locutionis,* ait S. Thomas (I 2ae, Quaest. CII, art. 2, ad 1um), *in Scripturis est litteralis, quia verba ad hoc proferuntur, ut hoc significent.* — [4] Ad 3um. — [5] Io., X, 16. — [6] Advertendum est sensum mysticum aliquando dici figurativum, in quantum scilicet figura accipitur pro re aliqua aliam rem indicante. — [7] In l. de Util. cred., c. 3, t. 8, p. 48.

dere sensum litteralem in *historiam*, *aetiologiam* (ab αἴτιον, *causa*, et λόγος, *sermo*), et *analogiam* (ab ἀναλογία, *similitudo*), secundum quod littera sacri textus, aut simpliciter aliquid proponit, aut dicti causam adsignat, sicut cum Dominus adsignavit causam, quare Moyses dederit licentiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum [1], aut demum veritati non repugnare ostenditur per alium locum parallelum [2].

5. — Triplex sensus spiritualis. — Sensus autem *mysticus* trifariam dividitur ; et quidem, secundum quod ea quae sunt Veteris Legis significant ea quae sunt Novae Legis, est sensus *allegoricus* (ab ἄλλος, *aliud*, et ἀγορεύω, *denuntio*); secundum autem quod ea quae facta sunt aut in Christo, aut in iis quae Christum significant, signa eorum sunt quae nos agere debemus, est sensus *moralis* seu *tropologicus* (a τρόπος, *mos*, *el* λόγος); denique, secundum quod istis significantur illa quae ad aeternam gloriam pertinent, est sensus *anagogicus* (ab ἀνάγω, *sustollo*). — Ratio autem huius divisionis est, quia figura Novae Legis est Lex Vetus, quae, ut ait S. Paulus [3], *nihil... ad perfectum adduxit;* rursusque, ut dicitur in libro *Ecclesiasticae Hierarchiae* [4], ipsa Nova Lex est figura futurae gloriae; demum, in Nova quoque Lege, ea quae in capite sunt gesta, signa sunt eorum quae nos agere debemus. — Facile erit tres istos sensus ad theologicas virtutes revocare: scilicet, sensum allegoricum ad fidem, anagogicum ad spem, tropologicum ad caritatem.

6. — Notanda. — Ubi duo notanda veniunt. *Primo*, non est confundendus sensus allegoricus modo expositus cum illa allegoria, quae est continuata vocum translatio et pertinet ad sensum litteralem metaphoricum, qualis est in hoc Isaiae [5]: *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno*, etc. — *Secundo*, cum dicit sanctus Thomas sensum allegoricum esse, cum ea quae Veteris Legis sunt significant ea quae sunt Novae Le-

[1] Matth., XIX, 8. — [2] Ad 2[m]. — [3] Hebr., VII, 19. — [4] C. V. — [5] XI, 5, seq.

gis, non vult excludere quin etiam Scriptura Novi Testamenti sensum allegoricum habeat, cum ibi etiam Patrum auctoritate doceamur eum non raro inveniri; sed hoc dixit, quia sensus allegoricus frequentius in Veteri quam in Novo Testamento recurrit. Hinc ipsemet Angelicus scribit [1]: *Ipsum verum corpus Christi et ea quae in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici, et eorum quae in ipso geruntur,* Et rursus: *Ea quae ad litteram de ipso Christo capite dicuntur, possunt exponi et allegorice, referendo ad corpus eius mysticum: et moraliter, referendo ad actus nostros qui secundum ipsum debent reformari; et anagogice, in quantum in Christo est nobis iter gloriae demonstratum.*

7. — Quatuor sensus in Sacra Scriptura. — Ex hisce sequitur, quatuor esse sensus in sacra Scriptura contentos, qui hisce versibus designari solent:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Quanquam, ut diximus, non semper eodem modo ab omnibus sacris Doctoribus sensus illi describuntur, aliis cum S. Augustino [2] solam allegoriam pro tribus spiritualibus sensibus ponentibus, aliis cum Hugone de S. Victore [3], sub sensu allegorico, etiam anagogicum comprehendentibus, dum ponunt solum tres sensus, scilicet *historicum, allegoricum* et *tropologicum* [4]. At Ven. Beda praedictos quatuor sensus propriis nominibus designat, dum ait [5]: *Verba caelestis oraculi vel historico intellectu, vel allegorico, vel tropologico, id est morali, vel certe anagogico, solent accipi.* — Horum quatuor sensuum appositum exemplum exhibet S. Hieronymus [6] in voce *Hierusalem,* quae litteraliter intelligitur de civitate Iudaeae principe, allegorice de Ecclesia militante, moraliter de anima fideli, anagogice de patria caelesti. Ipsemet S. Thomas [7] aliam pulcram exhibet huius quadruplicis sensus illustrationem in verbis *fiat lux,* quae litteraliter intellecta significant lu-

[1] Quodlib. VII, art. 5 ad 5[m]. — [2] Loc. cit. — [3] Prol., l. I, DE SACRAM., c. 4. — [4] Ad 3[m]. — [5] L. I, DE TABERN., c. 5. — [6] AD C. XVI EZECH., Ven., 1768, l. V, Pr. I, p. 143. — [7] IN CAP. IV, AD GAL., I, 6.

cem corporalem, allegorice Christum, moraliter gratiam, analogice gloriam. Egregie S. Hieronymus sensus moralis excellentiam describit [1]: *Totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est.*

Nec horum sensuum multiplicitas facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis, quia sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces, aliarum rerum possunt esse signa; unde nec ulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet super sensum litteralem [2]. — Quantum vero ad usum horum sensuum relate ad sacram Doctrinam, ponimus sequentem

8. — PROP. — Ex solo sensu litterali potest trahi argumentum, non autem ex iis quae secundum allegoriam dicuntur [3].

9. — Exponitur. — Constat haec veritas auctoritate S. Augustini [4], qui redarguens Vincentium quemdam episcopum Cartennensem, qui Rogatistarum schismatis partes susceperat, vix, ait, eos posse, quod Donatistae faciebant, illo textu gloriari [5]: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie?* cum sint brevissimum frustum de frusto maiore Donatistarum praecisum. Sed et si id facerent, *quis non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Tum facete illos perstringit, quasi forsan alii, in alia orbis regione, longe a meridie posita, propter iustam causam, ut putarent, a communione christianae societatis se separaverint, seque dictitarint veram Ecclesiam Christi, multoque praesumptius pro se interpretentur quod dictum est [6]: *Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.*

[1] Ep. LVIII ad Paulinum, I, P. I, p. 325. — [2] Ad 1m. — [3] In his S. Thomae verbis (Quaest. I, art. 10, ad 1m), caveat novitius ne *allegoriam* hic sumat pro sensu metaphorico: nam et iste litteralis est, ut diximus. Igitur sensus allegoricus hic stat pro sensu mystico, ex quo argumenta trahere prohibemur. — [4] Epist., XCIII, t. II, c. VIII, nn. 24, 25, t. II, col. 241. — [5] Cantic., I, 16. — [6] Ps. XLVII, 3.

Qua in re peccasse Origenem testis est S. Hieronymus, qui ad huius auctoris allegoricas expositiones alludens, *ingenium suum*, ait [1], *facit Ecclesiae sacramenta.*

10. — Tacite vero **obiicenti**, ex hoc aliquid sacrae Scripturae deperire, cum copiosior illius usus esset si etiam ex aliis sensibus argumenta traherentur, respondet Angelicus [2], nihil sub spirituali sensu contineri fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat: quae tamen verba expositionis necessitate non vacant, cum aliqua fidei nostrae dogmata nullibi inveniantur in Scriptura secundum sensum litteralem manifeste tradita. Sic ad perpetuam Deiparae virginitatem, quae res de fide est, comprobandam ex Scripturis, non aliud invenitur, nisi iste locus Ezechielis sensu spirituali intellectus [3]: *Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.*

Ad hoc intelligendum, adverti debet, Angelici verba non omnino universaliter intelligi debere, ut etiam constat ex ipsius Augustini auctoritate, quem se in hoc loco sequi velle sanctus Thomas evidenter ostendit. Revera, Hipponensis Praesul ita scribit [4]: *Nihil enim* FERE *de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Unde illa intelligenda sunt dicta de explicitioribus fidei nostrae dogmatibus, ut explicat idem Augustinus [5]: *In iis quae* APERTE *in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem moresque vivendi.* Qui etiam alibi scribit [6]: *Multa dicuntur submissius et humi repentibus animis accommodatius, ut per humana in divina consurgat; multa etiam figurate, ut studiosa mens et quaesitis exerceatur utilius, et uberius laetetur inventis.*

11. — Quaestio. — Ex occasione eius quod addit Angelicus [7] ex eodem Augustino [8], nempe inconveniens non esse si etiam secundum litteralem sensum, in una littera Scri-

[1] Praef. lib. V. COMM. IN Is., t. IV, P. I, p. 168. — [2] Ad 1[m]. — [3] XLIV, 2. — [4] L. II, DE DOCTR. CHRIST., c. 6, t. III, P. I, p. 22. — [5] Loc. cit., c. 9. — [6] LIB. DE MOR. ECCL., c. 17, t. I, p. 698. — [7] In corp. art. — [8] Lib. XII, CONFESS., c. 18, seq., t. I, p. 217, seq.

pturae, plures sint sensus, quaeri potest *quid de multiplici sensu litterali sit tenendum?*

Qua in re advertendum est, recentiores sacrae Scripturae interpretes, quidquid sit de antiquioribus, communiter reiecisse sententiam de multiplici sensu litterali sub una Scripturae littera, hac ductos ratione, quod hoc veritatis unitati noceret, tolleretque vim et robur argumentorum. At duplex hic quaestio debet sedulo distingui: alia de possibilitate seu de rei non repugnantia, alia de facto. Et primo, quod attinet ad possibilitatem multiplicis sensus litteralis, profecto hanc negari non posse evidenter ostendit ratio a S. Doctore adducta, nempe quia sensus litteralis ille est quem auctor intendit; auctor autem sacrae Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, et plura potest uno simplici verbo significare. Revera, si peritissimus artifex plura opera paucioribus instrumentis potest perficere, et similiter profundissimus vir plures res paucioribus verbis exprimere, negandum cur erit Deum, qui est infinitae sapientiae, plura, imo infinita, sub una littera, significare potuisse? Igitur ex parte Dei convenientia manifeste patet, non ita tamen ex parte nostri, penes quos ista sensuum pluralitate certitudo veritatis periclitari videtur.

Igitur, quaestio hic non tam de rei possibilitate, quam de facto ipso agitatur.

12. — Sensus litteralis primarius et secundarius. — Ad dirimendam hanc controversiam, et adversariorum dissensionem componendam, imprimis distinguendus est sensus litteralis principalis et primarius a sensu secundario, et dicendum, unum tantum esse sensum litteralem primarium a Spiritu Sancto intentum, qui est sensus ab Ecclesia, in suis dogmatibus, susceptus, necnon a Patribus illustratus et in quo fidei nostrae veritates fundantur; esse tamen plures sensus secundarios a Spiritu Sancto pariter intentos, tot videlicet quot pia mens, agnito iam ex auctoritate Ecclesiae et Patrum, sensu illo primario, consentiente quoque tum generaliter fidei analogia, tum etiam specialiter ipsius primarii sensus analogia, sub motione ipsius auctoris Sacrae Scripturae, scilicet Spiritus Sancti, qui est Spiritus

Paraclitus, ad propriam vel aliorum spiritualem aedificationem et consolationem adinvenire potuerit [1].

Cuius rei ratio haec assignari potest, scilicet Sacram Scripturam, tanquam Dei ad hominem testamentum, pro uniuscuiusque nostri profectu spirituali divinitus fuisse exaratam, iuxta illud [2]: *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Unde omnino retineri debet sensum omnem, quem fidelis aliquis, regulae fidei cohaerenter, ad sui aut aliorum consolationem et aedificationem, adinvenire potuerit, dummodo analogia cum sensu principali non careat, fuisse a Spiritu Sancto intentum, ideoque esse ipsum sensum litteralem *secundarium.* Qua in re praeclara sunt verba S. Augustini aientis [3], *Spiritum Dei. qui per scriptorem inspiratum haec verba operatus est. etiam hanc sententiam lectori vel auditori occursuram praevidisse, imo ut occurreret, quia et ipsa veritati sit subnixa, providisse.*

13. — Quid sit sensus litteralis secundarius. — Quaerenti autem quid iste sensus litteralis secundarius sit, respondemus illum non aliud esse, nisi sensum quem *accommodatum* aut *accommodatitium* vel etiam *consequentem* vocant: non tamen secundum quod sensus iste accommodatus solet definiri, nempe quem Spiritus Sanctus nullo modo intenderit, sed secundum quod est sensus quem Spiritus Sanctus secundario intendit; et ita, licet non sit sensus obvius Sacrae Scripturae, est tamen in Sacra Scriptura vere et realiter contentus.

14. — PROP. II. — Sensus litteralis secundarius est ipse sensus accommodatus, quem Spiritus Sanctus intendit.

15. — Prob. — Revera, imprimis, contradictio est si definiatur sensus accommodatus: *Ille quem auctor nunquam intenderit* [4]; si enim auctor hunc sensum non intenderit, quo-

[1] Vide quae de prophetia scripsimus in tr. de Deo uno, P. I. Quaest. XII, App. n. 1, p. 394. — [2] 1 Mach., XII, 9. — [3] L. de Doctrina Christ., l. III, c. 27, n. 38, ad sensum, t. III, P. I, col. 56. — [4] Ubald. Ubaldi. Introductio in S. Scripturam, Vol. III, p. 105. Romae. 1881. Antea dixerat auctor sensum accommodatum proprie

modo eius sensus esse potest, cum sensus non sit mera verborum significatio, sed significatio verborum secundum mentem auctoris? Accedit quod si sensus accommodatus sit ille quem Spiritus Sanctus non intenderit, nulla fixa norma poterit subministrari in huius sensus usu: nam, excluso quod, propter reverentiam Sacrae Scripturae debitam, adhibeatur pro rebus inhonestis aut utcumque malis, poterit quaecumque interpretatio, quam subiecta verba, materialiter accepta, patiantur, huiusmodi verbis attribui.

Utique hermeneutices regulae vetant usum sensus accommodati, quando non alia habetur analogia praeter materialem sonum verborum, quo sensu reprehensione digni sunt, qui his verbis [1]: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.... et cum perverso perverteris*, de Deo dicta, qui cum iustis solet misericorditer agere, et cum impiis modo duriori, utuntur ad ostendendum quonam in periculo ii versentur qui pravorum hominum consortium frequentent. At, si sensus accommodatus ille sit, qui est praeter auctoris, nempe Spiritus Sancti, mentem, utique sufficiet mera verborum analogia, cum nulla tunc adsit ratio supponendi Spiritus Sancti sensui magis quadrare id quod per analogiam ad sensum litteralem dicitur, quam illud quod eruitur tantum per analogiam ad verba.

16. — **Confirmatur.** — Rursus, si Spiritus Sanctus sensum accommodatum nullo modo intenderit, utique potero haec verba [2]: *Apprehendite disciplinam*, quae in sensu litterali dicta sunt de Messia, flagellationis instrumento applicare; necnon haec alia [3]: *Inimici hominis domestici eius*, quae in sensu litterali ab ipsomet Christo [4] authentice accommodata sunt ad significandam separationem hominis a suis paren-

---

Scripturae non esse, verbis tamen eius affingi solere: quod aliqui interpretantur, dicendo sensum accommodatum non esse Sacrae Scripturae, sed in Sacra Scriptura: quam tamen distinctionem omnino futilem esse luce clarius patet.

[1] Ps. XVII, 25, 26. — [2] Ibid., II, 12. — [3] Mich., VII, 6. — [4] Matth., X, 26.

tibus, adhibere potero ad designandas domesticas discordias apud pravos homines existentes.

Sed quia rationabiliter credimus Spiritum Sanctum noluisse ut ex mero verborum sono, sensus quicumque deducatur, stulti enim est in verbis sonum, non sapientiam, quaerere, hinc in tantum aliquem sensum accommodatum ex mera verborum analogia respuimus, in quantum talem sensum rationabiliter credimus a Spiritu Sancto nullatenus fuisse intentum. Ideo enim irridemus illum qui, verbi gratia, id quod legitur [1]: *Confessio et magnificentia opus eius*, adhibet ad significandam confessionem auricularem, in quantum ex analogia scimus hunc non fuisse sensum, etiam secundario, a Spiritu Sancto intentum.

Igitur, dum sensum litteralem primarium dicimus esse illum quem Spiritus Sanctus primario intendit, et quem auctor instrumentalis, seu hagiographus et ipse intendit, contendimus sensum accommodatum non recte definiri: *Quem Spiritus Sanctus nullatenus intendit*; sed illum esse *quem auctor principalis, id est Spiritus Sanctus, utique intendit, non tamen primario, sed secundario*, quidquid sit de auctoribus instrumentalibus seu de hagiographis.

17. — Legitimus usus sensus accommodati ex ipsarum Scripturarum penu. — Ut autem aliqua exempla adducamus usus sensus accommodati penes ipsam sacram Scripturam, sint imprimis verba ista [2]: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, quae dicta de mundo gloriam Dei enarrante, a S. Paulo [3] applicantur praeconibus Evangelii. At, profecto, nec ibi Spiritus Sanctus ignorabat aliquando Paulum, et quidem sub divina inspiratione, usurum esse eisdemmet verbis ad laudes Apostolorum concinnandas, nec hic obliviscitur eorum quae, ut regius Psaltes antea caneret, ipsemet inspiraverat. Ergo uterque sensus dicendus est a Spiritu Sancto intentus, licet unus primario, alter secundario; sed ita ut praedictus textus, ut in Psalmo invenitur, in sensu primario vocem naturae significet, et in sensu secundario, vocem Apostolorum; ut autem a sancto Paulo recitatur, viceversa.

[1] Ps CX, 3 — [2] Ps. XVIII, 5. — [3] Rom., X, 18.

Evidentius adhuc indicium existentiae multiplicis sensus litteralis in S. Scriptura habetur in hoc loco [1]: *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem;* quae verba, a regio Psalte dicta de elementis mundi divinam voluntatem exequentibus, a S. Paulo adhibentur ad substantias spirituales designandas [2].

Denique, liceat in hanc rem recolere locum psalmi [3]: *Ego hodie genui te:* quae verba ibi dicta de ineffabili generatione Christi in sinu Patris ab aeterno, et in sinu matris in tempore, S. Paulus introducit ad designandam eiusdem a morte suscitationem, quae rite secundae generationi comparatur.

18. — Usus sensus accommodati penes Ecclesiam et Patres. — Nec minus valide eadem res confirmatur ex Ecclesiae et Patrum usu. Ecclesia siquidem universalissime in sua liturgia verba sacrae Scripturae accommodat ad sanctorum praeconia celebranda, cuius rei insigne testimonium habetur in applicatione quam facit Beatae Virgini eorum quae de increata Sapientia dicuntur, quod et Patres omnes et sacri Doctores facere consueverunt. Atqui hoc esset Spiritui Sancto flagrans iniuria, si induceretur tanquam ex illius auctoritate proveniens id quod nunquam intenderit; sed et daretur fidelibus frequens errandi occasio, quibus hominis sententia, tanquam esset ipsa Dei vox, proponeretur.

19. — Corollarium. — Igitur, respuendus omnino est talis sensus accommodatus, quem Spiritus Sanctus nullo modo intenderit. Quod si ita res se habeat, iam concludendum erit, *sensum accommodatum alium non esse, nisi sensum litteralem secundarium,* cuius ratio haec esto, ut et ipse a Spiritu Sancto fuerit intentus, si non directe, saltem indirecte, seu ille est quem ipsemet facit intendere. Et sensus quidem litteralis primarius unus est, fundamentum aliorum, et argumentorum sedes; sensus autem litterales secundarii multi

[1] Ps. CIII, 4. — [2] Hebr., I, 7. Plura similia ex hac epistola in eodem sensu possunt adduci. — [3] II, 7. — [4] Act., XIII, 33. Cf. Comment. n. in Act. Ap., Sect. LXII, Quaest. II.

sunt, iuxta illud S. Hieronymi [1]: *Singula verba plena sunt sensibus*; et iterum [2]: *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus.*

Ad hanc distinctionem attendisse arbitramur tum S. Bernardum, qui ait [3]: *Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus et usibus accommodandos*; tum S. Bonaventuram, dum dicit [4]: *Una Scriptura multis modis potest exponi; unus quidem est principalis et litteralis intellectus, plures tamen esse possunt per adaptationem.*

Regula autem, seu canon pro usu huius sensus litteralis secundarii, seu accommodati haec simplicissima erit: ut talis sit, qui et generaliter fidei principiis consonet, et specialiter aliquam analogiam, non verborum tantum, sed significationis, habeat cum sensu primario.

20. — Verba Dionysii Carthusiani. — Quae diximus possunt his verbis Dionysii Carthusiani opportune illustrari [5]. *Oportet itaque scire,* ait ille, *quod cum aliquid dicitur de populo, vel certa persona veteris Testamenti, prout erat figura Christi sive Ecclesiae, quamvis ad litteram de illis exponatur, principalius tamen ac litteralius exponitur de Christo vel Ecclesia: quemadmodum illud de Salomone:* EGO ERO ILLI IN PATREM ET IPSE ERIT MIHI IN FILIUM [6], *Apostolus introducit de Christo praedictum* [7]. *Dictum est enim de Salomone, in quantum Christi figuram gerebat: idcirco de Christo principalius intelligitur. Sic quod apud Osee habetur:* EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM [8], *quamvis ad litteram dictum sit de populo Iudaeorum, litteralius principaliusque de Christo accipitur: quia de populo illo praedictum est secundum quod erat figura Christi, qui non solum per determinatas personas, sed per totum populum Synagogae multoties praefiguratur* [9].

21. — Quo sensu S. Thomas et S. Augustinus sint in-

[1] EP. LIII AD PAULINUM, t. I, P. I, p. 276, al. ep. CIII. — [2] COMM. IN EPHES. III, 6, t. VII, P. I, p. 591. — [3] Hom. 51 IN CANT. Ven. 1726, t. II, p. 724, n. 4. — [4] IN 4 SENT. Dist. XXI, Part. I, Dub. 1. — [5] Enarrat. in C. II S. Matth., art. V, ad vers. 15. — [6] 2 Reg., VII, 14. — [7] Hebr., I, 5. — [8] Os., XI, 1. — [9] Cf. eumdem auct., Enarr. in C. XI Os., art. XXIII.

telligendi. — Quae si prae mente teneantur, facile etiam patebit qua ratione solvi valeat apparens antilogia in textu S. Doctoris. Nam cum, in corpore articuli, ad istum secundarium sensum, ut arbitramur, attendisset, dicens, ex Augustino, non esse inconveniens, si etiam secundum litteralem sensum, in una littera Scripturae plures sint sensus, eo quod Deus, qui omnia simul intellectu comprehendit, illius est auctor, in responsione ad 1^m, utique non oblitus eorum quae dixerat, ut aliqui [1] ei imponunt, attendens ad sensum principalem, ex quo argumentorum efficacia unice desumi debet, supponit hunc unum esse, ne, ut obiectio proponebat, fallacia sequatur.

Ceterum, quod in corpore articuli de sensu litterali secundario vel accommodato agat S. Doctor, evidenter patet ex quaestione quarta de Potentia [2], ubi quae tradit optime inveniuntur convenire cum reliquis eius scriptis, necnon cum communi doctrina de uno sensu litterali primario, si quidem haec verba intelligantur de sensu litterali secundario. *Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet*, ait, *ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus* [3].

Nec aliter intelligendum S. Augustinum contendimus,

[1] Ubaldi, Introductio, Vol. III, p. 57. — [2] Artic. 1. — [3] Cf. 2, Dist. XII, a. 2, ad 7^m, ubi S. Doctor dicit: *Maiori veritate* (S. Scripturam) *Spiritus Sanctus fecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.*

dum agens de variis modis quibus prima Geneseos verba ab interpretibus intelliguntur, ait [1]: *Ita, cum alius dixerit: hoc sensit* (Moyses) *quod ego et alius, imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quisquam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?*

22. — Scholion. — Nec hoc advertisse utilitate vacabit. — *Primo* quidem, ex hoc quod compertum sit, sensum, quem fidelis pro sua aut aliorum aedificatione, secundum fidei et ipsius sensus primarii analogiam, esse et ipsum a Spiritu Sancto, licet secundario, intentum, non modice fovetur pietas; sic enim unusquisque pro sua devotione utens sacra Scriptura, ut faciunt sacrorum ministri in officii divini recitatione, sibimet plura applicare potest, secundum praesentis necessitatis conditionem, hac intima persuasione motus, sensum illum quem adinvenit, ita fuisse a Spiritu Sancto intentum, ut etiamsi nulla alia esset huius loci utilitas, haec iam sufficiens ratio fuisset Spiritui Sancto hunc locum inspirandi

Secundo, valde proderit haec doctrina et concionatoribus, quorum argumentis, ex locis Sacrae Scripturae in sensu accommodato usurpatis, non modicum robur adiiciet consideratio quod et sensus illi quos ipsi, iuxta praestitutam normam, litterae Sacrae Scripturae attribuunt, ipsa Spiritus Sancti auctoritate sanciuntur.

Tertio, sed et ipse theologus locis Sacrae Scripturae hoc sensu uti poterit ad dogmata illustranda et evolvenda, quemadmodum theologi generaliter facere consueverunt, et ipsemet sanctus Thomas semel atque iterum praestat, maxime in argumentis *sed contra*, quae saepe apodictica non sunt, sed tantum dialectica. Maior tamen huius rei usus permittitur in theologia ascetica et mystica, quam in theologia dogmatica.

23. — Quaestio. — *Utrum etiam in scripturis humanis multiplicitas sensuum adinveniri possit?*

[1] Confess., l. XII, c. 31, t. I. p, 224.

Respondet Angelicus Doctor [1]: *In nulla scientia humana industria inventa, proprie loquendo, potest inveniri nisi litteralis sensus. sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum.* — Quod ait hic S. Thomas, *proprie loquendo*, referri potest ad hoc quod quis actus aliquos facere potest ad rem significandam, aut uti aequivocatione: at, in priori casu, actus illi pro signis adhibentur; in altero vero, nulla est determinata significatio, ut in illo sybillino oraculo: *Aio te, Aeacides, Romanos vincere posse.*

Articulus III. — *Utrum authenticae Ecclesiae definitiones pertineant ad fontem sacrae Doctrinae.*

1. — Magisterium authenticum in Ecclesia. — Ut intelligatur quomodo authenticae Ecclesiae definitiones fontes sint sacrae doctrinae, necesse primum est agnoscere existentiam cuiusdam magisterii authentici, vivi atque perennis in Ecclesia, ex ipsa illius intima constitutione resultantis, quo scilicet quaestiones ad fidem et mores pertinentes dirimi possint.

Hoc quidem magisterium, cui infallibilitatis praerogativa adnexa est, et cuius pignus solemne habetur in istis verbis Domini nostri [2]: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, essentialis dos est verae Christi Ecclesiae, ad cuius trlbunal quaestiones de fide et moribus esse deferenda, ipsemet Salvator expresse mandavit, dicens [3]: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae.*

2. — Romanus Pontifex, subiectum huius magisterii authentici. — Sciscitanti autem in quonam, ut in subiecto, huiusmodi authenticum magisterium resideat, dicendum est, illud primo quidem et principaliter inveniri in Romano Pontifice, Petri legitimo successore, cui Christus ipse promisit se daturum *claves regni caelorum* [4], et cui, post resurrectionem

[1] Quodlib. VII, Quaest. VI, art. 16. — [2] Matth., XXVIII, 20. — [3] Matth., XVIII, 17. — [4] Ibid., XVI, 19.

suam, officium expresse commisit agnos ovesque pascendi [1]. Quapropter hoc semper tenuit fides catholica, nempe beato Petro eiusque successoribus collatum fuisse supremum in Ecclesia magisterium, non quidem tamquam latitans quoddam privilegium, cuius cognitionem nonnisi gradatim illi postea acquirerent, sed tamquam patentem praerogativam, ipsis intime perspectam, quae scilicet ex supremo officii munere essentialiter derivatur; unde merito damnata est a Pio X sequens propositio [2]: *Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est, sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.*

Quocirca, in Concilio Vaticano expresse definitum est [3], *Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse* [4].

Notandum, quatuor hic causas haberi clare adsignatas; nimirum, causam *efficientem primam*, scilicet Spiritum Sanctum, et *secundam*, quae est Romanus Pontifex; causam *materialem*, nempe doctrinam de fide et moribus; *finalem*, talem cognitionem veritatis, ut finis controversiis imponatur; *formalem*, actum docendi omnes fideles. Hoc quippe est, Pontificem loqui ex cathedra; quod dupliciter contingere potest, scilicet, vel solemniori forma, vel usuali.

3. — Advertendum. — Consulto autem dicitur Pontificem, cum Pastoris et Doctoris omnium christianorum munere fungitur, gaudere infallibilitatis praerogativa, tum quoad res de

[1] Io., XXI, 15, seq. — [2] Est 53ª, inter 65 decreti *Lament.* — [3] Const. *Pastor aeternus.* — [4] Alludunt haec ultima verba huic articulo cleri gallicani (Declaratio anni 1682, art. 4): *In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.*

fide definiendas, tum quoad mores componendos: cum enim pastoris officium formaliter sit ovibus bona pascua praebere, et ad munus doctoris pertineat discipulis veritatem tradere, hinc Summus Pontifex utrumque facit: scilicet, ut Pastor, gregem Christi a venenatis pascuis arcet; ut Doctor autem, viam veritatis agnis et ovibus indicat. Utrumque autem praestat, sive formaliter declarando has illasve veritates in deposito revelationis esse contentas, sive easdem veritates in clariorem lucem, qua omnes dubietatis umbrae discutiantur, collocando, sive denique facta quaedam, quae dogmatica audiunt, authentice determinando.

4. — Sanctus Thomas circa Summi Pontificis infallibile magisterium. — Non abs re erit hic egregia verba referre, quibus Angelicus Doctor dogma exponit de Summi Pontificis infallibili magisterio. *Si consideretur*, ait [1], *divina Providentia, quae Ecclesiam suam* (in) *Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit* [2] *quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem; certum est quod iudicium Ecclesiae universalis errare in his quae ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est standum sententiae Papae, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quam quorumlibet sapientum hominum in Scripturis opinioni; cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legatur etiam inscius prophetasse* [3].

Alibi quoque idem S. Doctor hanc Summi Pontificis in rebus fidei et morum infallibilitatem agnoscendam esse docet cum, quaerens ad quemnam pertineat fidei Symbolum ordinare, hoc dicit spectare ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur: unde et Petro, quem Summum Pontificem constituebat, dixit Dominus Noster [4]: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* — Cuius rei ratio, iuxta Angelicum, haec est, nempe quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud [5]: *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*: quod

[1] Quodlib. IX, art. 16. — [2] Io., XIV, 26. — [3] Ibid., XI, 51. — [4] Luc., XXII, 32. — [5] 1 Cor., I, 10.

servari non posset, nisi exortae fidei quaestiones determinarentur per eum qui toti Ecclesiae praeest, cuius proinde sententia ab universa Ecclesia firmiter tenenda est [1].

5. — Ecclesiae traditio. — Haec autem perantiqua Ecclesiae fides indubie continetur in scriptis Patrum, quorum testimonia notiora sunt quam ut hic singillatim recenseantur. Iuverit tamen repetere quomodo in canone solemniter exprimitur [2]: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Huc quoque facit S. Hieronymi insignis fidei professio [3]: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam et desuper textam, minutatim per frusta discerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc animae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.*

6. — Verba Card. Newman. — Abstinere hic nequeo quin egregia verba referam quibus Cardinalis Newman Summi Pontificis infallibilitatem profitetur [4]: *Such is the infallibility lodged in the Catholic Church, viewed in the concrete, as clothed and surrounded by the appendages of its high sovereignty; it is, to repeat what I said above, a supereminent prodigious power sent upon earth to encounter and master a giant evil. And now, having thus described it, I profess my own absolute submission to its claim.* — Nec minus explicita sunt quae alibi scribit [5]: *After all, Peter has spoken. Peter is no recluse, no abstracted student, no dreamer about the past, no doter upon the dead and gone, no projector of the visionary. Peter for eighteen hundred years has lived in the world; he has seen all*

[1] 2 2ae, Quaest. I, art. 10. — [2] Decreti 2a Pars, Causa XXIV, Quaest. I, cap. 12. — [3] Epist. XV, al. LVII, ad Damasum Papam. Ven., 1766, Opp. XIII, P. I, p. 38. — [4] Apologia pro vita sua, London, 1891, p. 250. — [5] Idea of a University, ed. 1852, p. 25.

fortunes, he has encountered all adversaries, he has shaped himself for all emergencies.

7. — Magisterium authenticum in Conciliis oecumenicis. — Tenendum autem est authenticum istud magisterium etiam in generalibus Conciliis, approbante et confirmante Romano Pontifice, residere: est enim Concilium oecumenicum conventus omnium praesulum Ecclesiae, ad res fidei et morum decernendas. Sane, oecumenicum Concilium Ecclesiam perfecte repraesentat, quae est *columna et firmamentum veritatis* [1]; ideoque illius doctrinalem auctoritatem induit; unde S. Augustinus ait [2], *ad plenarii Concilii auctoritatem roburque* veritatem perduci; et Martinus V [3], inter interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas, hanc posuit [4]; *Utrum credant quod quodlibet Concilium generale.. universalem Ecclesiam repraesentet.* Quocirca, definitio a Concilio generali lata ipsi Spiritui Sancto attribuitur, iuxta illud in Concilio Hierosolymitano adsertum [5]: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* et celebre est illud S. Gregorii Magni [6]: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor.*

8. — Magisterium in coetu episcoporum. — Quod autem magisterium huiusmodi authenticum, etiam in episcoporum coetu, formaliter considerato, aliquo modo resideat, vix est unde dubitari possit. Dici nimirum potest, episcopos, licet singillatim infallibiles non sint, collectim tamen sumptos, id est cum episcopo Romae, tali privilegio gaudere.

Etenim, imprimis, Apostolorum successores sunt episcopi [7], de quibus dicit S. Paulus [8]: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* — Praeterea, privilegium illud, quod semel Christus Dominus uni Petro contulerat [9], omnibus postea Apostolis impertivit [10], utique diversimode utrobique exercen-

[1] 1 Tim., III, 15. — [2] L. II, de Baptismo, contra Donat, c. IX, t. IX, col. 104. — [3] Bulla *Inter cunctas*, 22 Febr., 1418. — [4] Est 5ª, D.-B., n. 657. — [5] Act., XV, 28. — [6] Ep. XXV ad Ioan. Constant. Enchiridion patr. R. de J., n. 2291. — [7] Can. 329. — [8] Act., XX, 28. — [9] Matth., XVI, 19. — [10] Ibid., XVIII, 18.

dum. — Ulterius, ex quo, in Concilio Vaticano, dicitur Romanus Pontifex *ea infallibilitate pollere, qua* gaudet Ecclesia [1], sat aperte deducitur infallibilitatem, ut sic, non unice in Romano Pontifice residere. — Huc demum pertinet quod, in definitionibus edendis, ita solet Summus Pontifex sententiam omnium episcoporum exquirere, ut nunquam inveniatur aliquid contra unanimem eorumdem sensum definivisse [2].

9. — Exercitium huius magisterii. — Porro quod dicimus de infallibilitatis praerogativa coetui episcoporum inhaerente, certis quibusdam limitibus intelligendum est. Enimvero, cum Christus Dominus suam Ecclesiam unam esse voluerit, nequit certe fingi duplex in ea infallibile magisterium, sed unum est formaliter, quod tamen duplici modo explicari potest: scilicet, a Papa, vel solo, vel cum episcopis, sive in concilio adunatis, sive per orbem sparsis. Hoc non tollit quin, in particulari casu, unanimis, vel quasi, episcoporum coetus, citra Romanum Pontificem, fidem Ecclesiae repraesentet, scilicet in casu dubii Pontificis, ubi de legitimo Petri successore definiendum sit, ut in Concilio Constantiensi evenisse historia refert.

10. — Scholion. — Huius ergo magisterii exercitio, tamquam proprio et authentico fonti, tribuendus est ille progressus seu evolutio sacrae Doctrinae vel Dogmatis catholici, quem temporum decursu obtinuisse videmus, qui proinde attribui non debet, ut volebat Loisy, cuidam religioso motui in Iudaeis ad christianam religionem conversis innato, cuius scopus esset Synagogae principia evolvere, spem adimplere [3]. Quocirca rite damnata est sequens propositio [4]: *Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptandum.* Et rursus [5]: *Magisterium Ecclesiae, ne per dogma-*

[1] Sess. IV, c. 4 D.-B., n. 1839. — [2] Cf. quae scripsimus circa definitionem Immac. Conc. B. M. V. in tract. DE B.MA VIRG. MARIA, P. II, c. I, a. 1, p. 128, nota 4, 5ª ed. — [3] L'Evangile et l'Eglise, pag. 181, 182. — [4] Prop. 59ª, inter 65 decr. *Lament.* — [5] Prop. 4ª, ibid.

ticas quidem definitiones, genuinum sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

11. — **Scholion.** — Quae diximus de auctoritate doctrinali in Conciliis generalibus et in coetu episcoporum residente, potius ad magisterium extraordinarium pertinere videntur: at praestat modo, in gratiam praesentis disputationis, ordinariam illam magisterii formam, quae in uno Romano Pontifice, ex cathedra loquente, reponitur, pressius considerare.

12. — **Studium definitionibus pontificiis praemissum non officit privilegio infallibilitalis.** — Imprimis, quod ad exercitium infallibilitatis pontificiae attinet, sedulo cavendum est ne putetur studium illud, quod Summi Pontifices, vel per se vel per alios, definitionibus dogmaticis praemittere solent, realiter opponi privilegio infallibilitatis, quasi, ubi constat de adsistentia Spiritus Sancti, omnis humana industria tanquam supervacanea sit seponenda.

Imprimis enim haec est universalis lex, causam primam causae secundae operationem non evacuare, sed potius hanc ipsam efficere, quatenus Deus, qui omnia per se posset operari, ex abundantia tamen suae bonitatis, causis secundis et tribuit virtutem qua operentur, et conservat hanc virtutem, et eam ad opus applicat. Deinde, ut accurate traditur in Concilio Vaticano [1], non ideo *Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent.* Opportunissime igitur Ecclesia, antequam ad aliquod dogma definiendum deveniat, plurimam adhibet industriam et studia ingeminat, unde clare dignosci possit quid sit revelatum, quid tamquam a revelationis deposito alienum sit respuendum.

13. — **Infallibilitatis dos non pertinet ad prophetiam qua nova panduntur.** — Cum igitur in hoc consistat dos infallibilitatis a Christo Ecclesiae promissa, quod Spiritus Sanctus eidem specialiter adsistat, ne, in definienda doctrina de fide vel moribus, in errorem labatur, male diceretur defini-

[1] Constit. *Pastor aeternus* Sess. IV, c. 4. D.-B., n. 1836.

tiones ab ea latas ad prophetiam pertinere, qua menti prophetae nova panduntur; perperam quoque aequipararetur infallibilitas illi inspirationi, sub qua hagiographi libros Veteris aut Novi Testamenti conscripserunt; sed consistit infallibilitatis praerogativa in speciali quadam divinae Providentiae cura, qua sive loquenti ex cathedra Summo Pontifici, sive coetui episcoporum, sensu explicato, unanimiter sentientium Spiritus Sanctus adest, eius mentem ad iudicandum illuminans et ipsi adsidens, ne errorem unquam proferat.

Quae cum ita constiterint, si quidem agatur de definiendo utrum determinata veritas ad revelationis depositum pertineat, primo inquirendum erit an in verbo Dei sive scripto, sive tradito, saltem implicite contineatur; si vero de facto dogmatico constabiliendo sit sermo, investigari debebit, an de ea historice constet: quae, cum studiis humanis satis fuerint determinata, Ecclesia, Spiritu Sancto illi assistente seu prohibente quominus erret, declarat veritatem illam esse tenendam, quod est, eamdem, tanquam in fidei deposito contentam, esse ab omnibus credendam.

14. — Differentia inter inspirationem hagiographis concessamet et infallibilitatem Ecclesiae a Christo Domino promissam. — His positis, quaerenti modo qua ratione differat inspiratio Librorum sacrorum ab infallibilitate Ecclesiae promissa, *responderi* poterit, ad hanc non aliud requiri, nisi lumen propheticum ad iudicandum, minime vero ad cognoscendum, cum, puta, Summus Pontifex ad fidei definitiones edendas perveniat mediante humano studio, ut dictum est; unde etiam negavimus supra, edicta pontificia quaecumque esse novas revelationes. Quocirca hucusque conveniunt inter se definitiones Ecclesiae et libri canonici Veteris vel Novi Testamenti ab hagiographis, sensu explicato acceptis [1], conscripti.

At differentia inter praedictos libros et definitiones Ecclesiae est in hoc, quod libri canonici conscripti sunt movente Spiritu Sancto, qui utebatur sacris scriptoribus tanquam

[1] Supra, art. 1, n. 9, p. 118.

propriis instrumentis, ideoque huiusmodi librorum conscriptio ad extraordinariam Dei providentiam pertinet; e contra, in definitionibus condendis, sufficit mera Spiritus Sancti adsistentia, cum lumine desuper infuso ad iudicandum ideoque huiusmodi definitiones dicendae sunt pertinere ad illam providentiam, qua Dominus noster Ecclesiam suam regit ac tuetur usque in finem mundi, et secundum quam Summus Pontifex utique illuminatur a Deo, ut sciat quid et quando definiri debeat, licet, in definitionibus condendis, ipsemet tanquam causa principalis, utique secundaria, habendus sit.

15. — Solvitur tacita difficultas. — Nec ex hoc quod legitur [1]: *Visum est enim Spiritui Sancto et nobis*, inferri deberet definitiones Summorum Pontificum aut generalium Conciliorum, a Spiritu Sancto, tanquam a principali agente, compleri, et ab hominibus tantummodo tanquam instrumentis: dici enim potest sermonem ibi esse de nova revelatione Apostolis facta et ab Apostolis promulganda; aut, si de nova revelatione non agatur, Apostolorum sententia, de agendis a primis christianis, ferebatur, Spiritu Sancto utique prophetice eos illuminante ad iudicandum, non ad cognoscendum: in quo casu, Apostoli loquebantur non tanquam instrumentaliter actu moti a Spiritu Sancto, sed tanquam principales causae, eo scilicet modo quo dicimus Romanum Pontificem ex cathedra loqui.

16. — Quaestio. — *Utrum Romani Pontificis infallibilitas habenda sit tanquam miraculum proprie dictum?*

Resp. Negative, cum formaliter resultet ex adsistentia Spiritus Sancti, Pontificem, ut Pontificem, ab omni errandi periculo custodientis; quocirca non importat aliquid a consueto ordine naturae alienum, ideoque non ad operationem virtutum pertinet huiusmodi infallibilitas, sed ad ministrationes, de quibus agit S. Paulus in prima ad Corinthios epistola [2].

17. — Difficultates praeoccupantur. — I. Ad praecavendas difficultates, quae ex historia quorumdam Conciliorum,

[1] Act., XV, 28. — [2] XII, 5.

citra Romani Pontificis auctoritatem celebratorum, oriri possent, advertendum est, id quod absolute requiritur ut veritas quaedam a Concilio proposita tanquam divinitus sancita habeatur, esse Romani Pontificis confirmationem, unde quae Concilia Romanus Pontifex non confirmaverit, quidquid sit de convocatione et celebratione, Ecclesia pro authenticis, seu oecumenicis aut generalibus non habet, ut patet de Pisano et Basileensi.

II. Solet etiam quorumdam animos anxios tenere, quod Pius IX, dogma de Immaculata Deiparae Conceptione definierit, antequam de fide constaret Summum Pontificem per se solum esse infallibilem: aut quod ipsemet postea Romani Pontificis, id est suammet, infallibilitatem definierit: sic quippe principii petitio in utroque casu videtur haberi.

At, quod ad hoc alterum attinet, facile advertitur infallibilitatem definitam fuisse non a solo Romano Pontifice, sed a Romano Pontifice cum coetu episcoporum legitime convocato et adunato; quod vero ad dogma de Immaculata Conceptione spectat, Pius IX, iam inde ab anno 1849, exquisierat hac de re omnium episcoporum sententias, ex quibus 546 affirmative responderant, quatuor tantum vel quinque negative, quinquaginta affirmative, dubio tamen emisso de opportunitate definitionis: quapropter dicendus est Pius IX definitionem formaliter tulisse cum coetu episcoporum, etsi non conciliariter adunatorum.

Quod vero spectat veritatem de infallibilitate Romani Pontificis, sedulo advertendum est hanc, absolute loquendo, ab uno Romano Pontifice, extra Concilium potuisse definiri, cum munus docendi fideles, ipsi a Christo commissum, ad hanc quoque veritatem credendam extendatur, nec definitio ipsa quidquam novi ei contulerit: attamen prudentissime factum est, ut in definitione partem haberent totius orbis episcopi, quo mens plebis christianae magis disponeretur ad definitionem suscipiendam, etsi talis dispositio, absolute loquendo, necessaria non fuisset, cum ipsummet exercitium iuris infallibilitatis, quo Pontifices, saeculorum decursu, utique consentiente Ecclesia, usi sunt, sufficiens indicium esse debuerit, illos revera infallibilitatis praerogativa gaudere.

18. — Quaestio I. — *Quo pacto cognosci potest aliquem determinatum Pontificem esse legitimum Papam, aut Concilium aliquod esse revera oecumenicum?*

Resp. Per rationem humanam, quatenus haec rite exculta veritatem illam, ex certis historiae criteriis, deprehendere possit. Sane, quemadmodum de existentia revelationis loquentes, dicimus hanc nobis primum innotescere criteriis naturalibus; ita de legitimitate determinati cuiusdam Romani Pontificis aut specialis Concilii oecumenici dicendum est: secus enim vitiosus incurreretur circulus, si nempe legitimitas Papae aut Concilii ex eorumdem auctoritate accipi deberet.

Hoc tamen non officit quominus eamdem rem ex auctoritate etiam accipiamus, puta, si subsequens Concilium declaret antecedens fuisse revera oecumenicum, aut si subsequens Papa aliquem hominem tamquam suum legitimum praedecessorem formaliter agnoscat. Quod iterum praestari poterit per expressam fidem totius Ecclesiae: cum videlicet aliquis Pontifex aut aliquod Concilium ab universa Ecclesia ultro suscipitur [1].

Quod si id ita certo deprehendi non possit, et dubium maneat, ut initio saeculi decimi quinti, tribus Pontificibus de primatu contendentibus, evenisse historia testatur, tunc, ut diximus supra, res coetui episcoporum decernenda relinquetur.

19. — Ad exercitium infallibilitatis pertinet etiam fides explicita totius Ecclesiae. — Praeter auctoritatem Romani Pontificis et generalium Conciliorum pro rebus fidei definiendis, adnumeranda quoque est fides explicita totius Ecclesiae, utique annuente, saltem implicite, Pontifice Romano [2]; in hoc quippe consistit et altera forma exercitii magisterii ordinarii, quod proinde exercetur, a Pontifice, aut directe aliquid statuente sive per se sive per Congregationes

[1] Ex hoc deduci potest, vitium aliquod, si in electione cuiusdam Pontificis irrepserit, ipso facto quod Ecclesia illum uti legitimum agnoscit, ultro sanari. — [2] Intellige, praeterquam in casu quo de ipsiusmet Pontificis legitimitate agatur.

Romanas, aut indirecte aliquam veritatem universaliter retentam tacite saltem agnoscente, et quidem cum, pro suo munere fidem tuendi, contradicere deberet [1].

20. — Scholion. — Ut igitur clare appareat quotuplici modo magisterium infallibile in Ecclesia exercetur, opportunum ducimus sequens schema proponere.



21. — Notanda. — I. Si Pontifex aliquid tanquam privatus doctor teneat, planum est illum infallibilitatis privilegio non gaudere: unde mirum non est si aliquis Pontifex sententias aut scripta propria iudicio Sedis Apostolicae interdum subiecisse inveniatur, quemadmodum praestitit Ioannes XXII, qui docuerat beatos nonnisi post resurrectionem futuros esse perfecte felices. — II. Si quando dicitur, ad magisterium infallibile id quoque pertinere, quod fideles universaliter tenent, id intelligendum est, non quasi ideo res aliqua ad fidem pertineat, quia illam sic fideles teneant; sed

[1] Huiusmodi casus esset, verbi gratia, perpetua virginitas sancti Ioseph.

quatenus id quod fideles credunt creditur quoque, explicite vel implicite, a toto coetu episcoporum, incluso Romano Pontifice. Unde condemnata est sequens propositio [1]: *In definiendis veritatibus, ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit, nisi communes discentis opinationes sancire.* Quapropter, gravissime errant, qui dicunt Ecclesiam docentem esse interpretem consensus communis fidelium. — III. Denique advertatur, Papae approbationem posse esse aut implicitam, scilicet dum non contradicit cum contradicere deberet [2], aut explicitam, cum conceptis verbis populi fidem sancit.

22. — Quaestio II. — *Utrum concessio alicuius officii in gratiam alicuius facti specialis, ad auctoritatem doctrinalem pertineat?*

Resp. Negative, si agatur de officio pro aliquibus tantum locis concesso: si autem de officio ad totam Ecclesiam extenso sermo sit, tunc dicendum est locum habere exercitium infallibilitatis Ecclesiae, non quidem quoad singula, sed quoad substantiam facti principalis. Quocirca, negari salva fide non potest factum, verbi gratia, assumptionis Beatae Mariae Virginis in caelum, aut eius praesentationis in templo, aut existentia S. Catharinae Virginis et Martyris, cum de his habeatur festum universam Ecclesiam respiciens.

23. — Corollarium. — Ex hucusque dictis sequitur, erronee omnino scripsisse Thomam ex Charmes [3], Romanos Pontifices, qui in matrimonio rato christianorum dispensarunt, fuisse deceptos: esto enim in antiquitate talium dispensationum vestigia non sit deprehendere, ex quo tamen rem adeo gravem et quae cum fidei deposito intime connectitur praestiterint Summi Pontifices, dicendi sunt quaestionem magisterio suo ordinario dirimere voluisse: aliunde suprema potestas in rebus fidei et morum Summis Pontifi-

[1] Est 6ª in Decreto *Lamentabili sane*, 3 Iul., 1907. — [2] Huius rei exemplum esset, verbi gratia, scientia beata in anima Christi inde ab eius conceptione in utero B. M. V. — [3] Theol. Univ., t. VII, p. 199. Parisiis, Lethielleux.

cibus collata regulanda est, quoad exercitium, secundum locorum temporumque opportunitatem.

24. — Infallibilitas Summi Pontificis in factis particularibus. — Denique, dubium non est, Papam, in quaestionibus de aliquo facto particulari, quod tamen ad dogma refertur, errare haudquaquam posse; unde non omnino subscribendum censemus hisce propositionibus B. Card. Bellarmini [1]: *Conveniunt omnes catholici et haeretici in duobus: primo, posse Pontificem, ut Pontificem, et cum suo coetu consiliariorum vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione testimoniisque hominum praecipue pendent.* Et rursus [2]: *Quamvis enim generale Concilium legitimum non possit errare... in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quaestionibus de facto. Itaque tuto dicere possumus hos Patres* (sc. Concilii generalis VI) *deceptos ex falsis rumoribus, et non intellectis Honorii epistolis, immerito cum haereticis connumerasse Honorium.* — Sane, si Honorius Papa revera errasset in quaestione de duabus in Christo voluntatibus, expresse prohibendo quin hae duae voluntates agnoscerentur, hoc esset factum aliquod non mere particulare, sed dogmaticum, cum importaret fallibilitatem Pontificis in docendo: unde melius dicitur condemnationem de Honorio in Concilio VI latam ad Concilium VI, uti generale erat, minime pertinuisse, cum haec condemnatio lata fuerit citra Agathonis, Summi Pontificis, auctoritatem, qui in dogmatico documento legatis consignato, expresse docuerat Sedem Romanam *a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse* [3].

Concludendum igitur, definitiones authenticas Ecclesiae, sensu exposito latas, alterum fontem, praeter prophetiam revelationis, constituere, ex quo sacra Doctrina placita sua haurit, quatenus in talibus definitionibus edendis, Ecclesia nunquam erraverit, nec sit aliquando errorem prolatura.

[1] De Romano Pontifice, l. IV, cap. II, p. 973. Opp., t. 1. Ingolstadii, 1586. — [2] Ibid., c. XI, p. 1019. — [3] Hardouin, III, 1082.

ARTICULUS IV. — *Utrum per Patres Ecclesiae, Concilia particularia et Doctores scholasticos, sacra Doctrina exponatur, illustretur atque defendatur.*

1. — Ratio articuli. — Praeter magisterium authenticum, quod Deus providentissimus in Ecclesia sua, ad doctrinae revelatae conservationem et expositionem, instituit, agnoscendum est et aliud medium in Ecclesia pariter a divina bonitate collocatum, quod, etsi non sit infallibili auctoritate praeditum, eaque de causa extracathedraticum vocari non inconvenienter possit, miro tamen et efficacissimo modo fidei defensioni et propagationi inservit. Consistit autem hoc medium in opera quam Patres Ecclesiae, Concilia particularia Doctoresque scholastici in illustranda et vindicanda catholica veritate, praestiterunt: de quibus nunc singillatim ea proferemus, quae ad rem nostram, quae est ut sacrae Doctrinae fontes perpendamus, conferre possunt. Attamen, cum nostra hic intentio non sit ea repetere quae in probatis auctoribus de hoc argumento passim leguntur, sequentia tantum subnectemus, quae a pluribus forsan praetermissa, scitu tamen necessaria sunt, ut natura et extensio sacrae Doctrinae rite dignoscantur.

2. — Quinam dicuntur Patres Ecclesiae. — Communis est auctorum doctrina, ad hoc ut aliquis rerum sacrarum scriptor Ecclesiae Pater possit appellari, quatuor requiri, scilicet: *primo*, ut fidei doctrinam modo quodam praecellenti tradiderit; *secundo*, ut nota sanctitatis insignitus effulserit; *tertio*, ut in antiquitate vixerit; *quarto*, ut illum Ecclesia uti Patrem revera agnoverit et honoraverit.

Et haec quidem non absque ratione dicuntur: siquidem cum ille sit pater, qui filios generat, alit et conservat, ad hoc ut quis, in iis quae ad fidem spectant, pater dici possit, necesse imprimis est ut et veram fidem, saltem ut in pluribus, praeclare docuerit, et pro viribus defenderit, seu ut simul doctor veritatis et testis traditae fidei extiterit: hinc Origenem, cum plures errores protulerit, maxime in iis quae

Sacrae Scripturae interpretationem respiciunt. Patrem vocare non audemus [1].

Deinde, cum mores intime coniungantur cum recta fide, ulterius necesse est ut qui Ecclesiae Pater dici debeat, vitae operibus fidem quam annuntiat comprobaverit: quocirca Tertullianus, cum ad Montanistarum figmenta, Ecclesiae sanctitate derelicta, confugerit, Pater omnino dici nequit [2].

Praeterea, quia Ecclesiae Pater scriptis suis testem se traditae revelationis prodit, hinc ad prisca tempora, a nostris temporibus videlicet remotiora, pertineat oportet: ideo virum recens mortuum, etsi doctrina et sanctitate praepollentem, Patrem vocitare nequimus.

Denique, ne quis circa tanti momenti rem in errorem inducatur, monemus, ad hoc ut antiquus probatae vitae Doctor haberi formaliter possit tanquam Pater, ulterius requiri ut Ecclesia, quae est veritatis magistra, aliquo saltem indicio suam mentem hac de re pandiderit.

3. — Advertenda. — Circa quod tria declaranda veniunt. — *Primo,* antiquitas, quae hic tanquam conditio ponitur, non absolute, sed relative accipienda est: scilicet, cum Pater Ecclesiae sit testis revelationis, utique requiritur ut tempore ab aevo nostro remoto vixerit, etsi forsan diu post fundatum Evangelium floruerit: hac de causa, S. Bernardus inter Patres adnumerari solet; nec certe longe a vero abest qui duos insignes doctores, S. Thomam et S. Bonaventuram, inter Patres Ecclesiae connumerandos esse duxerit.

Secundo, quod ad Ecclesiae agnitionem attinet, non sem-

[1] Celebre est quod de hoc scriptore tradit S. Hieronymus: (Origenes) *liberis allegoriae spatiis evagatur, et interpretatis nominibus singulorum, ingenium suum facit Ecclesiae sacramenta.* Comment. in Isa., l. V, Introd. Opp. t. IV, I, p. 167. Ven. 1767. — [2] Scite advertit S. Vincentius Lirinensis, ad aliquid circa fidem statuendum, eorum dumtaxat Patrum sententias conferendas esse, *qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.* Commonit., c., XXXIII. Quod autem Patribus unanimiter consentientibus sit omnino credendum, exponit idem Vincentius tum hoc, tum sequenti capite.

per requiritur ut haec sit formaliter explicita, sed sufficit plane implicita, qualis, exempli gratia, resultat ex hoc quod ille, quem Patrem vocamus, cum laude in aliquo Concilio generali, recensito nomine, vel certe allata doctrina, celebretur; aut in martyrologio romano tanquam insignis fidei defensor nominetur; aut maxime ex hoc quod eius scripta publice in officio Ecclesiae perlegantur: sic quippe S. Beda anglus tanquam Pater iure meritoque agnoscitur, qui adhuc vivens tantae fuit auctoritatis, ut in ecclesiis et conventibus fidelium eius scripta publice legerentur: quo factum, ut cum in Homiliarum titulis viventis nomen non posset sanctitatis adiectivo decorari, Venerabilis nuncupationem illi addiderint; qui titulus libris eius semel insertus, nunquam postea deletus est [1].

4. — **Quinam sint Doctores Ecclesiae.** — Sciendum autem quod, etsi nonnullis ex Patribus titulus quoque *Doctoris* tribuatur, non tamen omnes hoc nomine appellantur, sed ii solum qui excellentiori ratione dubia et obscura explanaverunt, et Scripturarum arcana egregie reseraverunt: quorum potissimi sunt, ex Graecis, sancti Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Ioannes Chrysostomus; ex Latinis vero, sancti Leo Magnus, Ambrosius, Augustinus et Gregorius Magnus. Vicissim, plures in Ecclesia tamquam Doctores formaliter honorantur, quos tamen Patres vocare nequimus, ob defectum antiquitatis saltem relativae, ut sunt, exempli gratia, sancti Franciscus Salesius, Alphonsus de Ligorio, Petrus Canisius et Ioannes a Cruce. — Qua de re notetur, ad constituendum Ecclesiae Doctorem, tria, iuxta Benedi-

[1] Quaerenti utrum Bossuetio Patris nomen rite possit attribui, negative certe respondendum erit: quia, etsi insigni scientia theologica fuerit praeditus, cui etiam aliqua vitae sanctitas non defuit, calumniae enim debentur quae de eius vitae integritate mota sunt dubia, tamen, cum deficiat omnis ex hoc capite Ecclesiae autoritas, Patris nomen illi nonnisi abusive decernitur, maxime cum difficile excusari illud possit quod contra Romani Pontificis infallibilitatem protulit, quod tamen suis ipsemet scriptis tacite refutasse deprehenditur.

ctum XIV, requiri: nempe, eminentem doctrinam, insignem vitae sanctitatem, ac Summi Pontificis vel legitimi Concilii Generalis declarationem [1].

5. — **Modus quo quis procedere debet in investiganda doctrina Patrum.** — Circa doctrinam quam sancti Patres nobis in suis scriptis reliquerunt, quaeri potest quemnam valorem, relate ad fidem conficiendam, habeat eorum consensus, vel unanimis, vel quasi unanimis, ad aliquod dogma constabiliendum At quia satis invenitur res ista in alia disciplina pertractata, ideo hac consideratione seposita, non inutile ducimus pauca hic subiicere, attenta praesertim modernistarum temeritate, circa modum quo quis in investiganda Patrum doctrina duci debeat.

Primo quidem, satagere quis debet ut in exquirenda Patrum sententia, magna diligentia procedat, ne tamquam alicuius Patris doctrinam id ultro praesentet, quod forsitan ab illius mente alienum sit [2]. Quod haud raro multi hodie praestant, dum plura complecti cupientes, nec sufficiens studium in perlegendis Patribus impendere valentes, excerpto, ex mera indicis libri conspectione, uno alterove loco, sententias eisdem praecipitanter imponunt, ab eorum tamen mente revera saepius extraneas. Fidenter dicimus, potissima causa serpentium hodie errorum, in superficiali operum sanctorum Patrum studio reponenda est.

Secundo, si quando invenitur aliquis Pater ab aliis discrepasse, primo loco sedulo investigandum erit, utrum haec discrepantia realis sit, an tantum superficie tenus: quod dubium tuto solvetur, si considerationi subiiciantur scopus auctoris in scribendo, circumstantiae quibus scripserit, et

[1] De Beatif. et Can. SS, Synopsis, l. IV, XI, p. 26. — [2] Sic erronee prorsus a P. de Hummelauer, S. I., proponitur, tamquam S. Augustini, ad opus sex dierum illustrandum, theoria de visione *adamitica*, cum tamen ille Pater non aliam nisi *angelicam* visionem respexerit: quae duo maxime distant. Gravius quid proposuerunt recentiores quidam evolutionistae, qui sanctos Augustinum, Gregorium Nyssenum, et Thomam Aquinatem tamquam evolutionismi prodromos traducere ausi sunt.

maxime si attendatur ad totum contextum necnon ad locos parallelos. Saepe enim factum esse videmus ut aliquis ex Patribus, contra specialem quemdam errorem impugnandum vehementior insurgens, quibusdam dicendi modis usus sit, qui quidem cum contextu positi, sensum exhibent omnino catholicum, quem tamen non habent, si a contextu separentur; in quo etiam attendendum est ad usum nominum illo tempore vigentem quo scriptor floruerit, cum aliquod nomen, posteriori aetate, suborta videlicet aliqua nova haeresi, vel accedente Concilii definitione, sensum interdum acceperit alium ab eo quem antea habebat.

Tertio, considerandum est an Pater ille, de cuius scriptis agitur, obiter tantum. an ex professo, id est, tanquam testis divinae revelationis, argumentum aliquod pertractaverit: quo in casu, fieri utique potest ut unius tantum Patris auctoritas sufficiens sit ad rem aliquam tanquam de fide divina conficiendam. Sic, quod ad fidem divinam pertinet, deficientibus explicitis testimoniis aliorum Patrum latinorum, satis potest perfecta impeccabilitas Beatae Mariae Virginis ex uno tantum S. Augustino confici [1], cum hic Pater ex professo de peccato et gratia tractaverit, adeo ut Doctor gratiae iure meritoque sit appellatus.

Quarto, si quod dubium oriatur, sitne alicuius Patris sententia orthodoxa, expendendum sedulo erit, utrum certa ratione an dialectice tantum et dubitanter illam sententiam proposuerit [2], et utrum haec sententia possit, factis opportunis declarationibus, catholice exponi.

Denique, si evidenter pateat, ex ulterioribus fidei definitionibus, sententiam illam a tradita veritate discrepare, descrendus erit ille Pater, quin tamen propterea cuivis fas sit quicquam honori ipsi debito detrahere, qui in ceteris veram nobis transmisit doctrinam: nec valde mirandum est, si aliquis sacer scriptor in uno alterove puncto erraverit, stante sententiarum varietate, et quaestionibus nondum per auctoritatem vel rationem definitis.

[1] Lib. de Nat. et Gra., c. XXXVI, n. 42. — [2] Sic plura de opere sex dierum, de origine animae humanae, etc. dialectice, non didactice, protulisse invenitur S. Augustinus

6. — Monitum. — Qua in re, haud satis vehementer reprobandam ducimus petulantem illorum homunculorum aevi nostri agendi rationem, qui magnos illos fidei nostrae praecones, brevissimo ingenioli sui modulo dimetiri praesumentes, ut scioli videantur, sua censoria lima, eorum scripta non minus iniuste quam leviter remordent, hunc quidem Patrem quasi stylo inflato et turgido usum, illum quasi humili nimis et deiecto, tertium quasi saeva bile in scribendo tumentem, vanissime carpentes. *Non secus quam de traditione*, ait Pius X [1], *iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus: eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habent.* Superbissimis hisce aristarchis, commiseratione potius quam refutatione dignis, non inopportune in mentem revocari poterit illud quod scribit Facundus Hermianensis [2]: *Et crebro quidem accidit, ut ista quoque Ecclesiae luminaria* (Patres), *quoniam multa a nobis celsitudine separantur, pro quodam nostrae ignorantiae nubilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura.*

7. — Adsistentia divina Patribus concessa. — Hic autem premi silentio haudquaquam debet specialis circa Patres Ecclesiae consideratio, quam a multis auctoribus praetermissam videmus; nimirum, agnoscendam esse relate ad hos Patres, specialem quamdam Spiritus Sancti adsistentiam ne in suis scriptis, saltem ut plurimum, in errores contra fidem laberentur.

Nimirum, promissio Christi [3]: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*, cum ordinata esset essentialiter ad fidei aedificationem et conservationem, extendi omnino debuit ad illos usque, quorum potissime opera fides catholica dilatanda, conservanda et defendenda erat. Aliunde, altissima est revelata doctrina, et profundior quam ut facile addisci potuerit, priscis maxime temporibus, cum nondum esset scientifice exposita, nec talis foret pacis

[1] Encycl. *Pascendi*. — [2] Pro defens. trium capit., l. 6, c. 5. — [3] Matth., XXVIII, 20.

conditio circa nascentis Ecclesiae sortes, ut homines in penitius illius studium possent incumbere, quantum videlicet necesse sit ad tam sublimem scientiam rite adpiscendam

Sane, res est omni admiratione superior, homines laboriosis apostolici ministerii operibus addictos, fidei nostrae mysteria ita accurate pertractasse, ut quae nunc expositiones scientifica scholastica methodus comparavit, eaedem cum planioribus Patrum expositionibus ad amussim quadrent. Quod certe supponit Spiritum Sanctum scribentibus Patribus specialiter adstitisse; quae tamen adsistentia non est tanquam miraculosa reputanda, cum ad ordinariam Dei Providentiam pertineat, quae quosdam homines peculiari modo complectitur, attento scilicet speciali officio ipsis commisso; et primo quidem particularis haec Providentia respicit Summum Pontificem ex cathedra loquentem, dein ecclesiasticos priorum temporum scriptores, quos Patres nominamus.

8. — **Scholion.** — Hoc autem quod dicimus de speciali Spiritus Sancti adsistentia, non respicit Patrum dicta vel scripta de rebus mere physicis, ut evidenter declarat Angelicus, dum recensens opinionem aliquorum Patrum, ponentium firmamentum esse de natura inferiorum corporum, ait quod illi *hoc tradiderunt, non quasi asserentes, sed sicut utentes his quae in philosophia didicerant; unde non sunt maioris auctoritatis quam dicta philosophorum quos sequuntur, nisi in hoc quod sunt ab omni infidelitatis suspicione separati* [1].

Sed et relate ad res fidei, non ita intelligenda est supradicta adsistentia, quasi illis scribentibus Spiritus Sanctus semper et in omnibus adfuerit, cum si ita esset, nullum errorem protulisse dicendi essent; verum intelligenda est ut in pluribus, cum soli Ecclesiae, ut explicuimus, praedicta adsistentia promissa fuerit semper et quoad omnia dogmata; unde quod aliquis Patrum, in rebus quoque ad fidem pertinentibus, aliquem interdum errorem protulerit, generali facto praedictae adsistentiae nullatenus officit.

9. — **Concilia particularia.** — Post Patres et Ecclesiae Doctores, plurimam operam in munere dogmata fidei illu-

[1] 2, Dist. XIV, quaest. I, art. 2, ad 1^{m}.

strandi et explicandi contulerunt Concilia particularia, scilicet, sive nationalia, sive provincialia, quorum plura, temporis decursu, celebria evaserunt.

Circa quod, duce Benedicto XIV [1], notari potest, antiquitus quidem, in Conciliis particularibus, orta aliqua haeresi, fidei dogmata discussa et definita fuisse, ut videre est maxime in Conciliis Milevitano II et Carthaginensi circa doctrinam de gratia, adversus Pelagianos, in Concilio Arausicano II adversus semipelagianos, necnon in pluribus Conciliis Toletanis, circa dogma processionis Spiritus Sancti a Filio. Nunc autem magis magisque adsertis Ecclesiae unitate et Romani Pontificis infallibilitate, huiusmodi argumenta ad Sedem Apostolicam deferri consueverunt, relicto Conciliis particularibus munere res ad disciplinam spectantium stabiliendi. Hac de causa talia Concilia proprie non vocantur *sancta*, nec eorum decreta dicuntur *canones*, soli Concilio oecumenico talibus appellationibus reservatis.

Igitur Concilia quoque particularia non parum adiumento fuerunt dogmati catholico explicando et vindicando, et quidem sub quodam influxu Spiritus Sancti, cuius adsistentia ad ea quoque extenditur; at notandum est, horum Conciliorum decreta tantummodo ex voto episcoporum auctoritatem accipere, qui soli sunt iudices fidei, ceteris qui Concilio intersunt votum tantum consultivum habentibus [2]. Huiusmodi autem Concilia nunc temporis vim non habent disciplinarem, nisi accedente approbatione et confirmatione Romani Pontificis; quod si haec approbatio modo solemni detur, ita ut eorum decreta ab universa Ecclesia recipiantur, ut factum est relate ad supradicta Concilia, scilicet Milevitanum II, Carthaginense, etc., iam dicenda erunt gaudere ipsa Summi Pontificis infallibilitate. Nam, ut advertit Amideus Chiroli, O. S. M., *sicut potest Summus Pontifex se solo decernere res fidei et morum; ita potest confirmando statuta et decreta conciliorum particularium efficere, ut sint materia fidei, et morum* [3].

[1] De Syn. Dioec., l. I, c. 3. — [2] Cf. Bened. XIV, loco citato, l. XIII, c. 2. — [3] In op., Lumina fidei divinae. Lugduni, 1671, p. 291. Cf. B. Bellarmin., de Concil., l. II, c. 5; Caiet., Tract. de comparat. Papae et Concil. et in Apologia pro eodem tract.

10. — Doctrina scholastica. — Praeter media extra-cathedratica hucusque recensita, a divina Providentia suscitata pro illustratione, defensione et conservatione depositi revelationis, adnumeranda quoque est auctoritas Doctorum scholasticorum.

Nostrum non est hic Scholasticae historiam retexere, aut eius pro fidei dogmatibus ordinandis, illustrandis, defendendis utilitatem vindicare [1]. Unum nostra hic refert, illud in lectoris animo formaliori quo possumus modo inculcare, quod a sapientioribus rerum divinarum tractatoribus unquam asseveranter proclamatum est, nempe speciali divinae Providentiae dispositioni deberi, quod, temporis progressu, scholastici Doctores suscitati fuerint, qui sanae philosophiae principiis imbuti, illius placita ad fidei dogmata explananda et illustranda adhiberent, ut inde altissimarum fidei veritatum quasi intelligentiam assequerentur [2].

In quo quidem summam veritatis revelatae evolutionem agnoscere libet: ita ut nil superiori aevo amplius praestandum relinquatur, quam ut illam summorum Doctorum sapientiam unusquisque pro ingenio suo nitatur assequi, et cum assecutus fuerit, dicendi forma novis aetatibus accommodata, exponat, expositamque, quoad fieri possit, novis quoque scientiarum incrementis illustret, aut insurgentibus recens erroribus profligandis opportune applicet; quod enim scholastici Doctores, traditionis ecclesiasticae acerrimi vindices, ope peripateticae philosophiae praestiterunt per respectum ad dogmata fidei nostrae, etsi utique repraesentet ultimum conatum

[1] Vide supra, Quaest. I, art. 2, nn. 6, seq., p. 61. — [2] Deducet exhinc prudens lector, non ita accurate scripsisse Card. NEWMAN: *In Christianity, opinion, while a raw material, is called philosophy or scholasticism; when a rejected refuse, it is called heresy.* An Essay on the development, etc., p. 187. Similiter, vix probari poterit quod legitur in P. Christiano Pesch, S. I. (Institutiones propaedeuticae, Ed. 3ª, p. II, sect. 5, n. 555, p. 348. Friburgi Brisg., 1902), nempe propositionem, quae non est in se revelata, sed ex revelatis certo deducitur, sive ab Ecclesia definita sit, sive non, dici *theologice certam*; propositiones vero quae ex revelatis probabiliter tantum deducuntur, interdum vocari *conclusiones scholasticas*. Nimirum conclusiones scholasticae, si quae tales appellari debeant, theologice certae esse debent.

humanae mentis in cognitione rerum divinarum, aditum tamen minime praecludit expositioni nostris moribus accommodae, dummodo idem omnino sensus eademque sententia quam fidelissime retineantur.

Ceterum, hoc unum sedulo advertendum est, pleniori de rebus naturae investigatione cognitionem divinarum rerum minime impediri, imo potius plurimum adiuvari, cum philosophiae munus sit theologiae ancillari: ex adverso autem, luce clarius compertum est, profundiores de ordine supernaturali notiones in bonum cedere scientiarum naturalium, cum historia testis sit, praecise ex dogmatum uberiori cognitione, philosophiam ad apogaeum perductam fuisse, et rationem humanam hoc fidei debere, quod ab erroribus immunis conservetur.

11. — Doctrinae scholasticae praestantia. — Quoniam autem huc sermo noster evasit, abstinere haudquaquam possumus quin eorum quoque gravissimum errorem refellamus, quibus videtur componi posse profundam rerum divinarum cognitionem cum ignoratione scholasticae doctrinae, quasi haec aliud non sit, nisi conventionale quoddam systema, serius, id est media aetate, subtiliter confectum, citra cuius cognitionem possit quis plenam et exactam notitiam de revelatione adipisci. Esto enim, quod ad scientificam structuram attinet, Scholastica relative recens sit, tamen quoad ipsa scientiae germina, et quidem technicis nominibus designanda, iam inde a priscis temporibus, etsi non plene evoluta, existebat, ita ut dici omnino debeat a Patribus Ecclesiae cognita et adhibita fuisse, ut perlegenti eorum opera abunde constat. Cum igitur aliud non praestiterint Scholastici Doctores, nisi scientifica methodo ordinare illas notiones quae passim in Patribus occurrunt, et sine quibus cognitio dogmatum nequit haberi, hinc patet theologum haudquaquam vocitari posse, qui Scholasticae doctrinae ignarus existat.

12. — S. Thomas Aquinas. — Porro, quod hic generaliter dicimus de Scholasticis Doctoribus qui media aetate floruerunt, eos nempe divinitus fuisse excitatos ut dogma

catholicum scriptis suis ad pleniorem evolutionem perducerent, hoc specialissimo modo de uno S. Thoma Aquinate dici debet, quem Pius XI non ita pridem universalem Doctorem vocitare non dubitavit [1].

Equidem nos non latet, quanto hunc Angelicum Doctorem odio illi prosequantur, qui nova sectari adamant, quasi nempe illius doctrina abstrusa sit et multis ambagibus implexa nimisque antiquata, ut evolutioribus aevi nostri moribus iam nunc respondeat; at isti se ignorantiae, superbiae, inobedientiae, ignaviae nota ipsimet inurunt. Ignorantiae, quia si sublimem illam et suavem doctrinam cognoscerent, omnino non possent eam non diligere plurimique facere; superbiae, quia sapientiores se existimant innumerabilibus illis summis ingeniis quae Aquinatis doctrinam sublimarunt; inobedientiae, quia tot monitionibus Summorum Pontificum doctrinam hanc proponentium et commendantium acquiescere detrectant; ignaviae, quia levioribus et genialioribus studiis indulgentes, a labore illo horrescunt, quem profunda Angelici doctrina expostulat.

Certe hanc esse aevi nostri maximam miseriam contiteri quisque debet, homines veritatis siti consumptos, a purissimis et sanissimis fontibus refugere; contra vero ad venenatas, lethalem labem inducentes, lymphas, sitibundos turmatim confluere. Fidenter dicimus, certissima est modernisticae labis nota, sancti Thomae doctrinae utcumque detrahere.

13. — Obiectio praeoccupatur. — Solent nonnulli, magno eruditionis apparatu, ad fucum faciendum et incautos retibus capiendos, advertere Gregorium IX, mense Iulio 1228, doctrinam Aristotelis solemniter prohibuisse, et tres post annos, probatis doctoribus onus commisisse opera Stagiritae examinandi et expurgandi, ut absque fidei dispendio, imo cum utilitate doctrinae, a studentibus illamet opera perlegi possent. Ex quibus, arguunt illi, fieri posse ut unus vel alter, ex Gregorii IX successoribus, id ipsum relate ad S. Thomam aliquando praestet, quod ille semel in casu Ari-

[1] Litt. encycl. *Studiorum ducem*, 29 Iun., 1923.

stotelis perfecit, ex cuius operibus ipse S. Thomas suarum speculationum fundamenta deprompsit.

At ludunt illi in ambiguo: non enim ipsius Aristotelis doctrinam, sed abusum quem aliqui huius doctrinae faciebant, damnavit Gregorius IX. Deinde notum est, aetate illa, Stagiritae placitis falsas Averrois et aliorum Arabum philosophorum doctrinas ita fuisse commixtas, ut non tam facile illa ab istis discerni possent: unde Summus Pontifex, ne studiosa iuventus adulteratis doctrinis inficeretur, sapientissime libros illos proscripsit, donec venenum a puris laticibus separaretur: quod sane periculum pro S. Thomae operibus nequaquam imminet, quae integra habemus.

14. — Laus S. Thomae. — Manet ergo, nunquam reformandum iudicium, quod de Angelici doctrina protulit Ecclesia [1]: *Scripta eius, et multitudine et varietate et facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt, ut uberrima atque incorrupta illius doctrina cum revelatis veritatibus mire consentiens, aptissima sit ad omnium temporum errores pervincendos.* Ille siquidem ad amussim opere complevit altum et nobile munus catholici expositoris, a S. Vincentio Lirinensi ita descriptum [2]: *Intelligatur, te exponente, illustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quae didicisti, doce: ut cum dicas nove, non dicas nova.* — Scite Caietanus, verba Psalmi [3]: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis*, commentans, ait [4]: *Dantibus ergo operam declarationi divinorum sermonum per Prophetas, Apostolos. Doctoresque sacros, lumen datur et intellectus, utpote parvulis in oculis suis, et seipsos submittentibus illorum doctrinae.*

15. — Errores semper renascentes. — Ex his constat, quam futilis sit et spernenda haec altera nonnullorum cavillatio, contendentium eo pacto scholasticae methodo novam esse methodum substituendam, quo, loco armorum saeculi

[1] Brev. Rom., in festo S. Thomae Aquin., lect. V. — [2] Commonit., c. XXII. — [3] CXVIII, 130. — [4] In 2 2^{ae}, Quaest. CXLVIII, art. 4.

decimi tertii, mutatis nunc belli conditionibus, nova sint arma substituta. — Scilicet, negandum est suppositum, et reiicienda tanquam falsa, instituta comparatio: nimirum, etsi verum sit, conditiones belli, quod armis materialibus geritur, esse mutatas, falsum tamen est aliud nunc esse bellum spirituale quod contra spiritum erroris sustinetur: iidem enim sunt errores qui hodie pullulant, et quos S. Thomas debellabat, qui non solum praeteritos errores confutavit, sed etiam futuros omnes praevidit. Est enim error, sicut hydra lernaea, multiplici semper vertice renascens.

Quocirca, non minus detrimenti revelatae veritati affertur ab iis qui Scholasticam praefracte abiiciunt, ac ab iis qui doctrinae sancti Thomae Aquinatis aliam, forsitan subtiliorem, substitui vellent: qua agendi ratione, gravissimas in Scholis scissiones adducente, summum damnum unitati doctrinae revelatae infertur. Quocirca optandum est et enixe adlaborandum, ut et singulae religiosae familiae, praetermissis systematibus, quae forsan opera alicuius insignioris ex eius alumnis in earum sinu succreverunt, unius Angelici doctrinae, ut fert mens Ecclesiae, addiscendae in posterum insistant.

16. — Scholastici Doctores naturae studium minime neglexerunt. — Qua in re respuenda quoque est multorum calumnia, scholasticos Doctores nullo modo sive physicis disciplinis sive historicis quaestionibus evolvendis mentem applicuisse, aut etiam, neglectis suae aetatis conditionibus et necessitatibus, ad antiquos tantum et iamdiu confossos errores oscitanter et inutiliter attendisse. Re quidem vera, videmus scholasticos Doctores nulli secundos fuisse in physicis disciplinis excolendis, aut historicis quaestionibus dirimendis, ut eorum opera perlegenti constat; quibus etiam sanctum iugiter fuit currentis aevi errores profligare: quinimmo, errores ipsi, in quos incurrerunt, qui quidem deficientiae instrumentorum debentur, evidentissimo argumento sunt, eis cordi quam maxime fuisse, veritatem in omni sua manifestatione detegere et amplecti.

17. — Neo-scholastica non probanda. — Denique, hoc quoque adiectum volumus, minime probandos videri qui

Scholasticam non sic simpliciter, sed *neo-Scholasticam* appellari et haberi volunt: quae sane appellatio falso innititur supposito, Scholasticam scilicet non cuivis aetati convenire, aut eius principia obnoxia esse mutationi, iuxta temporum diversitatem. E contra, cum Scholastica, sicut veritas ipsa cuius est expressio, omni aetati conveniat, et diversitas expositionis, si qua sit, fieri debeat salvis illius principiis, ideo perperam traducitur quasi reformatione indigens, quod utique significatur, cum simplici appellatione neglecta, neo-Scholastica vocitari vult: nimirum, adiunctum illud, *neo*, vel superfluum est, vel nocivum [1].

18. — Methodus historico-positiva comparata cum methodo scholastica. — Cum autem a pluribus rerum theologicarum tractatoribus methodus sic dicta *historico-positiva* plus aequo hisce diebus extolli videatur, ideo abs re non erit de hoc quoque argumento nonnulla subnexuisse.

Et primo quidem, quid hac methodo importetur, satis ex eius ad Scholasticam relatione compertum est: nimirum, cum Scholastica nitatur fidei dogmata solida argumentatione perstringere, illustrare, tueri, methodus historico-positiva, e contra, tota est in ordinatim exponendo quid quisque scriptorum, labente aevo, circa illa dogmata protulerit. At vero hoc muneris duplici quidem ratione perfici potest: aut enim in tali disquisitione oralis Ecclesiae traditio praetermittitur; aut haec tamquam basis supponitur et fundamentum, a quo omnis investigatio de variis auctorum sententiis procedit.

Et quidem vix opus est ut dicamus, esse non posse quin prioris generis methodus funesta evadat et perniciosissima, utpote quae id negligit et seponit, quod omni de rebus divinis investigationi supponendum esset, scilicet plura in traditione orali contineri, inde a Christo Domino et Apo-

[1] Dolendum est, vel in libris catholicis, talia passim legi: *Quando* (theologia speculativa) *artificiose magis quam theologice de divinis disserit, et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cuius non velit rationem reddere, tunc scholasticae nomen obtinet.* Libermann. Inst. theol., t. I, p. 7.

stolis recepta et fideliter in Ecclesia conservata, quae frustra quis in historiae annalibus requireret. Igitur, mirum non est, si illis videamns naufragium in fide imminere, qui face traditionis exstincta, in suis investigationibus temerario cursu procedentes, cum in historiae libris non semper explicite adinveniant ea quae nunc ab Ecclesia communiter tenentur, ideo praecipitanter concludunt ea esse adinventa quaedam fidei deposito superaddita, penitusque reiicienda: qua quidem argumentandi ratione latam demum aperiri viam ad infidelitatem necesse est.

19. — Quali norma debeat methodus historico-positiva duci. — Ea igitur debet esse cuivis cordato historico lex, ut habitis antea ob oculos iis dogmatibus quae nunc Ecclesia tenet, conetur eorum vestigia in traditione deprehendere, et quidem ad eorum tramitem, quae de his dogmatibus Scholastica tradidit. Cum enim divina sit dogmatum nostrorum origo, fieri nequit quin ea, quae nunc tenemus, cum iis quae antiquitas tenuit cohaereant; cum vero explicationes illae, quas tradit Scholastica, obiectivae veritati respondeant, necesse quoque est aliquam saltem illarum adumbrationem in priscis Ecclesiae scriptoribus contineri.

Et revera, in hoc praecise videdur fundamentalis error modernistarum consistere, quod ii contendant Ecclesiam hausisse doctrinam suam a Patribus aut Doctoribus ecclesiasticis; dum e contra, Patres, et Doctores ecclesiastici suam doctrinam ab Ecclesia acceperunt. Aurea sunt de hac re S. Thomae verba [1]: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Eccclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris* [2].

Qualis reapse debeat esse historicae methodi hodiernus usus, Summus Pontifex Pius X sequentibus verbis luculenter edocuit [3]: *Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga traditionem et Patres*

[1] 2 2ae, Quaest. X, art. 12. — [2] Perpendant ista verba qui cathedras sic dictas *Historiae Dogmatum* in universitatibus occupant. — [3] Epist. Encycl. *Pascendi dominici gregis.*

et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit), theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil Scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt, ut Scholasticam theologiam despicere videantur.

20. — Scholion. — Quod de Patribus Ecclesiae, de Conciliis particularibus et de Doctoribus scholasticis diximus, proportionaliter dici debet et de Congregationibus Romanis, eas scilicet de se quidem privilegio infallibilitatis minime gaudere, specialiter tamen divina providentia protegi, in bonum revelatae doctrinae.

Haec igitur sunt quae, ad sacram Doctrinam exponendam, illustrandam, defendendam, Ecclesiae suae Deus sapientissime providit: nimirum, praeter authenticum et cathedraticum magisterium, adest in Ecclesia multiplex organum extra-cathedraticum, ad eumdem finem veritatem fidei manifestandi et explicandi *per se* ordinatum. — Quomodo *per accidens*, id est, per haereses, idipsum possit obtineri, inferius ostenditur.

21. — Corollarium. — Ex hucusque traditis resultat, duplicem fontem supernaturalem esse, ex quo sacra Doctrina sua trahit argumenta: unus est proprius et necessarius, et quidem iterum duplex, scilicet prophetia et auctoritas Ecclesiae; alter est proprius quidem, sed probabilis, qualis est auctoritas Patrum, conciliorum particularium et Doctorum scholasticorum, quo nomine etiam iuris ecclesiastici periti comprehenduntur. Etenim fides nostra proprie et necessario innititur revelationi factae apostolis et prophetis qui canonicos libros scripserunt, necnon Ecclesiae infallibili magisterio; non autem necessario innititur scriptis aut dictis Patrum aut Doctorum, nisi hi unanimes inveniantur et accedat Ecclesiae magisterium. Unde S. Augustinus scribit[1]: *Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici*

[1] Ep. LXXXI, al. XIX, AD HIERONYM., c. I, n. 3, t. II, col. 190.

appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. ...Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi... persuadere potuerunt.

22. — Ratio humana. — Utitur tamen etiam sacra Doctrina *ratione humana*, sicut etiam auctoritatibus philosophorum, ubi hi per naturalem rationem veritatem cognoscere potuerunt, et sic etiam historia humana utitur, quae ad rationis disciplinam reducitur; unde et S. Paulus, cum philosophis in Areopago Athenis disserens, inducit verbum Arati, dicens [1]: *Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: ipsius enim et genus sumus;* et ipsemet Angelicus totum librum *Contra Gentiles* hac ratione conscripsit.

At, planum est sacram Doctrinam ratione humana non uti ad fidem probandam, secus evacuaretur fidei meritum iuxta illud S. Gregorii [2]: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio habet experimentum;* sed ratione utitur ad aliorum, quae in hac doctrina traduntur, manifestationem; unde sacra Doctrina et ratione et auctoritatibus philosophorum utitur quasi *extraneis* argumentis et *probabilibus*. Attamen, si consideretur ipsamet ratio sub eo respectu sub quo ad ipsam proprie pertinet ancillari fidei, cum naturalis inclinationis proprium sit obsequi caritati, eo quod gratia non tollit naturam, sed eam perficit ea utendo, sic potest dici sacra Doctrina uti ratione et philosophorum auctoritatibus *ministerialiter* tanquam ex *propriis et necessario* [3].

Quo modo ex philosophorum rationibus theologus ad divina cognoscenda manuduci valeat, pulcherrime exponit Theodoretus [4]: *Quemadmodum*, inquit, *qui aurosam terram et argenteam effodiunt, cum exigua quaedam ramenta nacti fuerint, eorum vestigia consectantes, venas scrutantur, neque prius ab effodiendo desistunt, quam auri copiam invenerint, ex qua ramenta illa propagata sunt, ita nos oportet Anaxagorae, et Pythagorae et Platonis, atque etiam Numenii et Plu-*

[1] Act., XVIII, 28. — [2] Homil. XXVI, in Evang. — [3] Cf. Melchior Canus, *de Locis theol.*, l. I, c. I. — [4] In Serm. II, Contra Gent.

tarchi et Plotini ceterorumque sermonibus auditis, fontem ipsum indagare ex quo pauca quaedam divinorum laticum haurientes isti, libros suos exornarunt; atque illorum inopia relicta, eam cum abysso Sapientiae commutare [1].

23. — Usus linguae latinae pro studiis philosophicis et theologicis. — Pro coronide eorum quae de Ecclesiae magisterio disseruimus relate ad conservationem et evolutionem revelationis christianae, non possumus silentio praeterire quanti momenti sit, pro studiis philosophicis et theologicis rite excolendis, linguae latinae usus. Est enim haec propria lingua qua Ecclesia in tote Occidente ritus suos liturgicos complet: quis autem nescit omnia dogmata fidei nostrae in liturgia quodammodo exprimi, iuxta notissimum axioma: *Lex credendi ipsa supplicandi lege statuitur?* Expedit igitur ut qui in sortem Domini vocati sunt, ab unguiculis illud idioma addiscant, eoque in scholis philosophicis et theologicis utantur, maxime cum Ecclesia ministros suos iubeat linguam illam in sacris ritibus conficiendis adhibere.

Nec silendum, latinam linguam, eo praecise quia Ecclesiae lingua est, quadam universalitate gaudere, et sic maxime efficax medium existere scientias, signanter philosophicam et theologicam, promovendi; nam, hinc quidem fere omnia opera de istis rebus tractantia hac lingua exarata inveniuntur; illinc vero, si quis velit fructum propriarum elucubrationum ad homines aliarum nationum derivari eisque prodesse, non alia ipsi via panditur, nisi ut latino eas idiomate depromat [2].

[1] Cf. Petav., Theol. dogm. de Deo, l. I, c. VI. — [2] Iusto plurium desiderio, speciale quoddam idioma penes omnes gentes coli et adhiberi debere, quo faciliora reddantur hominum diversarum nationum commercia inter se, satis profecto fieret, si maior esset linguae latinae evulgatio; nec opus esset ut speciale idioma, ceu *Volapük*, *Esperanto*, *Ito* aut *Neutral* de novo cuderetur. — Cf. quae de usu latinae linguae in media aetate edisserit Clarmus Dom. Ioannes Vaughan, in op. *Concerning the Holy Bible, its use and abuse*, C. IV, ubi ait Latii idioma ita tunc temporis cunctis vel parumper excultis viris familiare fuisse, ut tum processus iudiciales, tum testamenta omnia latina lingua exararentur.

24. — Linguae latinae praestantia. — Hic quidem attendendum est, linguam latinam, prae vulgaribus idiomatibus, hoc sibi vindicare, quod maxime idoneum vehiculum invenitur conceptibus philosophicis ac theologicis, in sua identica significatione, per saeculorum decursum, fideliter transmittendis. Dum enim aliis linguis, eo praecise quia passim adhibentur, seu, ut aiunt, viventes sunt, quaedam quasi fluctatio et ambiguitas, terminis non semper in uno eodemque sensu defixis, inest, unde fit ut plurimis vocibus non eadem nunc sit significatio, quae erat ante duo vel tria saecula [1], latina lingua, e contra, eo quod vulgaris seu vernacula non est, sed veluti mortua habetur, suos habet terminos, suas dicendi formas, certa et invariata significatione tinctas, quae ulteriori immutationi obnoxiae non sunt. Quinimmo, quis nesciat viventes linguas, sicut populos, adeo senescere, ut pauca post saecula vix amplius agnosci valeant [2] ? Unde et quae opera vernacula lingua eduntur, nisi tempestive renoventur, funeri certa lege dicantur [3].

Addi etiam potest, latinae linguae, quod ad syntaxim attinet, talem esse indolem, ut prae omnibus fere linguis recentibus, maxime apta sit et idonea ad philosophicos et theologicos conceptus scientifico rigore exprimendos [4]. —

[1] Sic, verbi gratia, magna intercedit differentia inter significationem quam anglicus scriptor Chaucer, in suis *Canterbury Tales*, pluribus nominibus tribuit, et significationem quam eadem nomina nunc obtinent: nec necesse est ut tam longum tempus elabatur ad significationem nominum mutandam, cum etiam saeculi spatium notabilem differentiam inducere possit. — [2] Sic facile intelligi nequit, absque vocabularii ope, textus originalis librorum S. Francisci Salesii, licet tria nondum saecula ab eius obitu sint elapsa. — [3] Huc faciunt sequentes versus Horatii Flacci:

> *Mortalia facta peribunt,*
> *Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.*
> *Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque*
> *Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,*
> *Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.*
>
> De Arte poetica.

— [4] Praeclara sunt verba Ioseph de Maistre: *Après avoir été l'instrument de la civilisation, il ne manquait plus au latin qu'un genre*

Quapropter dici potest divinitus factitum, ut Latii idioma sedulo in Ecclesia excoleretur usuique iugiter haberetur, tamquam externum quoddam fidei catholicae praesidium; unde velle usum latinae linguae e scholis philosophicis et theologicis excludere, idem est ac latam pandere viam cuiusvis generis erroribus.

25. — Refutantur obiectiones contra usum linguae latinae in scholis philosophicis et theologicis. — Ad rationem autem quam nonnulli in contrarium adducunt, scilicet, tyronibus saepe haud sufficientem esse latini idiomatis cognitionem, ut facile possint sublimes philosophiae et theologiae veritates hac lingua expositas capessere, unde videretur laborem hisce scientiis intrinsecum non debere gravari difficultate ex usu latini idiomatis proveniente, — facile *respondetur*, hac ratione id tantum persuaderi, *posse* utique, id exigentibus specialibus locorum aut personarum adiunctis, interdum, usum linguae vernaculae concedi, ubi videlicet desit aut magistrorum idoneorum copia, aut in studentibus sufficiens ingenium; minime vero evinci, quod adversarii contendunt, id *debere* semper et *ubique* fieri. Sane nihil obstat quominus in saecularibus, puta, lycaeis, aut in aliis Status collegiis, philosophicae disciplinae lingua vernacula tradantur: at hoc quidem per accidens est: quod autem alia methodus servari generaliter debeat in seminariis et universitatibus catholicis, suadetur Ecclesiae consuetudine, quae in omnibus, ait Angelicus, semper aemulanda est [1].

Addunt nonnulli eatenus philosophicas et theologicas disciplinas lingua vernacula tradi debere, quatenus idiomate, non latino, sed quali fertur regione ubi degunt, uti debeant clerici, semel ac, emenso studiorum curriculo, ad populum sermones de veritatibus fidei habituri sint.

---

de gloire, qu'il s'acquit en devenant, lorsqu'il en fut temps, la langue de la science. Les génies créateurs l'adoptèrent pour communiquer au monde leurs grandes pensées. Copernic, Keppler, Descartes, Newton, et cent autres très importants encore, quoique moins célèbres, ont écrit en latin.

[1] 2 2ae, Quaest. X, art. 12.

At larvam esse hanc rationem, rem paulisper consideranti patebit. Imprimis enim, res adeo gravis non est, id quod quis aliena lingua didicerit, lingua propria postea exponere, ut propter hanc difficultatem studium linguae extraneae deseri debeat. Equidem, si ita foret, nemo alterius idiomatis, nisi proprii, studio vacare deberet, cum aeque nobis difficile sit exponere lingua propria id quod lingua extranea didicerimus, sive haec sit idioma quoddam recens, sive sit ipsa Latii lingua. Et tamen nos docet experientia, et vehementer inculcant peritiores paedagogi, ad melius et profundius propriam linguam cognoscendam, plurimum iuvare alterius linguae, maxime vero latinae et graecae, pleniorem atque perfectiorem cognitionem. Sane ex sedula comparatione plurium idiomatum, id quisque consequi potest, ut maternae linguae puriores dicendi formas, reiectis spuriis, retineat.

Quae cum ita sint, perniciosissima dicenda est sententia tenentium debere clericis doctrinas philosophicas et theologicas vulgari potius quam latino idiomate tradi: quin potius pro viribus insistendum, ut antiqua Ecclesiae praxis hac in re universaliter restituatur [1].

26. — Quo pacto divina Providentia prospexerit conservationi et dilatationi linguae latiane. — Quoniam autem sermo huc noster incidit, hoc quoque adiecisse non pigebit, in ratione studiorum quae iuventuti, ad illius educationem procurandam, in athenaeis praescribi solent, haudquaquam nobis opportunam videri eorum contentionem, qui ideo profanos latinos auctores penitus eliminari volunt, quod de cultu falsorum deorum, ut plurimum, sermonem faciant.

Re quidem vera, dici potest divinitus provisum fuisse,

[1] Prodiit, non ita pridem, epistola E.mi Card. Merry del Val ad Dom. Guibert, Superiorem Seminarii Instituti Cath. Parisiis (17 aug. 1909), in qua haec leguntur: *Comme vous l'avez fort bien fait observer dans votre rapport, sans une connaissance sérieuse et soignée de la langue latine, qui est la langue toujours vivante de l'Eglise, on ne peut obtenir une vraie formation intellectuelle et, dirai-je, spirituelle, ainsi qu'une solide science théologique, si nécessaire à tout candidat au sacerdoce.*

ut tam insignes Latium scriptores pepererit, quatenus per eos perennitati latini idiomatis consuleretur. Cum enim Deus decrevisset ut Ecclesia lingua latina, usque in finem saeculorum, tanquam propria, uteretur, necesse fuit ut haec suam veluti consecrationem consequeretur in excellentissimis scriptoribus, quos posteritas admirari et imitari conaretur. Et hoc quidem eo efficacius obtinetur, quod praecise scriptores illi classici mythologiae fabulas, aut suarum nationum res glorioso gestas concelebrant: quo fit ut non solum obsequentes Ecclesiae filii, sed etiam ipsimet eius acriores inimici linguam latinam addiscant, quod profecto non facerent, si litteratura latina solis Patrum aut Doctorum ecclesiasticorum scriptis constaret. Unde et in hoc admirari licet fortem suavemque divinae Providentiae dispositionem, quae medium opportunissimum adinvenit consulendi universalitati et perennitati illius idiomatis, quo decreverat Ecclesiam suam fore usque in aevum usuram.

Quocirca non est iis consentiendum, qui in classica iuventutis educatione deponi prorsus vellent studium profanorum auctorum latinorum: remotum quippe valde est periculum quod illi timent, cum nullus sit sanae mentis qui fabulis de Iove, Minerva aut Iunone tractantibus seriam mentem modo applicet; et aliunde magistrorum christianorum sedula opera facile obtineri potest ut huic qualicumque periculo occurratur, sive ostensa falsitate huiusmodi fabellarum, sive opportune introductis, inter auctores explicandos, elegantissimis, nec ii desunt, christianis scriptoribus [1].

[1] Notum est, saeculo elapso, controversiam hac de re in Gallia acriter viguisse, inter doctissimum ecclesiasticum scriptorem Gaume et celebrem episcopum aurelianensem Felicem Dupanloup: contendente illo debere, in athenaeis catholicis, ad fidem tuendam, profanis auctoribus christianos omnino substitui; volente isto, e contra, usum profanorum auctorum, utique temperatum, retineri. Porro, cum Sancta Sedes, ad cuius aures controversia pervenit, nihil contra usum profanorum auctorum statuerit, deduci inde potest, mentem Ecclesiae esse ut in scholis catholicis, adhibitis opportunis cautelis, auctores illi retineantur. Vide *Cours d'histoire Ecclésiastique*, par l'abbé P.-S. Blanc, continuée par l'abbé Guillaume. T. IV, Paris, 1885, p. 574.

27. — Verba Leonis XIII de usu linguae latinae pro philosophia et theologia addiscenda. — Desinat nostra haec qualiscumque monitio verbis quibus Leo XIII archiepiscopo Mechliniensi, Petro Cardinali Goossens, scribens, usum linguae latinae, pro scientiis philosophicis et theologicis addiscendis, haud ita pridem vehementer commendabat. — *Attamen unum prae omnibus per has Nostras litteras speciali modo commendandum censemus, ut nempe in lectionibus habendis, iis quidem exceptis, quae scientias naturales, quas vocant, historiamque respiciunt, latina lingua adhibeatur: huiusmodi enim latini sermonis usum in statutis praescribendum expressa Nostra mandavimus voluntate, a quo nullo modo recedendum omnes admonitos volumus, sive institutores, sive alumnos. Quo enim pacto serio et solide in divi Thomae et Scholasticorum doctrinam incumbere alumni poterunt, eorumque immortalia evolvere volumina, latine conscripta, huius idiomatis nescii? Impervii profecto iis semper erunt electissimi scientiae thesauri inibi per saecula a summis ingeniis congesti. Nec institutoribus ipsis facilis res erit, si scholae conceptus, axiomata, terminos vel ipsos vernacula lingua explanare conentur. Viros autem altioris eruditionis ac scientia vere praestantes, quales Thomisticae Scholae alumnos optamus, vel maxime dedecet latinam linguam non callere, praesertim si de clericis agitur Ecclesiae addictis, cui proprium est Latii sermone a saeculis uti et gloriari. Quod laicos autem attinet, quorum solidior in philosophicis disciplinis institutio Nobis etiam cordi est, eos a Thomisticae Scholae frequentia latini sermonis usus arcere non debet, sed potius allicere, si serio scientiae inhiant possessui et honoribus. Quam forsan ab initio cursuum invenient difficultatem cito evincent, prout exemplum probat alumnorum, qui ex diversis regionibus et linguis Urbem conveniunt innumeri, ut scientiis vacent, quae semper latine explanantur* [1].

[1] Epist. *Probe nosti*, 6 Febr., 1896. Huc pertinet Epistola Sacrae Studiorum Congregationis ad R.mos Ordinarios non ita pridem directa, qua legitur: *Cum* (lingue latinae) *vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quae vocatur aetate, usque ad totum saeculum XVIII, eadem-*

28. — Usus vocabulum scholasticorum. — Una cum studio latinae linguae pro addiscendis philosophicis ac theologicis disciplinis, observare debet sedulus dogmatum cultor usum vocabulorum scholasticorum quae, approbante Ecclesia, saeculorum decursu in explicandis fidei nostrae mysteriis, felici eventu introducta sunt. Sunt equidem haud pauca scholastica vocabula, quibus eum uti necesse est, qui fidei dogmata utcumque exponere velit, quocumque demum idiomate utatur. Sane, sive latina, sive vulgari lingua quis explicare velit mysterium SS.mae Eucharistae, abstinere salva fide nequit ab usu huiusmodi vocum: *transubstantiatio, materia, forma, substantia, accidentia*, etc.; quae quidem voces, mutata solum terminatione, eaedem fere sunt in quocumque idiomate; et si forsan in aliqua lingua diversum sonum faciunt, eadem tamen latet sub hisce vocabulis dogmatica significatio. Quocirca audiendi non sunt qui, plurimum desipientes, huiusmodi vocabula vellent auferri, quorum sensum dicunt sive a sacrae theologiae tyronibus, sive maxime a fidelibus haud satis percipi.

Sane, ex hoc quod Ecclesia has voces consecraverit, satis datur intelligi, eas omnino aptas esse mysteriis explicandis, maxime accedente opportuna explicatione; quo loco facit animadversio Pii VI in patres pseudo-synodi Pistoriensis, qui omiserant ullam facere mentionem transubstantiationis: quam omissionem Pontifex inconsultam suspiciosamque appellat, quatenus sic *notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam* [1].

---

que usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis, sive de Theologia, sive de Iure Canonico, sive de ipsa Philosophia, et magistri in iisdem docendis disciplinis. Kal. Iul. a. 1908. *Analecta Ecclesiastica*, fasc. Decem., 1908, p. 493. Vide de hac re pulcram dissertationem P. Ludovici Taparelli S. I., *Saggio teorico di diritto naturale*, nota CXXVII, p. 669, Livorno, 1845.

[1] Bulla *Auctorem fidei*, 28 Aug., 1794, n. 29. D.-B., n. 1529.

QUAESTIO TERTIA.

DE COGNOSCIBILITATE SACRAE DOCTRINAE.

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. — Cognito quid sit sacra Doctrina in sui natura et in sui extensione necnon in fonte authentico ex quo oritur, quaestio nunc proponitur, quomodo sit a nobis cognoscenda: ordo enim logicus, seu cognitionum, sequitur ordinem ontologicum, seu rerum. — Ubi, sub generico nomine sacrae Doctrinae, intelligitur, iuxta superius exposita, dogma Catholicum, seu revelatio christiana: de qua re pressius quaestio praesens instituitur.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, in eo quod quaeritur, qua ratione sacram revelationis doctrinam percipere possumus, duo clauduntur: primum, ipsa huius doctrinae cognitio in se considerata (1-2); alterum, eiusdem cognitio considerata in suo opposito, seu in haeresi (3). Ulterius, cognitio sacrae doctrinae duplici modo postulat investigari: uno modo, absolute, ut sciatur utrum ad illius cognitionem tuto possimus devenire (1); alio modo, qualiter possit cognosci: huic enim sacro deposito multiplex, tanquam prismati, inest aspectus (2).



Hinc tria in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum ad revelationis existentiam rite cognoscendam tuto pervenire possimus.

Secundo. Utrum una ratione mens humana dogmati catholico adhaerere debeat.

Tertio. Utrum per haeresim detrahat homo assensui fidei.

Articulus I. — *Utrum ad revelationis existentiam rite dignoscendam tuto pervenire possimus.*

1. — Lux sub qua praesens materia tractatur. — Quoniam non parum refert, ad pleniorem problematum discussionem, si in antecessum clare determinetur lux, seu formalis ratio aut adspectus, sub quo res de qua quaeritur agitari debeat, ne disputatio, nullis conclusa cancellis, ad extranea et inutilia incassum divagetur, imprimis advertimus praesentem quaestionem formaliter sub luce divinae revelationis agitari debere; in quantum scilicet, accepta iam per naturalem rationem existentia alicuius revelationis, huius naturam et proprietates rimari velimus secundum lumen supernaturale, id est, secundum lumen ab ipsamet revelatione derivatum. Haec quippe in omni disciplina lex est, existentiam subiecti illius disciplinae ab alia, eaque inferiori, disciplina, accipi debere; naturam vero et proprietates ex formali illius disciplinae luce seu ratione repeti.

Quocirca, aliud est quod hoc loco, aliud quod in Propaedeutica, de revelatione, seu de sacra Doctrina, pertractatur: in Propaedeutica enim, ex criteriis naturalibus comprobatur existere revelationem, seu quaestio an sit absolvitur; hic vero natura et cognoscibilitas huius revelationis, ex propriis fidei principiis ad examen revocatur. Quapropter, prior illa investigatio ad metaphysicam, praesens autem ad theologiam proprie dictam pertinet, unde et Propaedeutica nonnisi per analogiam vocatur theologia.

2. — Intentio praesentis articuli. — Quae cum ita sint, intentio nostra nunc est, ex theologiae principiis, ordinem statuere, quo ad revelationis existentiam supernaturali fide

cognoscendam pervenire possumus: quippe qua ratione seposita, necesse est ipsammet fidem, cuius obiectum est divina revelatio, in ruinam vergere. — Porro, ad rite cognoscendam revelationis existentiam, non alia patescit via, quam ut quis aut interno animi testimonio, id est conscientiae voce, determinetur, aut externis indiciis manu veluti ducatur.

3. — Exponitur et refellitur via immanentiae. — Consistit prior via in quadam animi propensione seu promptitudine ad ea fide suscipienda, quae Deum revelasse compertum sit, quasi externa illa Dei manifestatio ad amussim respondeat intimae mentis inclinationi innatoque cordis desiderio: quae proinde inclinatio, quod desiderium sit summum criterium, quo ultimo inferri debeat revelationem utique esse suscipiendam.

Porro, haec via, quantumvis speciosa videatur, et licet multis hodie apprime arrideat, intrinseco tamen vitio laborare facile ab eo deprehendetur, qui semel adverterit, eam hoc falso principio fulciri, nempe notitiam potissimarum veritatum ordinis tum naturalis, tum supernaturalis, nobis esse a natura congenitam, quod falsum est. Nam, cum ea sit hominis conditio, ut nullam possideat notitiam, quam ab applicatione sensuum ad res exteriores proprio labore non hauserit, vane omnino ad intimam subiecti cognoscentis conscientiam aut instinctum recurritur, pro cognitione firma et certa habenda de veritatibus revelatis. Talis quippe via, cum omni veritatis fundamento careat, simpliciter erronea ac simul periculosa dicenda est, cum cito debeat fides in eo perire, qui talem inclinationem ad revelationis placita suscipienda in semetipso minime persenserit.

Ad hanc positionem, quam a Platone recentiores mutuati fuisse videntur, quamque nomine *immanentiae* vocitare consueverunt [1], pertinet id quod circa nostram de rebus cognitionem posuit Kant, cum distinxit phaenomena a noumenis in hoc, quod illa quidem subiectivam quamdam perceptionem, haec autem obiectivam ipsam realitatem repraesentant, et

[1] Subtilissimam systematis immanentiae texturam exposuit Pius X in Encyclica *Pascendi Dominici gregis*, 7 Sept., 1907.

illa quidem a nobis percipi possunt, ista vero minime, etsi caeco instinctu feramur ad tribuendam realem existentiam rebus quarum phaenomena percipimus.

4. — **Testimonium conscientiae.** — Haud multum dissimiliter ratiocinati fuisse perhibentur qui, ad explicandam genesim fidei, recurrunt ad testimonium conscientiae, hoc pacto, ut huius voci, quae Dei vox est, et nobis existentiam suggerit ordinis supernaturalis necnon revelationis cuiusdam, correspondeat obiectiva realitas, cuius vox illa quaedam velut repercussio existat.

At nec ista via sufficit ingerendae notioni divinae revelationis. Etenim, licet conscientiae vox dici possit negative quidem testari Deum homini fuisse locutum, in quantum nihil est in nostra conscientia quod revelationi repugnet; tamen, quod ex ipsis actibus conscientiae, a ratione reflexe perceptis, liceat inferre primam causam, quae Deus est, homini actu fuisse locutam, hoc aliunde quam a conscientiae voce innotescit [1].

5. — PROP. — **Ad revelationis cognitionem primo pervenimus per signa certissima, omnium intelligentiae accommodata.**

6. — **Auctoritas.** — Veritas haec ita in Concilio Vaticano legitur [2]: *Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus, cum internis Spiritus Sancti auxiliis, externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata.* Et iterum [3]: *Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia, aut inspiratione privata, homines ad fidem moveri debere, anathema sit* [4].

[1] Inferius, Quaest. IV, art. 7, exponetur systema elaborationis conscientiae christianae relate ad dogmatis evolutionem. — [2] Constit. de Fide Cathol., c. III. — [3] Can. III, 3. — [4] Cf. 2 2ae, Quaest. VI, art. 1.

7. — Exponitur. — Licet Deus, absolute loquendo, revelationem homini immediate interiori illustratione proponere potuisset, scilicet absque ulla externa revelatarum veritatum praesentatione a praedicatoribus fidei facta, opportune tamen et naturae hominis omnino consentanee provisum est, ut huiusmodi veritates annuntiarentur ab aliquibus personis ad hoc specialiter deputatis, quales fuerunt, in veteri Lege, prophetae, et in nova, Apostoli, et supra omnes, Apostolorum Rex et Magister, Christus Dominus, verus Deus et verus homo [1].

Rursus, praedicatio a prophetis, Christo aut Apostolis facta, quantum ad externum medium ordinatum ad manifestationem revelationis, absolute sufficere potuisset, sine ulla signorum et miraculorum confirmatione, cum interior fidei motus, quo veritatibus revelatis assentimur, sit immediate a Deo efficaciter ad hoc movente voluntatem nostram: unde et videmus Apostolos Christo Domino credidisse etiam antequam miraculum aliquod edidisset. Sed cum hoc quoque ad hominis naturam pertineat, ut ad aliquid tenendum inducatur, tum rationis argumentatione, tum maxime signis exterioribus, hinc Deus sapientissime providit fidei dilatationi et conservationi, tum per disertissimas praedicationes et clarissima scripta Apostolorum et maxime S. Pauli, tum per miracula et prodigia a sanctis viris in confirmationem veritatis, magna frequentia et claritate, patrata.

8. — Assentiri veritati revelatae non est inscitiae aut animi levitati adscribendum. — Quae cum ita sint, levitatis animi aut inscitiae ille redargui nequit, qui credit veritati, pro cuius confirmatione inveniuntur a Deo patrata mirabilia prorsus opera. Deus enim, qui in miraculis immediate operatur, non adhibita scilicet mediatione causarum secundarum, nequit falsitati confirmationis robur adiicere, quin seipsum neget. Hinc Christus Iudaeos arguebat [2]: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite.* — Atqui in confirmationem veritatis revelatae inveniuntur opera prorsus mirabilia pa-

[1] Hebr., I, 1, 2. — [2] Io., X, 37, 38.

trata, et quidem aliqua intrinseca ipsi revelationi, alia extrinseca, sumpta revelatione concrete, seu pro Ecclesia, quae revelationis depositum continet. *Intrinseca* quidem opera sunt ipsius Ecclesiae mirabilis *origo, propagatio* et *conservatio; extrinseca* vero, in ordine ontologico, sunt illa opera quae, sive in *natura inanimata*, ut in astris, sive in *natura animata*, ut in animalibus, sive etiam in *rationali creatura*, ut in homine et angelis Christus, Ecclesiae fundator, patravit [1]; in ordine autem logico, prophetiae. — *Esset autem*, ait S. Thomas [2], *omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia, et ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus; quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, ad confirmationem fidei, per sanctos suos miracula operari* [3].

9. — Advertenda circa citata verba Concilii Vaticani. — Circa superius citata verba Concilii Vaticani [4], advertendum est, non prohiberi apologetam quin, ex multis viis quibus religionis christianae veritas commonstrari potest, illam amplectatur, quam magis aptam iudicaverit, attentis circumstantiis locorum, temporum et personarum: ut sic, probationibus ex prophetiis et miraculis non utique negatis aut despectis, sed simpliciter pro tunc praetermissis, potius innitatur in gloriosis effectibus, quos christiana religio peperisse comperitur: nimirum, miraculis quidem et prophetiis primus locus, in vi probativa, attribuendus est, at non cum exclusione aliorum factorum divinorum. — Pariter advertet prudens lector, citato canone Concilii Vaticani, minime proscribi demonstrationem christianae religionis aut revelationis, quae sit ex interna cuiusque experientia, cum dicatur SOLA *interna* cuiusque experientia: quandoquidem via haec apud plures efficacissima deprehenditur, quatenus detecta, per seriam considerationem, proportionali harmonia inter veritates revelatas et cordis humani adspirationes, ostenditur unam et eamdem esse utriusque originem: unde in tan-

[1] 3, Quaest. XLIV. — [2] Contra Gent., l. I, c. 6. — [3] Cf. op. n. DEL MIRACOLO, cc. XII, XIII. — [4] N. 6.

tum illa via proscribitur, in quantum tamquam unica indigitatur. Huc facit eulogium quod de S. Ignatio Ecclesia recitat[1]: *Claris adeo illustrationibus a Deo recreatus* (fuit), *ut postea dicere solitus sit: Si sacrae Litterae non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solum, quae sibi Manresae patefecerat Dominus.*

10. — **Undenam confirmatio revelationis peti debeat.** — Quae cum ita sint, dicendum est confirmationem revelationis haberi potissime per prophetias et miracula, quibus tanquam sufficientibus motivis, persuasio ingeri potest de veritate revelationis. Unde, sicut ad fidem spectat dari veras prophetias et vera miracula, quibus veritas religionis revelatae plenissime demonstratur, ita ad modernisticam luem pertinet aut de prophetiis et miraculis, quae in Scriptura recensentur, dubia movisse, aut efficacissimam vim eorumdem ad effectum testificandi de revelatione utcumque infirmare.

Hoc tamen non excludit quominus, suadentibus specialibus circumstantiis, apologeta christianus ad alia quoque probationis capita recurrat, verbi gratia, ad externa signa, puta mirabilem propagationem et conservationem Ecclesiae catholicae, martyrum in persecutionibus constantiam[2], aut ad interna indicia, puta sanctitatem, puritatem, sublimitatem doctrinae revelatae, aut ad effectus, vel fructus quos peperisse perhibetur in societate et in individuis, aut denique ad harmoniam quae est inter revelationem et cordis humani aspirationes. Igitur, dummodo prophetiis et miraculis sua non denegetur probandi vis, utiliter poterit fidei defensor ad unum aut aliud demonstrationis caput pro re nata recurrere.

11. — **Scholion.** — Quoniam vero hac ultima probationis via modernistae solent abuti, eam aut tanquam unicam habentes aut perperam exponentes, advertimus harmoniam inter revelationem et cordis humani adspirationes in tantum illius authenticitatem demonstrare, in quantum unus est

[1] Brev. Rom., 31 Iul., IV lect. ad Mat. — [2] De martyrio agetur infra.

utriusque fons, sicut etiam unus est fons scientiae et fidei; at quoniam natura humana de se capax non est ordinis supernaturalis, sed solum prouti est a Deo ad hunc ordinem elevata [1], ideo argumentum ex praedicta harmonia depromptum, si stricte loqui velimus, non tanquam positivum, sed tantummodo tanquam negativum est proponendum, quatenus scilicet nihil sit in revelatione quod cordis humani adspirationibus oppugnetur.

12. — PROP. II. — **Revelationem in tantum suscipimus, in quantum Ecclesia catholica, quae magistra est veritatis, eam nobis credendam proponit.**

13. — **Exponitur.** — Ex authenticis Scripturis accipimus, Christum Dominum Ecclesiam instituisse, cuius visibile caput esse voluit Romanum Pontificem, Petri successorem, quem infallibilitatis praerogativa donavit, quatenus vicem sui in terris gereret. Atqui Christus ipse in hunc mundum venit, ut doctrinam supernaturalem, id est, revelationem, nobis traderet, iuxta illud [2]: *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ergo authentica via perveniendi ad cognitionem revelationis est Ecclesia catholica, quae, ut in apposito tractatu ostenditur, est sola vera Ecclesia.

14. — **Quo pacto revelatio cognoscitur per Ecclesiam, Ecclesia vicissim per revelationem.** — Ne quis autem putet circulationem, seu circulum vitiosum, incurri, in eo quod dicimus nos revelationem accipere ex auctoritate Ecclesiae, vicissim vero nos credere in Ecclesiam quia illam nobis Deus per revelationem proponit, sciendum est revelationem, sive Scripturam aut Traditionem, duplici sub respectu debere a nobis considerari: primo, tamquam historicum factum lumini rationis pervium; secundo, tamquam Dei verbum nobis supernaturaliter manifestatum. — Igitur, cum primum hominis officium sit sequi dictamen rationis, ratio autem rite exculta non possit, in suis investigationibus, non nancisci eviden-

[1] Cf. quae scripsimus in tr. *de Deo Uno*, P. I, Quaest. XII art. 1. — [2] Io., XVIII, 37.

tissimum factum existentiae cuiusdam revelationis, qualis, sive in Veteri Testamento inchoata est, sive sub Nova Lege perfectionem obtinuit, cum autem in ista revelatione palam contineatur veritas de aliqua Ecclesia ab ipso Christo instituta, quae illius vices in terra gerat hominesque ad plenam veritatem perducat, hinc stricto officio tenetur homo Ecclesiam hanc ingredi ab eaque veritatis normam accipere. Iamvero, quid praecise docet Ecclesia, nisi, Deum homini secreta sua solemniter revelasse, quae proinde homo reiicere non debet, sed humiliter, tamquam summum Dei beneficium, suscipere?

15. — Fides est donum Dei. — Porro, etsi homo ad fidem veniat per considerationem motivorum credibilitatis quae ad ordinem naturalem pertinent, ipsa tamen fides formaliter supernaturale donum Dei est. Nam, ad fidem, scilicet explicitam, habendam, requiritur tum ut homini credibilia proponantur, tum ut ipse assentiatur iis quae proponuntur. Porro, quod ad primum attinet, evidens est necessarium fuisse ut illa credibilia, quae rationem humanam excedunt, homini revelarentur, sive immediate a Deo ipso, sive mediantibus Apostolis et Prophetis: et haec quidem revelatio donum quoddam est. Quoad secundum vero, cum homo assentiendo his quae sunt fidei, elevetur supra naturam suam, necesse est ut ei insit aliquod principium supernaturale, illum movens ad credendum, seu ad assentiendum iis quae proponuntur: quod principium oportet esse a Deo, qui est proprius auctor ordinis supernaturalis [1].

16. — Motivum credibilitatis, aliud formaliter a motivo fidei. — Ad quod intelligendum, sciendum est quod utique homo ad credendum, tum audiendo fidei doctrinam, tum videndo miracula, disponitur; sed haec duo non sufficiunt: nam videntium unum idemque miraculum et audientium unam eamdemque praedicationem, unus quidem credit, alter vero non credit, ut quotidie videmus, puta apud Lourdes, ubi divinae potentiae signa mirum in modum multiplican-

[1] 2 2ae, Quaest. VI, art. 1 et 2.

tur. Quapropter distinguenda sedulo sunt motivum *credibilitatis*, ut miracula, prophetiae, etc., quibus homini manifestatur rationabilitas fidei, a motivo *fidei*, quod est auctoritas Dei loquentis; et illa quidem formaliter ad ordinem naturalem, hoc autem formaliter ad ordinem supernaturalem pertinet.

17. — Ad percipienda motiva credibilitatis non est opus gratia supernaturali. — Igitur, quamvis ad actum fidei eliciendum, indigeat homo gratia supernaturali, tamen ad motiva credibilitatis percipienda sufficit lumen rationis: aliud enim formaliter est huiusmodi motiva atque eorum connexionem cum revelatione percipere, aliud mente firmiter adhaerere revelationi, quod pertinet ad fidem: nam obiectum formale fidei est auctoritas Dei rem non visam revelantis; motiva autem credibilitatis non influunt in fidem, nisi secundum rationem causae moventis. — Revera, motivum assensus, sive determinatio ad aliquod unum cognoscibile, quae habetur per rationem naturalem, fit vi luminis rationis; procedit enim haec determinatio ex visione cognoscentis; sed motivum assensus, seu determinatio quae habetur per fidem, procedit non ex cognoscentis visione, sed ex visione eius qui cognoscitur et cuius dictis per fidem adhaeretur tanquam inevidentibus [1]. Quocirca, potest esse quod quis plene percipiat credibilitatis motiva, et quidem in ordine ad revelationem, et tamen fidei consentire detrectet.

18. — Fides etiam informis est donum Dei. — At non solum fides caritate formata, sed etiam fides informis est donum Dei verum: informitas enim fidei non pertinet ad rationem ipsius, sicut tenebrositas non est de ratione ipsius diaphani, sed ei supervenit: unde dicitur fides informis propter defectum cuius exterioris formae, scilicet caritatis: quapropter illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictae, quae est Deus.

Quae complectens Concilium Vaticanum ait [2]: *Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus, nemo*

[1] 1, Quaest. XII, art. 13, ad 3[m]. — [2] C. III, de Fide.

tamen evangelicae praedicationi consentire potest sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

19. — PROP. III. — **Ostensio signorum ad inducendum homines ut credant mysteriis revelatis non evacuat meritum fidei.**

20. — **Prob.** — Meritum fidei ex hoc oritur, quod homo ex mandato Dei credit quod non videt, seu ex promptitudine voluntatis ad assentiendum Deo revelanti; unde illa sola demonstratio meritum excludit, quae facit videri per scientiam id quod credendum proponitur, quod est ratio demonstrativa, iuxta illud S. Gregorii Magni [1]: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum;* at vero signa, de quibus agimus, huiusmodi non sunt, sed sunt tantummodo rationes aliqualiter inductivae, quae proinde meritum fidei minime evacuant.

21. — **Explicatur.** — Ad huius rei evidentiam, sciendum est quod, ut exponit Doctor Angelicus [2], fidei meritum non totaliter excluditur, nisi homo ea tantum credere vellet quae videt; at quod homo per aliqua signa visa, credat ea quae non videt, non tollit quin fidem habeat et consequenter fidei meritum. Huius rei luculentum exemplum habetur in sancto Thoma Apostolo, qui per visa vulnera Christi Domini inductus est ut crederet in Christum Deum simul et hominem, unde exclamavit [3]: *Dominus meus et Deus meus.* Quocirca id quod ei dixit Christus [4]: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti,* intelligendum est hoc sensu, quod aliud Thomas viderit et aliud crediderit, unde meritum fidei in eo non est evacuatum per signa quae ipsi ostensa sunt.

[1] Homil. XXVI, in Evang. — [2] Cf. S. Thom., 3, Quaest. LV, art. 5, ad 3[m]. — [3] Io., XX, 28. — [4] Ibid., 29.

Utique, perfectioris fidei esset, sicut ulterius advertit Angelicus [1], ille qui non requireret huiusmodi auxilia ad credendum; unde ad arguendum defectum fidei in quibusdam, Dominus Noster dixit [2]: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*; consequenter necessitas recurrendi ad praedicta signa argumento est minoris promptitudinis ad credendum, et sic diminuit aliquantisper meritum beatitudinis, iuxta illud eiusdem Christi Domini [3]: *Beati qui non viderunt et crediderunt*; quapropter, illi qui sunt tam prompti animi, ut credant Deo etiam signis non visis, beatiores sunt illis qui non credunt, nisi talia videant.

22. — Quanam certitudine revelationem suscipere debeamus. — Quaerenti autem quanam certitudine revelationem suscipere debeamus, respondendum est errare illos magnopere, qui censent assensum fidei in congerie probabilitatum inniti, quod quidem damnavit Pius X [4]. Enimvero, revelatio dupliciter potest considerari: primo, in quantum illius existentia ex authenticis documentis, miraculis confirmantibus, restutat; secundo autem, in quantum veritates omnes, in deposito revelationis contentae, nobis ab Ecclesia, quae est veritatis magistra, suscipiendae proponuntur.

Et quidem, quoad primum, dicendum est existentiam revelationis, tum quoad factum ipsum revelationis, tum quoad perfectam eiusdem revelationis conservationem, certam esse certitudine illa qua facta quaecumque, sufficientibus testimoniis certificata, suscipimus, quod est certitudine morali; quoad alterum vero, ea quae in deposito fidei continentur, certa nobis esse debent certitudine fidei quae certitudo est omni, vel metaphysica, certitudine, maior, propter dignitatem causae formalis, cui revelatio innititur, quae est ipsa divina scientia, quam falli et decipi impossibile est.

Quocirca, celeberrimum est S. Thomae monitum, eo modo

[1] Loco cit. — [2] Io., IV, 48. — [3] Ibid., XX, 29. — [4] Prop. XXV in Decreto *Lamentabili*, 3 Iul., 1907. — Sententia haec est Cardinalis Newman, qui, in opere, *An Essay in aid of a Grammar of Assent*, Revealed Religion, London, 1870, p. 406, scribit: (I hold) *that from probabilities we may construct legitimate proof, sufficient for certitude*.

a principiis fidei, quibus per gratiam Dei assentimur, repetendas esse conclusiones theologicas, quo modo a primis demonstrationum principiis, quae naturaliter tenemus, conclusiones philosophicas deducimus [1].

23. — PROP. IV. — Assensus fidei formaliter est adhaesio intellectus veritatibus revelatis.

24. — Prob. — Revera, fides est formaliter virtus intellectus, utique movente voluntate, ideoque consistit in vero, pleno et interno assensu intellectus relate ad ea quae a Deo revelata sunt aut ab Ecclesia tradita, iuxta illud S. Pauli [2]: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Ad pleniorem huius rei intelligentiam, advertendum est, habitus distingui in duas classes: scilicet, sunt habitus qui dant homini tantummodo facultatem boni actus, non autem actum ipsum, ut est ars grammaticalis, quae tradit modum recte loquendi, sed non facit ut homo semper actu recte loquatur, id est, de se non inclinat hominem ad recte loquendum: potest enim quis eligere loqui contra leges grammaticae, puta, ut discipulos provocet ad defectus inveniendos, et sic agendo non dicitur malus, nec imputatur deficientiae habitus in ipso, si minus recte loquatur. Alii autem habitus sunt qui dant non solum posse bene agere, sed dant etiam bonum usum, seu inclinant hominem ad hoc ut illis habitibus recte utatur: sic, verbi gratia, iustitia ita dat bene agere, ut si homo contra hunc habitum operetur, hoc imputetur illius deficientiae: et idem de fide dicendum est, quae proprie ad intellectum pertinet.

Nimirum, cum intellectus moveatur a voluntate, sicut aliae potentiae, aliquid enim actu consideramus quando et sicut volumus, hinc secundum quod intellectus noster movetur ad assentiendum veritatibus revelatis ex imperio voluntatis, attenditur virtus theologica fidei, cuius obiectum est veritas divina intellectui naturaliter impervia: unde vel minima dissensio intellectus, in rebus fidei, peccatum est [3].

[1] 2 2ae, Quaest. I, art. 5, ad 2um. — [2] 2 Cor., X, 5. — [3] 1 2ae, Quaest. LVI, art. 3.

25. — Modernistarum error. — Quapropter, ad modernisticam labem pertinet dicere, ad fidem formaliter sufficere voluntatis adhaesionem, relicta intellectui facultate dissentiendi; unde actus fidei esset actus formaliter non intellectus, sed voluntatis, sese exterius conformantis propositis ab Ecclesia dogmatibus, suspenso aut etiam denegato interno mentis assensu [1].

26. — Obiectum materiale et obiectum formale in fide. — Ad intelligendum, quomodo essensus fidei sit formaliter adhaesio intellectus veritatibus revelatis, sciendum est in ea, sicut in quolibet cognoscitivo habitu, duo obiecta distingui debere: scilicet, materiale et formale. Obiectum materiale est id quod materialiter cognoscitur, sicut in scientia geometrica, materialiter scita sunt diversae conclusiones, seu diversa theoremata, puta, quae in libris Euclidis continentur; obiectum formale autem est id per quod cognitio perficitur, seu est formalis ratio obiecti, sicut in geometria, formalem rationem sciendi praebent media demonstrationis, per quae singulae conclusiones cognoscuntur.

Sic igitur obiectum formale in fide, seu formalis ratio credendi veritates fidei, aliud non est nisi veritas prima: formalis enim ratio cur alicui mysterio assentimur, est quia a Deo revelatum est; unde fides innititur ipsi divinae veritati tanquam medio. Quapropter Dominus Noster de se dicebat [2]: *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati;* et S. Paulus [3]: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum,*

[1] Errorem hunc, quem anglorum plures hac formula, ex Schoppenhauer mutuata, comprehendunt: *The will to believe*, ita exponit Edouard Le Roy (in art. *Qu'est-ce qu'un dogme.* in Ephem. La Quinzaine, 16 avril 1905): DIEU EST PERSONNEL. *veut dire: Comportez-vous, dans vos relations avec Dieu, comme dans vos relations avec une personne humaine. Pareillement.* JÉSUS EST RESUSCITÉ. *veut dire: Soyez par rapport à lui comme vous auriez été avant sa mort, comme vous êtes vis-à-vis d'un contemporain. De même encore, le dogme de la présence réelle veut dire qu'il faut avoir en face de l'hostie consacrée une attitude identique à celle qu'on aurait en face de Jésus devenu visible.* — [2] Io., XVIII, 37. — [3] 1 Thess., II, 13.

sed sicut est vere verbum Dei; rursusque [1]: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Iesu Christi*; pariter S. Ioannes [2]: *Si testimonium hominum pestipimus testimonium Dei maius est.*

Materiale autem obiectum, in fide, est id omne cui nos ex fide assentimus; unde non solum est ipse Deus, sed sunt etiam multa alia, verbi gratia, ea quae pertinent ad humanitatem Christi, ad Ecclesiae sacramenta, vel ad quascumque creaturas. Haec tamen omnia sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, videlicet, quia aut Dei sunt, aut Deo, aut ad Deum, prout nempe homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem, quae est obiectum principale fidei et spei, per aliquos divinitatis effectus, qui sunt obiecta secundaria: eo modo quo obiectum medicinae est sanitas, quia medicina nihil considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Sic pariter obiectum potentiae visivae est omne ens visibile, quia omnia quae ad visum referuntur, licet in se diversa sint, ut homo et lapis, referuntur tamen ad visum sub ratione coloris, seu in quantum sunt colorata: similiter ens mobile est proprium subiectum scientiae physicae, cum haec scientia tractet de omnibus corporibus naturalibus, in quantum entia mobilia sunt.

27. — Notandum. — Notabitur hic opportune, non eadem omnino ratione Deum et res alias a Deo referri ad fidem, quo obiecta visibilia referuntur ad visum, aut corpora naturalia referuntur ad physicam: siquidem, Deus nequit praedicari in recto de rebus aliis a se; e contra, omnia visibilia sunt colorata, et omnia corpora naturalia sunt ens mobile: scilicet, ens non dicitur univoce de Deo et de rebus aliis a Deo, sicut etiam sanum non dicitur univoce de animali, de medicina et de cibo; e contra, coloratum praedicatur univoce de omnibus visibilibus, et ens mobile de omnibus corporalibus naturalibus.

28. — Scholion I. — Igitur, si velimus ad certa capita reducere diversa obiecta fidei, dicemus: obiectum *materiale*

[1] Gal., I, 12. — [2] 1 Io., V, 9.

est ipse Deus, quia nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum quod ad Deum pertinet, et sic dicimur credere *Deum* [1]; obiectum *formale*, seu ratio formalis aut medium propter quod revelatis a Deo assentimur, est veritas prima, et sic dicimur credere *Deo*; denique obiectum *finale* motus fidei est Deus in quem tendimus, et sic dicimur credere *in Deum* [2].

Porro id quod dicimus de fide, proportionaliter dici debet de scientia theologica, cuius obiectum, tum formale, tum materiale, idem est ac obiectum formale et materiale fidei, cum hac unica differentia, quod obiectum formale *quo* fidei est veritas prima *non visa*, obiectum autem formale *quo* scientiae theologicae abstrahit ab hoc quod veritas prima sit *visa* vel *non visa*.

29. — Compossibilitas fidei et sacrae doctrinae. — Sciendum est autem in uno eodemque homine, in praesenti vita, esse posse simul fidem et sacram theologiam, cum isti duo habitus non se excludant: theologia enim principia sua mutuatur a revelatione circa quam est fides: etsi impossibile sit simul esse, in eodem subiecto, de eodem obiecto et secundum idem, fidem et scientiam naturalem, quia scitum est visum, et creditum est non visum. — Et hoc quidem potest illustrari exemplo scientiae et opinionis: nimirum, ab uno et eodem homine haberi potest scientia et opinio de eodem obiecto, non tamen secundum idem: potest enim esse quod de una et eadem re aliquis aliquid sciat et aliquid aliud opinetur; sed de eodem secundum idem nequit esse simul scientia cum opinione, quia de ratione scientiae est quod id quod scitur existimetur esse impossibile aliter se habere,

[1] Cf. 2 2ae, Quaest. I, art. 1. Advertendum tamen hic est, aequivocationis praecavendae gratia, id quod hic S. Thomas vocat obiectum materiale, interdum a philosophis vocari obiectum *formale quod*, cum id quod Angelicus appellat obiectum formale, illi dicant obiectum *formale quo*, aut *sub quo*. — [2] Cf. S. Thomas, 2 2ae, Quaest. II, art. 2, ubi commentatur hanc distinctionem, scilicet *credere Deum*, *credere Deo* et *credere in Deum*, iamdudum a S. Augustino positam in libro de Verbis Evang. Io. Serm. CXLIV, t. V, p. 693, n. 2; et Sup. Ioan., tr. XXIX, t. II, p. II, p. 515, n. 6.

de ratione autem opinionis est, quod id quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere: et similiter potest esse quod de una et eadem re aliquis aliquid sciat, et aliquid aliud credat, sicut possumus demostrative scire quod Deus sit unus, et credere quod sit trinus; sed alterum nequimus simul scire et credere [1].

30. — **Scholion II.** — Ex his deduci debet, perperam a pluribus rei moralis tractatoribus doceri, posse nos sequi in praxi opinionem probabilem, licet certiores simus hanc esse falsam: hoc ipso enim quod de re aliqua scientiam habemus, impossibile, est nos de eadem habere opinionem. Nec minus erronee contendunt multi, confessarium sequi debere, in praxi, poenitentis probabilem opinionem, etsi hanc forsan falsam esse ipse sciverit: sic quippe contra conscientiam ageret confessarius. — Nec obstat quod dicunt, confessarium non esse iudicem opinionum: negatur enim suppositum, cum in casu, sententia quam confessarius tenet, pro ipso opinio non sit.

Articulus II. — *Utrum una ratione debeat mens humana dogmati catholico adhaerere.*

1. — **Quid sit dogma catholicum.** — Imprimis, advertendum est, nomen istud, *dogma catholicum*, etsi in sua pressiori significatione acceptum, comprehendat omnem et solam veritatem divinitus revelatam, et ut taliter fidei nostrae sufficienter ab Ecclesia propositam, latiori tamen sensu non incongrue usurpari ad designandam quamcumque ordinis supernaturalis veritatem, sive scilicet ea sit a Deo formaliter revelata et contenta in verbo Dei scripto vel non scripto, sive sit ab Ecclesia proposita, citra talem revelationem; et quidem, sive talis veritas in seipsa consideretur, sive in iis quae ex ea logico processu deducuntur: enimvero, omnes huiusmodi veritates in quibusdam summis principiis revelatis radicantur, et ab eis ordinatim descendunt, in quo quidem scientiae ratio consistit.

[1] 2 2ae, Quaest. I, art. 5 ad 4m.

2. — Variae fidei acceptiones non diversificant substantiam fidei. — Sciendum autem fidem, etsi sit una specie et numero, diversis tamen rationibus accipi, secundum diversos aspectus, sub quibus dogma catholicum praesentatur. Distinctiones igitur, quae circa fidem adduci possunt, minime referri debent ad illius substantiam, cum haec sit unus simplexque habitus mentis adhaerentis supernaturali veritati propter auctoritatem Dei, sive immediate per se, sive per magisterium Ecclesiae, loquentis. *Si fides sumatur pro habitu quo credimus.* ait Angelicus [1], *sic fides est una specie et differens numero in diversis; si vero sumatur pro eo quod creditur. sic etiam est una fides. quia idem est quod ab omnibus creditur; et si sint diversa credibilia quae communiter omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad unum.*

Quapropter hoc sedulae menti retinendum est, scilicet, si qua distinctio in fide ponatur, hanc non esse nisi ex parte veritatum fidei, quatenus videlicet diversis modis nostro intellectui illae credendae proponantur, et sic ex diversis titulis assensum nostrum sibi vindicent: unde etiam diversarum veritatum negatio diversos poterit effectus parere.

3. — Fides per se et per accidens. — Imprimis, sciendum est, ad fidem per se non pertinere demonstrabilia ratione humana, quales sunt omnes veritates naturaliter cognoscibiles, ut Deum esse, esse unum, esse bonum, animam nostram esse spiritualem et immortalem: de quibus tamen fides potest haberi, scilicet per accidens, nempe per respectum ad eos qui non valent assequi naturalem demonstrationem de illis veritatibus. Huiusmodi veritates proprie vocantur praeambula ad fidem, quae quidem demonstrative probari possunt, sed tamen per accidens inter credenda adnumerantur, *non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes*, ait Angelicus [2], *sed quia praeexiguntur ad ea quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his qui eorum demonstrationem non habent* [3].

Igitur, subscribendum non erit auctoribus illis, nec pauci

[1] 2 2ae, Quaest. IV, art. 6. — [2] 2 2ae, Quaest. I, art. 5, ad 3m. — [3] Cf. supra, Quaest. I. art. 1. n. 19, seq., p. 53.

sunt, qui docent posse haberi, de eadem re et sub eodem respectu, scientiam et fidem [1]. — At esto aliqua veritas, puta Dei existentia, possit, per accidens, in eo scilicet qui demonstrationem non capit, esse obiectum fidei, per se tamen hoc repugnat, in eo nempe qui demonstrative scit Deum esse, cum impossibile sit idem simul esse non visum, quod est obiectum fidei, et visum, quod est obiectum scientiae.

4. — **Fides divina et fides ecclesiastica.** — Distinctio haec, quae quidem sat recens videtur, repetenda est ex fonte unde veritates credendae proponuntur. Aut enim veritates istae proponuntur ab ipso Deo eas revelante, aut ab Ecclesia eas definiente: et quidem, in primo casu, fides vocatur *divina;* in altero autem dicitur *ecclesiastica* [2]. Quocirca, fides divina respicit veritates ab ipso Deo revelatas, quocumque tandem modo Deus illas revelaverit; fides autem ecclesiastica respicit veritates quas Ecclesia sua propria auctoritate definit et tenendas iubet.

Huius distinctionis ratio est, quia ad Ecclesiam non pertinet novas revelationes formaliter edere; unde proprie ad Ecclesiam spectat fidei depositum integrum custodire: licet, pro suo munere fidem moresque tuendi, plura possit proponere, praeter ea quae sunt formaliter revelata: quae quidem fide, non divina, sed ecclesiastica, teneri dicuntur.

5. — **Obiecta fidei ecclesiasticae: facta dogmatica; propositiones condemnatae.** — Quaerenti autem quaenam sint obiecta fidei ecclesiasticae, respondetur eas esse veritates, quas Ecclesia magisterio suo, sive ordinario, sive extraordinario, sive solemni, sive usuali, fidelibus tenendas proponit: cuiusmodi sunt, puta, canonizatio alicuius Sancti, recognitio Vulgatae, declaratio oecumenicitatis alicuius concilii aut le-

[1] Sic, v. gr., P. H. Hurter, S. I. Theol. Dogmat. Compendium, t. I, n. 460, ubi statuit scholion: *De eodem obiecto fides et scientia haberi potest.* Similia habet P. Mannens, Theol. Dogm. Instit., t. I, n. 746. — [2] Videtur hoc nomen, *fides ecclesiastica*, ab archiepiscopo Parisiensi, Arduino Péréfixe, A. D. 1644, primo adhibitum. Mortuus est hic praesul, A. D., 1670. Cf. H. Tournely, De Eccl., Quaest. V, art. 5.

gitimitatis alicuius Summi Pontificis, approbatio vel suppressio alicuius Ordinis religiosi, condemnatio alicuius erroris, tanquam in alicuius auctoris scriptis contenti, etc. — Ad obiectum quoque fidei ecclesiasticae pertinent propositiones quas, in aliquo Syllabo aut decreto Romani Pontificis Ecclesia proscribit.

6. — Fides divina et fides divino-catholica. — Porro, ipsa rei natura iterum postulat ut ulterior distinctio instituatur, inter fidem *divinam* et fidem *divinam et catholicam* seu, ut dicitur, *divino-catholicam*, non quod fides catholica non sit et ipsa divina, sed quia non omnis fides divina dici potest catholica. Enimvero, quia, ut ait Concilium Vaticanum [1], *Deus per Filium suum Unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci*, ideo id dicendum est ad fidem *catholicam* pertinere, quod auctoritate sua infallibili Ecclesia nobis proponit tamquam a Deo revelatum: qua deficiente authentica propositione, veritas divinitus revelata tenebitur utique fide divina, minime autem fide divino-catholica.

Hinc est quod privatas quidem revelationes sibi a Deo forsan concessas aliquis Sanctus fide divina tenebit, qua etiam fide alii, accedente sufficiente credibilitatis motivo, eas tenere poterit; at *fide divina et catholica*, ait iterum Concilium Vaticanum [2], *ea omnia credenda sunt* (et quidem ab omnibus), *quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.* — Consulto dicitur: *in verbo Dei scripto vel tradito;* multa enim Apostoli primitus occulte tradiderunt ad successionem fidelium transmittenda, quae ex familiari Spiritus Sancti instinctu cognoverant, ut, verbi gratia, aliquas formas sacramentorum, quae scripto non consignaverunt, maxime ne infidelium irrisioni exponerentur [3].

[1] Constitut. dogm. Caput III, de Fide. — [2] Loco cit. — [3] Cf. S. Thom., 3. Quaest., XXV, art. 3, ad 4[m]; Ibid., Quaest. LXXII art. 4, ad 1[m]; Ibid., Quaest. LXXXIII, art. 4, ad 2[m].

Praetermissioni huius animadversionis debentur illae modernistarum apertae denegationes de multis fidei catholicae punctis, quae ideo reiiciunt, quia per suam methodum, sic dictam historico criticam, illa in aliquo scripto ex vetustioribus non adinvenerint [1].

7. — **Identitas formalis inter fidem divinam et fidem ecclesiasticam.** — Porro, theologo sedulo cavendum est, ne supradicta distinctio fidei divinae aut divino-catholicae a fide ecclesiastica, dicatur esse penes ipsam rationem formalem fidei, cum sit attendenda solummodo penes obiecta, hinc quidem a Deo credenda proposita, illinc vero ab Ecclesia: unde utrumque pertinet formaliter ad virtutem theologicam fidei. Non enim admitti potest id quod quidam introducunt, scilicet assensum quemdam religiosum, qui medius sit inter assensum fidei et assensum rationis: talem quippe habitum medium sacra theologia non suscipit. Quocirca et facta dogmatica ad assensum fidei formaliter pertinere dicenda erunt. Eatenus igitur praefata distinctio retineri poterit, quatenus substantiam fidei non afficiat, sed tota se teneat ex parte obiecti, non formalis, sed materialis.

8. — **Quotuplici modo potest veritas aliqua contineri in revelatione.** — Diximus, ad fidem divino-catholicam pertinere ea omnia quae Ecclesia magisterio suo infallibili nobis credenda proponit tamquam formaliter aut virtualiter contenta in revelatione scripta vel tradita. — Formaliter quidem, seu in quantum illa veritas invenitur expressa et significata in verbo Dei scripto aut tradito, sive totidem verbis, sive verbis aequivalentibus; virtualiter autem, seu in quantum logico processu deducitur ex veritate formaliter revelata.

Ut autem sciatur qua ratione veritas aliqua contineri

[1] Sic igitur erronee omnino scribebat haud ita pridem A. Loisy (L'Evangile et l'Eglise, p. 194): *C'est seulement à partir du XII siècle que la tradition occidentale est fixée sur le nombre des sacraments. L'Eglise primitive n'en connaissait que deux principaux: le baptême, auquel était associée la confirmation et l'eucharistie.* Qui rursus ait (Autour d'un petit livre, p. 234): *Bien que le rite* (de la confirmation) *soit fort ancien, rien ne prouve qu'il ait été pratiqué par les apôtres.*

possit virtualiter in revelatione, sciendum est, aliquam propositionem, generaliter loquendo, contineri posse in revelatione triplici modo: primo, *formaliter et expresse;* secundo, *formaliter aequivalenter;* tertio, *virtualiter.*

Sic, *formaliter et expresse* revelatum est Filium et Patrem unum esse.

Formaliter aequivalenter dicenda sunt revelata α) definitio in definito, β) relativum in correlativo, γ) singulare in universali, δ) partes in toto, ε) conclusio in duabus praemissis de fide; — exempli gratia, α) est Filius, ergo genitus; β) est Pater, ergo est etiam Filius; γ) omnes beati vident Deum, ergo vident Patrem; δ) est Christus in Eucharistia, ergo est ibi eius anima et corpus; ε) Christus est Deus, Maria genuit Christum, ergo genuit Deum.

Tandem *virtualiter* invenitur revelata conclusio in praemissis, quarum una sit de fide, altera de ratione; verbi gratia. Christus est homo, ergo habet et voluntatem humanam: in hoc quippe casu, processus demonstrativus habetur, qui deest in secundo casu.

9. — Conclusio ex una praemissa de fide et altera rationis est virtualiter revelata. — Ad intelligendum quomodo conclusiones, ex fidei articulis mediate deductae, possint esse obiectum fidei divinae, advertendum est quod lumen rationis, utpote subserviens lumini fidei, ab isto quodammodo modificatur et elevatur, ad constituendum unum tantummodo lumen, quod est formaliter lumen supernaturalis revelationis: unde non est hic casus applicandi axioma: *Peiorem sequitur semper conclusio partem:* nam hoc axiomate hoc proprie significatur, nempe conclusionem, quae ex una praemissa affirmativa et altera negativa deducitur, semper negativam esse debere, et similiter probabilem tantum, non certam, quae ex una praemissa certa et altera probabili, aut denique particularem, quae ex una universali et altera particulari, infertur. Cum autem aliqua veritas per rationem humanam sub lumine revelationis deducitur, aliquid simile habetur ei quod evenit cum homo, gratia sanctificante donatus, aliquid operatur, ex motivo supernaturali, per potentias naturales animae: tales nimirum operationes pertinent iure ad

ordinem supernaturalem et simul ipso facto sunt meritoriae vitae aeternae. Similiter virtutes naturales instrumentaliter deserviunt virtutibus infusis ad bonum ordinis supernaturalis faciendum.

10. — Quaestio. — *Utrum conclusiones ex fidei principiis mediate deductae, sint et ipsae de fide divina tenendae ?*

Resp. Cum distinctione. Nimirum, articuli fidei dupliciter considerari possunt: uno modo, secundum quod sunt nobis formaliter inevidentes; alio modo, secundum quod abstrahunt a ratione visi et non visi; et quidem, primo modo sunt simpliciter principia fidei; altero modo vero, sunt principia sacrae Theologiae, quae, ut alibi docetur, est scientia subalterna per respectum ad scientiam Dei et Beatorum [1].

Quae cum ita sint, dicimus: vel conclusiones huiusmodi considerantur prout fluunt ab articulis fidei ut sic formaliter acceptis, id est, quatenus inevidentes sunt, et tunc sunt et ipsae obiectum fidei divinae, non principaliter, sed secundario et quasi derivative, et, accedente definitione Ecclesiae, fide, ut diximus, divino - catholica tenendae. Vel istae conclusiones considerantur prout logice deducuntur ab articulis fidei consideratis, non formaliter ut sic, sed quatenus sunt principia sacrae Theologiae, id est secundum quod abstrahunt a ratione visi et non visi, et tunc sunt formaliter obiectum scientiae theologicae.

11. — Corollarium — Ex qua distinctione sequitur: 1° quod conclusiones theologicae, primo modo consideratae non solum sunt obiectum fidei divinae, sed etiam possunt fieri obiectum fidei divino-catholicae, quatenus nempe ab Ecclesia credendae proponantur; quod dici nequit de conclusionibus secundo modo consideratis. — 2° Adhaesio mentis huiusmodi conclusionibus primo modo intellectis potest fieri obiectum meriti, non autem secundo modo; scilicet fidei meritum extenditur sd articulos fidei simul et ad conclusiones inde logice deductas. — 3° Cognitio conclusionum theologicarum, ut sic, dicitur mansura in patria, non quatenus

[1] Cf. supra, Quaest. I, art. 2, nn. 10, seq., p. 63; art. 8, n. 9, p. 99.

primo modoa ccipiuntur, sed secundo modo: in quantum scilicet scientia theologica compossibilis est cum visione beatifica; fides enim cum sacra Theologia componi potest, non autem cum visione patriae [1]. — 4° Potest quis teneri ad fide tenendas conclusiones theologicas, si scilicet satis ei innotescat illas in principii fidei contineri. — 5° Non bene a quibusdam [2], ad hoc ut propositio aliqua dicenda sit fide divina tenenda, exigitur ut assensus intellectus *soli* auctoritati Dei revelantis innitatur: non enim rationis lumen, quo conclusio infertur, est motivum assensus, sed est conditio sine qua non, quemadmodum in hoc quod credo Deum esse hominem factum, non evacuatur motivum fidei supernaturalis, ex hoc quod naturali ratione nobis innotescit et quid sit Deus et quid sit homo.

12. — **Verba S. Thomae.** — En quomodo Angelicus doctor rem hanc illustrat. Qui scilicet, cum quaesiisset utrum liceat contrarie opinari de notionibus [3], cum existentia et natura notionum patescat discursu ex articulo fidei, quo in trinitatem personarum credimus in unitate essentiae, respondet: *Ad fidem pertinet aliquid dupliciter: uno modo directe, sicut ea quae nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum, Filium Dei esse incarnatum, et huiusmodi. Et circa haec opinari falsum hoc ipso inducit haeresim, maxime si pertinacia adiungatur. Indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei: sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanae: ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam. Circa huiusmodi ergo absque periculo haeresis aliquid falsum potest opinari antequam consideretur, vel determinatum sit, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, et maxime si non pertinaciter adhaereat: sed postquam manifestatum est, et praecipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare non esset absque haeresi. Et propter hoc multa nunc reputantur haeretica, quae prius non reputabantur, propter hoc quod nunc est magis manifestum, quid ex eis sequatur.*

[1] Supra, Quaest. I, art. 10, n. 5, p. 108. — [2] P. H. Hurter, Theol. Dogm. Comp., t. I, n. 666, ed. 4ª, p. 481. — [3] 1. Quaest. XXXII, art. 4.

Huc quoque referri poterit id quod ait Summus Pontifex Ioannes XXII. Nimirum, cum in media aetate, nonnulli fratres ex Ordine S. Francisci, paupertatem plus aequo extollentes, pertinaciter assererent, Christum et Apostolos nihil habuisse, et in his quae habebant nullum ius eis fuisse, Ioannes XXII in celebri decretali *Cum inter nonnullos*. 12 Nov. 1323, hanc propositionem tanquam erroneam et haereticam proscripsit, *cum Scripturae Sacrae*, ait, *quae in plerisque locis* (Apostolos) *nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam Sacram... fermentum aperte supponat continere mendacii* [1].

13. — **Quaenam requiruntur ad fidem divino-catholicam.** — Igitur, ut aliqua veritas fide divino-catholica teneri debeat, necesse est ut innotescat eamdem et in deposito revelationis consignari, et ab universa Ecclesia, ut sic, retineri. Atqui, in deposito revelationis potest aliqua veritas consignari, vel quia in Sacra Scriptura, sive expresse, sive implicite, continetur, vel quia in traditione habetur. Rursus potest innotescere veritatem aliquam credi ab universa Ecclesia, vel quia ab ea proponitur tanquam credenda formaliter, ut fit in definitionibus Conciliorum et Romanorum Pontificum, vel quia Ecclesia ipsa testatur hanc esse suam fidem, scilicet, ex traditione sibi ingenitam. Hoc secundo modo, verbi gratia, Ecclesia in Concilio Tridentino [2], testabatur Beatam Virginem, ex speciali Dei privilegio, in tota vita, omnia peccata, etiam venialia, vitasse. Atqui, veritas ista continetur etiam, saltem implicite, in Sacra Scriptura [3]. Igitur, qui hanc veritatem, etiam corde negaret, haereticus formaliter esset dicendus, dummodo adverteret hanc esse Ecclesiae fidem.

14. — **Obligatio fide divina tenendi ea omnia quae constat Deum revelasse.** — Quae cum ita sint, eo ipso quod

[1] Extrav. Ioan. XXII. de verborum significatione. Tit. XV, c. IV. — [2] Sess. VI, can. 23. — [3] Puta in iis Cantici Canticorum locis, quos Ecclesia Deiparae attribuit, exempli gratia, IV, 7; VI, 2, 8; etc.

nobis certo constat Deum aliquid revelasse. stricta enascitur, ex parte nostra, obligatio illud fide divina tenendi: nihil enim censetur Deus de secretis suis homini pandisse, quin nos ad illud credendum teneri non velit; unde non placet illa a quibusdam auctoribus inducta distinctio, inter veritates quae *possint* et veritates quae *debeant* credi fide divina, quasi ad illas quidem sufficiat notitia de revelatione; ad has vero alterius requiratur *notitia intentionis divinae nos ad credendum obligantis* [1]: enimvero, *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* [2], proindeque ea omnia credere, et quidem fide divina, debemus.

15. — Quae ad fidem pertinent secundum se et in ordine ad alia. — Porro, ulterius animadvertere oportet, veritatum revelatarum quas, sanciente Ecclesia, fide divino-catholica credere debemus, aliquas esse de quibus est fides secundum se, alias autem de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia. Nimirum, hoc relate ad fidem verificatur, quod in scientiis humanis invenitur, in quibus aliqua quidem proponuntur ut per se intenta, alia vero tamquam ad meliorem et ampliorem horum manifestationem ordinata.

Igitur, cum fides sit principaliter de iis quae videnda speramus in patria, secundum illud [3]: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, hinc ad fidem per se et principaliter pertinent ea quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut veritas de existentia trium personarum in una divina essentia, mysterium Incarnationis Verbi, et similia. Quaedam autem proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad praedictarum principalium veritatum manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios, aut quod ad contactum ossium Elisei suscitatus sit mortuus, et similia, quae in Libris Sanctis ponuntur in ordine ad manifestationem divinae maiestatis, vel Incarnationis, vel resurrectionis.

Porro, solae veritates prioris generis vocantur *articuli*

[1] Sic iterum P. H. Hurter, Ibid., t. I, n. 665, ed. 4ª, p. 478. — [2] Rom., XV, 4. — [3] Hebr., XI, 1.

fidei; licet fides divino-catholica possit esse etiam de aliis veritatibus, in quantum scilicet ab Ecclesia, quae est infallibilis fidei magistra, credenda proponuntur sub generali Scripturarum canone. — Quocirca, longe a vero aberrant qui dicunt nos minime cogi ad accipienda placita ordinis naturalis in Scriptura contenta, cum, ut aiunt, haec esse nequeant obiectum fidei: esto enim ad fidem non pertineant principaliter, sunt tamen cum fide tam intime connexa, ut iis negatis, sequi debeat aliquid contrarium fidei: quod si hae veritates cognosci possunt naturaliter, ad fidem pertinebunt solum per accidens.

16. — Obiecta fidei ecclesiasticae. — Quoniam vero Ecclesiae catholicae Christus commisit revelationis depositi custodiam, qui etiam uni Petro eiusque successoribus altissimum munus contulit confirmandi fratres in fide, hinc agnoscenda profecto est in Ecclesia, et signanter in persona Romani Pontificis, praeter potestatem definiendi ea quae, utpote revelata, credenda sunt ab omnibus fide divino-catholica, ius ferendi iudicia, eaque ex sese irreformabilia, circa materias cum fide connexas, in quantum id postuletur necessitate fidem ipsam conservandi, illustrandi ac defendendi. Et hae quidem definitiones, etsi ad fidem divino-catholicam minime pertineant, pertinent tamen, ut diximus, ad fidem ecclesiasticam, qua iubemur ea omnia sincero et obsequenti animo suscipere et amplecti, quae Ecclesia sic tenenda proposuerit.

17. — Fide suscipere debemus facta dogmatica et censuras propositionum. — Has igitur veritates, ad quas, ut superius diximus [1], facta dogmatica et censurae propositionum pertinent, fide quoque suscipere tenemur, semel ac nobis clare innotuerit eas sufficienter auctoritate magisterii Ecclesiae fulciri. Huc pertinet sequens condemnata propositio [2]: *Cum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum;* et rursus [3]: *Ecclesia, cum*

[1] N. 5, p. 193. — [2] Est 5ª in decr. *Lamentabili*, 3 Iul. 1907. — [3] Prop. 7ª.

proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur [1].

At, maxime attendendum est ad celebre illud Clementis XI [2]: *Ut quaevis imposterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam et impii in tenebris conticescunt), sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura constitutione, obedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio nequaquam satisfieri: sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Ianseniani libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut* HAERETICUM, *non ore solum, sed et corde reiici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse, ita ut, qui secus aut contra quoad haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint, tamquam praefatarum apostolicarum constitutionum transgressores omnibus et singulis illarum censuris et poenis omnino subiaceant, eadem auctoritate apostolica decernimus, statuimus et ordinamus* [3].

Revera, ut cuique parumper consideranti patet, ad fidem integram conservandam circa veritates in deposito revelationis contentas, necesse est ut aliqua quidem firmiter teneantur, alia autem respuantur. Et quidem nonnulla sunt quae revelationis depositum vel antecedenter vel ex consequenti respiciunt, quorum alia ad fidem, alia ad mores spectant, quae ab omnibus rectam fidem habere volentibus, firmiter teneri debent; alia autem sunt quibus fidei depositum directe lacessitur, quae unusquisque reiiciat oportet.

18. — Obiecta fidei ecclesiasticae per se et per accidens. — Attamen, in obiecto fidei ecclesiasticae est aliqua differentia attendenda: sunt enim quaedam quae ab Ecclesia definiuntur, quae aliunde certo cognosci non possunt: ut descriptio extensionis inspiratae Scripturae, canonizatio ali-

[1] Cf. Motu Proprio Pii X, *Praestantia Scripturae Sacrae*, 18 Nov., 1907. — [2] Constitutio *Vineam Domini Sabaoth*, 16 Iul., 1705. — [3] Cf. P. Marin-Sola, O. P., L'evolution homogenea, c. v.

cuius Sancti, etc.; alia vero sunt quae Ecclesia opportune definit, licet naturaliter cognosci possint, ut sunt quaedam pertinentia ad fidei praeambula, verbi gratia, animam rationalem esse formam corporis humani, aut quae ordinantur ad fidei custodiam, ut sunt authenticitas Vulgatae nostrae, aut quaedam facta non revelata, ut fundatio episcopatus romani a S. Petro, aut Pium XI esse legitimum Pontificem, necnon scripta aliquorum auctorum, qui vocantur textus humanae originis, in quibus scilicet Ecclesia declarat certas contineri propositiones in sensu auctoris, sive approbandas sive condemnandas, quae tamen res humano studio, absolute loquendo, cognosci possunt.

Igitur, prioris generis veritates pertinent ad fidem ecclesiasticam per se; alterius vero generis ad fidem ecclesiasticam per accidens; et illae quidem sunt tenendae de fide per se, hae vero per accidens, id est ab eis qui aliter de eisdem veritatibus per se certiorari nequeunt.

19. — Magisterium ordinarium Ecclesiae. — Ne autem in errorem quis inducatur, putans ad hoc ut aliqua veritas credi debeat fide sive divino-catholica, sive ecclesiastica, semper requiri ut solemniori forma ab Ecclesia proponatur, opportune advertetur, propositionem veritatum credendarum, ex parte Ecclesiae, non necessario semper fieri debere solemni forma, id est, Summo Pontifice aut definitionem formaliter condente aut Concilii generalis decreta vel canones rati habente; sed iuxta doctrinam Concilii Vaticani, sufficit ordinarium illud et universale magisterium, quod Romanus Pontifex exercet sive per se, sive per organum Congregationum romanorum, accedente tamen speciali illius approbatione: sic quippe Pontifex ex cathedra loqui censendus est, cum Pontificem loqui ex cathedra sit illum fungi munere Pastoris et Doctoris omnium christianorum [1]. Sufficit quoque magisterium illud, quod consistit in fide totius coetus episcoporum, tacite saltem approbante Romano Pontifice, ut dictum est [2].

Quocirca nemini dubium esse potest quin pontificia do-

[1] Constit. *Pastor aeternus*, 18 Iul., 1870. — [2] N. 8, p. 141.

cumenta, litteris encyclicis consignata, ad fidem pertineant, aeque ac solemniores definitiones; similiter decreta dogmatica Sacrarum Congregationum, si quidem in forma specifica sint approbata a Papa, id est, si constet Pontificem velle universalem Ecclesiam obligare, fide tenenda sunt [1]: denique, quod ab omnibus episcopis, sanciente Pontifice, tenetur, ut, verbi gratia, Deiparam sese apud Lourdes manifestasse, est obiectum quoque fidei, scilicet ecclesiasticae [2].

Ad hoc tamen requiritur ut Pontifex aliquid decernat pro universa Ecclesia, seu, ut *omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungatur* [3]; unde, ut ait S. Thomas [4], *in aliis sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus. vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiae errare propter falsos testes.* Unde idem Angelicus ultro agnoscit quod Ecclesia, in cognoscendo utrum impotentia sit impedimentum perpetuum, necne, *quandoque errat;* et addit quod si Ecclesia se *deceptam inveniat,* permittendo ut ligata cum viro, quem impotentem putaverat, novum ineat matrimonium, reintegrat matrimonium praecedens, quamvis de eius licentia secundum fuerit contractum [5].

20. — Extensio magisterii ecclesiastici. — Ut cuique parumper consideranti patet, ad fidem integram conservandam circa veritates in deposito revelationis contentas, necesse est ut aliqua quidem firmiter teneantur, alia autem respuantur. Et quidem nonnulla sunt quae revelationis depositum vel antecedenter vel ex consequenti respiciunt, quorum alia ad fidem, alia ad mores spectant, quae ab omnibus rectam fidem habere volentibus, firmiter teneri debent; alia autem sunt quibus fidei depositum directe lacessitur, quae unusquisque reiiciat oportet.

[1] Hinc dubitandum non est, Encyclicam Pii X *Pascendi* et Decr. S. R. et U. Inq. *Lamentabili*, tanquam infallibilia documenta habenda esse Cf. P. Villada, S. I., in Ephem. Razon y Fé, t. XIX, p. 161. — [2] Scilicet, ex quo Summus Pontifex officium huius apparitionis ad universam Ecclesiam extendit. — [3] Constitutio *Pastor aeternus*. — [4] Quodlib. IX, art. 16. — [5] Supplem., Quaest. LVIII, art. 1.

Igitur ad magisterium, sive solemne, sive usuale Ecclesiae, pertinet, ex hoc capite, condemnare errores: quod Romanus Pontifex identidem praestat, sive perlatis litteris encyclicis, sive editis syllabis, aut aliis id genus pontificiis documentis. Porro, ad hoc ut aliquod pontificium documentum ad magisterium Ecclesiae reducatur, seu ut sit tanquam infallibile habendum, evidenter constare debet Summum Pontificem intendere fidem universalis Ecclesiae obligare: et sane hoc criterio discerni potest quid, verbi gratia, in Encyclicis, in quibus nimis evidens est Summum Pontificem aliquid ex cathedra docere velle, tanquam de fide sit firmiter retinendum, quid vero tanquam mere accessorium ideoque libere agitandum.

Praeterea, ad Romanum Pontificem pertinet discernere libros divinitus inspiratos a non inspiratis, ut sciatur ubinam consistat depositum revelationis, et ut extensio inspirationis clare describatur; pariter, ad eum spectat iudicium authenticum ferre de ritibus liturgiae, qui ad dogma intime pertinent, cum legem credendi statuat lex supplicandi. — Scite, quoad canonizationem Sanctorum, scribit S. Thomas [1]: *Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitae et attestationem miraculorum; et praecipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

21. — **Scholion I.** — Ad hoc genus ordinariae definitionis pertinere censemus duas celebres declarationes a Leone XIII haud ita pridem editas: alteram, de identitate reali contractus et sacramenti in matrimonio christiano, alteram de invaliditate anglicanarum ordinationum. Quoad primum, haec habet Pontifex [2]: *Etenim non potest huiusmodi distinctio seu verius distractio* (contractus a sacramento in matrimonio) *probari: cum exploratum sit, in matrimonio christiano, contractum a sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Clarius adhuc, quoad secundum [3]: *Itaque omnibus*

[1] Opusc. IX, art. 16 ad 1[m]. — [2] Encycl. *Arcanum*, 10 Febr., 1880. — [3] Litt. Apost. de ordinationibus anglic. *Apostolicae curae*, Id. Septembris, 1896.

Pontificum decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, aeque plenissime confirmantes ac veluti renovantes, auctoritate Nostra, motu proprio, certa scientia, pronunciamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas, prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

22. — Scholion II. — Quoad Christi in Eucharistia praesentiam, tria distinguenda sunt: primo, dogma ipsum *essentialiter* acceptum, quod credendum est fide divino-catholica; secundo, realis Christi praesentia sacramentaliter in *aliquo* orbis tabernaculo, quod credendum est fide ecclesiastica; tertio, factum de realis praesentia Christi sub *his determinatis* speciebus, quod credendum est fide divino-catholica, subaudita tacita conditione, si hostia sit valide consecrata. *Fides credentis*, ait S. Thomas [1], *non refertur ad has species panis vel illas, sed ad hoc quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis quando recte fuerit consecratum; unde si non sit recte consecratum, fidei non suberit propter hoc falsum.* — Hac in re, subscribere nequimus ei quod scribit aliquis auctor [2], nempe sub conditione quidem de hostia consecrata fidem esse habendam, non tamen sub conditione eam esse adorandam, quasi actus fidei absolutus exigat exclusionem omnis dubii, non vero actus virtutis moralis, qualis est adoratio: eadem quippe est ratio de adoratione, quae est de fide.

23. — Obligatio tenendi ea quae Ecclesia magisterio suo credenda proponit. — Quae cum ita sint, ea quae Ecclesia magisterio suo credenda proponit, citra res revelatas et contentas in verbo Dei scripto vel tradito, unusquisque credere debet, sive illa ad fidem tuendam, sive ad mores conservandos, sive ad cultum Dei promovendum, sive ad errores profligandos, pertineant. Quae autem humana industria cognosci possunt, ab Ecclesia tamen definiuntur, fide quoque tenenda sunt, non tamen per se, verum per accidens, scilicet quoad illos tantummodo, qui ista per se assequi haudquaquam valent ut diximus supra [3].

[1] 2 2ae, Quaest. I, art. 3, ad 4m. — [2] P. H. HURTER, Theol. Dogm. Compend., t. I, n. 666, nota 3. — [3] N. 16, p. 202.

Huc proprie recurrunt verba Angelici Doctoris [1]: *Sicut tenemur credere illud quod est in Sacra Scriptura, ita illud quod est communiter per Ecclesiam determinatum: unde haereticus iudicatur qui sentit contra determinationem Conciliorum.* Ad rem quoque faciunt sequentia verba Pii IX [2]: *Silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam, contendunt illis apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari, absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura.*

Quocirca falluntur qui huiusmodi Ecclesiae definitionibus asserunt assensum deberi non metaphysicum, sed religiosum, eo quod, aiunt, illius officium est invigilare ut evolutio doctrinarum compleatur quiete et sine scandalis: quasi illius decisionibus stare deberemus, non quia veritati innituntur, sed unice quia praxim prudentem et circumstantiis difficilibus accommodam indigitant: quae quidem sententia ad luem modernisticam pertinet.

24. — Quaestio I. — *Quo pacto dicitur Symbolus Apostolorum constare certo numero articulorum?*

Resp. Non ideo dicitur Symbolus Apostolorum constare certo articulorum numero, quasi ii tantum sint articuli fidei; sed quia quae veritates analogam obscuritatem habent per respectum ad intellectum nostrum, quodammodo ad invicem coaptari videntur et ab aliis distingui: unde ubi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi est specialis articulus; ubi autem multa secundum eamdem rationem sunt cognita vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi; sicut alia difficultas menti ingeritur ex hoc quod Deus sit passus, alia ex hoc quod mortuus resurrexerit, unde distinguitur articulus resurrectionis ab articulo passionis: sed quod Christus sit passus, mortuus et sepultus unam eamdemque difficultatem faciunt, ita ut, uno suscepto, difficile non sit alia suscipere; et propter hoc, omnia haec pertinent ad unum articulum [3].

[1] S. Th., Opusc. IX. — [2] Encycl. *Quanta cura*, 8 Dec., 1864. — [3] 2 2ae, Quaest. I, art 6, ad 1um.

25. — Quaest. II. — Utrum articuli fidei convenienter enumerentur?

Resp. Affirmative. Etenim, illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae ducimur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet: occultum divinitatis, cuius visio nos beatos facit, et mysterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus.

Quapropter, prima distinctio credibilium est, quod quaedam pertinent ad maiestatem divinitatis, quaedam vero ad mysterium humanitatis Christi. Circa maiestatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur: *primo*, unitas divinitatis, ad quod pertinet primus articulus; *secundo*, Trinitas personarum; et de hoc sunt tres articuli secundum tres personas; *tertio*, nobis proponuntur opera divinitatis propria; quorum *primum* pertinet ad esse naturae, et sic proponitur nobis articulus creationis; *secundum* ad esse gratiae, et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam; *tertium* ad esse gloriae; et sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, et de vita aeterna: et ita sunt septem articuli ad divinitatem pertinentes. — Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur *septem* articuli: quorum *primus* est de incarnatione, sive de conceptione Christi; *secundus* de nativitate eius ex Virgine; *tertius* de passione eius et morte et sepultura; *quartus* de descensu ad inferos; *quintus* de resurrectione; *sextus* de ascensione; *septimus* de adventu ad iudicium: et sic in universum sunt quatuordecim [1].

Invaluit tamen mos ut Symbolus in duodecim articulos sic distribuatur:

1° *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae*; — 2° *et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum*; — 3° *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; — 4° *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus*; — 5° *descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis*; — 6° *ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*; — 7° *inde venturus est iudicare vivos et mortuos*; —

[1] Ita S. Thomas, fere ad litt., 2 2ae. Quaest. I, art. 8.

8° *credo in Spiritum Sanctum;* — 9° *sanctam Ecclesiam catholicam. Sanctorum communionem ;* — 10° *remissionem peccatorum ;* — 11° *carnis resurrectionem ;* — 12° *vitam aeternam. Amen* [1].

26. — Solvuntur tacitae dubitationes. — Dubitanti cur de Eucharistiae sacramento non assignetur specialis articulus, cum tamen specialem habeat difficultatem, itemque, cum fides sit eorum quae per rationem sciri non valent, cur primus articulus ponatur de hoc quod Deus est unus, quod ratio naturalis cognoscit et a philosophis demonstratur, — *respondetur*, ad primum, in Eucharistiae sacramento duo pensari : unum, in quantum est sacramentum, et sic continetur sub articulo qui est de effectibus gratiae sanctificantis ; secundum, quod corpus Christi illic miraculose exsistit, et hoc ad Dei omnipotentiam pertinet. — Ad alterum dicitur, Deum esse unum philosophos quidem cognovisse ; attamen sub articulo de unitate Dei multa continentur, quae rationem humanam excedunt, ut omnium providentia, omnipotentia, et quod ipse solus sit colendus : circa quae philosophi multipliciter erraverunt [2].

27. — Schema exhibens relationem veritatum supernaturalium ad fidem. — Ut ea omnia quae hucusque disseruimus, de respectu veritatum supernaturalium ad fidem, in unum conspectum claro ordine redigantur, peropportunum iudicamus sequens schema ob oculos lectoris ponere.

Ex huius schematis inspectione facile apparebit, unius eiusdemque fidei multiplices et varios esse adspectus, ad quos ille attendere sedulo debet, qui propositiones in theologia scholastica contentas rite qualificare voluerit : aliae enim sunt de fide, aliae fidei proximae, aliae catholicae, aliae theologice certae, aliae tantummodo probabiles. — Omne tulerit in re dogmatica punctum, qui unicuique propositioni suam affixerit notam, nec in plus excedendo, nec in minus deficiendo.

[1] Cf. pulcrum Opusc. S. Thomae, In Symb. Apost. sc. *Credo in Deum* Expositio. Opusc. VII, al. VI. — [2] S. Thom., 2 2^{ae}, Quaest. I, art. 8, ad 1^{m} et 4^{m}. — De symbolo Apostolorum, legi utiliter poterit egregium opus Ill. Dom. Alexandri Macdonald, The Apostles' Creed, A vindication of the Apostolic Authorship of the Creed London, 1925.


VERITAS SUPERNATURALIS TENERI POTEST
fide
scientia theologica, conclusiones theologicae, deductae citra Ecclesiae auctoritatem.
per se, circa
per accidens, proponente
revelata a Deo, (fides divina)
non revelata, sed proposita ab Ecclesia, (fides ecclesiastica), Ecclesia proponente quae pertinent ad fidem et mores
Deo, (fides divina per accidens), v. gr., praeambula ad fidem, aut decem decalogi praecepta
Ecclesia (fides ecclesiastica per accidens), v. gr., authentia Vulgatae, textus humanae originis, adventus Petri Romam, Pium XI esse legitimum Papam, Concilium Vaticanum esse oecumenicum; aliquam veritatem ab omnibus fidelibus actu teneri.
absolute, (fides divina simpliciter), Obiectum huius fidei sunt omnes revelationes, etiam privatae, sufficienter cognitae, citra Ecclesiae magisterium.
sanciente Ecclesia, (fides divino - catholica) quoad veritates contentas in verbo Dei scripto vel tradito,
formaliter
virtualiter, v. gr., conclusio ex una propositione revelata et alia de ratione, ut Immaculata Conceptio, ex hoc: Inimicitias ponam, etc.
directe, haec sunt: descriptio extensionis inspirationis Sacrae Scripturae; canonizatio SS.; decreta liturgica pro tota Ecclesia; approbatio aut suppressio Ordinis religiosi; declaratio invaliditatis ordinationum anglicanarum, etc.
indirecte, condemnatio errorum per Encyclicas aut Syllabos.
expressis verbis, v. gr., Verbum caro factum est.
aequivalenter, sequentibus modis
1. Definitio in definito.
2. Relativum in correlativo.
3. Singulare in universali.
4. Partes in toto.
5. Conclusio in duabns praemissis de fide.

28. — Quaestio. — *Utrum eadem fuerit fides in veteri et in novo Testamento ?*

Resp. Affirmative; quia etsi plures nunc sint explicitae veritates fidei nostrae propositae, eodem tamen omnino motivo fidei antiqui Patres ad credendum inducebantur, quo modo nos movemur: taliter enim erant illi animo dispositi, ut statim acquievissent, si ulteriores veritates credendae sibi fuissent propositae.

Articulus III. — *Utrum per haeresim detrahat homo assensui fidei.*

1. — Ratio articuli. — Cum ad fidem proprie spectet mentis assensum praebere illis veritatibus, sive a Deo expresse revelatis, sive non, quas Ecclesia, pro suo officio homines supernaturaliter docendi, auctoritative credendas proposuerit, sequitur illum formaliter constitui haereticum, qui talibus veritatibus pertinaciter refragatus fuerit. Quocirca, pronum nunc est ut quid ad haeresim formaliter pertineat, dilucide tradamus.

2. — Quid ad haeresim formaliter pertineat. — Haeresis, graece αἵρεσις, *electionem* significat, quasi scilicet quis eam opinionem sibi eligat, quam meliorem reputet. Hinc de ratione haeresis est quod quis privatam sententiam quasi per electionem propriam sequatur, seposita sententia publica quae divinitus traditur; praeterea, necesse est ut huic sententiae pertinaciter inhaereat, electio quippe importat firmam inhaesionem; ideoque haereticus ille dicitur qui spreta fidei doctrina divinitus tradita, proprium errorem pertinaciter sectatur.

Porro, quantum ad articulos fidei, qui ad fidem principaliter pertinent et per se credendi proponuntur, horum negatio, si pertinacia adsit, facit hominem simpliciter haereticum, cum non possit quis propter simplicitatem excusari, praecipue quantum ad ea de quibus Ecclesia solemnizat, et quae communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, nativitatis Christi, et similia; quantum

autem ad ea quae indirecte pertinent ad fidem, quae non propter se proponuntur credenda, sed ex quorum negatione sequitur aliquid contrarium fidei, scilicet in Sacra Scriptura contineri aliquid falsi, aut Ecclesiam non esse infallibilem, non iudicatur quis haereticus, nisi adeo pertinaciter in sua electione perseveret, quod ab errore non recedat, etiam viso quid ex hoc sequatur [1].

3. — **Adnotandum.** — Advertendum tamen est, quod non solum, inhaerendo falsae sententiae, sed etiam verba inordinata proferendo, haeresis incurritur, in quantum per verba quae quis profert, fidem suam exterius pandit: unde non solum ille naufragium in fide facit qui aliter praesumit exponere Sacram Scripturam, quam Spiritus Sanctus efflagitat, retorquens illius expositionem sensu contrario ei quem Ecclesia proposuit, sed ille quoque qui inordinatis utens sermonibus, falsa ingerit de fidei dogmatibus sententiam [2].

Sic igitur, concludit S. Thomas [3], pertinacia qua quis, directe vel indirecte, contemnit subire iudicium Ecclesiae in his quae sunt fidei, facit hominem haereticum. Talis autem pertinacia procedit ex radice superbiae qua quis praefert sensum proprium sensui totius Ecclesiae. Unde Apostolus dicit [4]: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones et pugnas verborum.*

4. — **Propositiones censura dignae.** — Quod vero spectat ad censuram propositionum, sciendum est, α) alias esse *haereticas*, quae fidem directe impetunt; β) alias *erroneas* et *falsas*, quae receptae veritati opponuntur; γ) alias *haeresi proximas*, *de haeresi suspectas*, *haeresim sapientes*, aut *haeresi faventes*, quae doctrinae cum revelatione connexae quidquam detrahunt; δ) alias *schismaticas*; ε) alias *seditiosas*;

[1] S. Thom., Comment. in Ep. I ad Cor., c. XI, lect. 4. Cf. quod scripsimus in Tract. de SS.ma Trinitate, Quaest. XXXII, art. 4, p. 191. — [2] 2ae, 2, Quaest. XI, art. 2, ad 2m. — [3] Comment. in Ep. 1 ad Cor., loc. cit. — [4] 1 Tim., VI, 3.

ζ) alias *blasphemas* et *impias*; η) alias *scandalosas*; θ) alias *perniciosas*; ι) alias *temerarias*; κ) alias *male sonantes* aut *piarum aurium offensivas*; λ) alias *verbo Dei offensivas*.

5. — **Quaestio I.** — *Utrum ad haeresim pertineat negatio factorum dogmaticorum et censurarum propositionum reprobatarum atque proscriptarum?*

Resp. Affirmative, si quidem sat certitudinaliter constet illa Ecclesiae magisterio, sive solemni, sive ordinario, tanquam ab omnibus credenda, proponi. Hinc enim, ut diximus [1], medium non est inter fidem et rationem, illinc vero distinctio non est ponenda inter fidem divinam et fidem ecclesiasticam in ipsa radice fidei. Attamen dicendum est aliquem non incurrere censuras ecclesiasticas in haereticos latas, nisi accesserit Ecclesiae declaratio, puta, cum dicatur talem propositionem esse haereticam. Cuius rei exemplo sint plures propositiones pseudo-synodi dioecesanae Pistoriensis, a Pio VI per Constitutionem *Auctorem fidei* [2], tanquam haereticae notatae.

6. — **Quaestio II.** — *Utrum peccet quis contra fidem negando aliquam veritatem naturalem?*

Resp. Non solum peccat quis contra fidem, negando aliquam veritatem supernaturalem, quam satis sciat esse a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam, sed etiam negando aliquam veritatem naturalem, qualis est, verbi gratia, immortalitas animae humanae; quatenus nempe negans illam veritatem advertat ex hoc consequi tum Sacram Scripturam fallere posse, tum aliquod dogma expresse impeti. Hoc quippe sensu, Angelicus Doctor dicit haereticum esse, tenere quod anima humana traducatur cum semine [3]: nimirum, ex negata veritate de creatione animae humanae, sequitur illam non esse per se subsistentem, nec proinde immortalem, ideoque sequitur demum errare Scripturam quae ponit animam humanam esse immortalem; negatur etiam hominem assequi posse vitam aeternam: unde talis haeresim formaliter incurreret, et idem dicatur de pluribus similibus, verbi gratia, de creatione rerum ex nihilo, de distinctione mundi a Deo, etc.

[1] Art. praeced., n. 7, p. 195. — [2] 28 Aug., 1794. — [3] 1, Quaest. CXVIII, art. 3.

7. — Quaestio III. — *Utrum ius sit Ecclesiae poenas in haereticos decernendi?*

Resp. Affirmative: sic enim legitur in Iure [1]: *Nativum et proprium Ecclesiae ius est, imdependens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus, tum etiam temporalibus.* — Quam autem opportune haeretici huiusmodi poenis ab Ecclesia compescantur, iam tempore suo adverterat S. Hieronymus, scribens [2]: *Secandae* (sunt) *putridae carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est.*

Et haec quidem hic recoluisse inutile non erit, cum iam videamus viros, falsi nominis scientiae sequaces, caeco velut actos odio erga divinam revelationem, quam Scriptura et Traditione contentam, Ecclesia infallibili sua auctoritate suscipiendam nobis proposuit, plura quae in ea continentur, ut, verbi gratia, de Adae formatione, de originali peccato, de eiectione primi hominis e Paradiso, et generaliter de miraculis tum Veteris, tum Novi Testamenti, praefracte et pertinaciter denegare: quam ob causam, iam videntur institisse tempora illa periculosa, ab Apostolo praenuntiata, cum homines *seipsos amantes, cupidi, alati, superbi.... sine affectione, sine pace* [3], fient reprobi circa fidem, quos proinde unusquisque de propria religione servanda sollicitus devitare curet [4].

8. — Quaestio IV. — *Quandonam quis censuras in haereticos latas incurrit?*

Resp. Cum poenas ferre ad iudicem formaliter pertineat, iuxta cogniti delicti naturam, non possit autem res aliqua naturaliter innotescere, nisi ad forum externum deducatur, hinc poenas haereticus homo non censetur incurrere, nisi eius infidelitas exterius quodammodo manifestetur et comprobetur. Praeterea, quia ad poenas incurrendas contumacia

[1] Can. 2214, § 1. — [2] Comment. sup. Ep. ad Gal., l. III, c. V, t. VII, P. I, col. 489. — [3] 2 Tim., III, 2, seq. — [4] De Ecclesiae potestate poenas temporales haereticis infligendi dicemus infra, p. 222.

requiritur, quatenus quis veritati clare propositae assentiri renuit, ideo dicendum est poenas in haereticos latas non incurri, nisi ab eo qui veritati ab Ecclesia expresse propositae refragetur, et hoc quidem sive illam propositionem solemni magisterio, sive usuali, fieri contingat.

Et hinc quidem ratio assignari potest, cur aliquae veritates, quae utique credi olim debebant fide divino-catholica, postea tamen ab Ecclesia expresse definitae fuerint, cuiusmodi exempla suppetunt in dogmate de Immaculata Conceptione et in alio dogmate de infallibilitate Summi Pontificis. Nimirum, nulli dubium esse potest quin istae duae veritates credi olim debuerint, sicut nunc, fide divino-catholica, cum et in revelatione contineantur, et ab universali Ecclesia semper agnitae fuerint: at, cum veritates huiusmodi nondum ita clare essent propositae, ut omnis prorsus dubitatio excluderetur, hinc Ecclesia partes suas esse duxit eas expresse definire, quo facto, omni dubitatione et disputandi licentia sublata, fidem detractans poenas in haereticos latas evadere amplius non potest.

Re quidem vera, contumax (a *contemno* vel a *contumeo*) dicitur ille qui superbo insolentique animo elatus, contemptu quodam aliis vera dicentibus aut iusta iubentibus cedere detrectat [1]: quod esse nequit, nisi veritas eorum quae proponuntur clare omnino innotescat: unde ad hoc praecise ordinantur Ecclesiae formales definitiones. At, ut diximus, etiam citra huiusmodi expressas definitiones peccare quis contra fidem mortaliter potest, etsi censuras minime incurrat: quando nempe veritati, quam satis scit esse fide sive divino-catholica, sive ecclesiastica, tenendam, contradicit.

9. — Anathematis sanctio — Quia autem mos est Ecclesiae, maxime in Conciliis adunatae, fidei canonibus anathematis comminationem adiicere, hinc non inutiliter hic declarabitur quorsum tam gravis sanctio pertineat.

[1] Ut patet, distinguitur contumacia sic accepta, ab ea quae a iuris consultis respicitur, iuxta quos contumax dicitur qui tribus propositis edictis, vel uno pro tribus, quod peremptorium appellatur, iudicisque litteris evocatus, praesentiam sui facere contemnit.

Anathema, ait Angelicus [1], graeca vox est, composita ex ἀνά, quod est *sursum*, et θέσις, quod est *positio, ut dicatur anathema quasi sursum positum: quia scilicet cum capiebatur aliquid in praeda quod nolebant esse in usu hominum, suspendebant illud in templo: et inolevit usque adhuc ut ea quae sunt separata ab hominum communi usu, anathemata vocarentur.* Per extensionem, anathema ecclesiasticum est nota quaedam, qua quis ab Ecclesiae communione et participatione illius bonorum arcetur.

Attamen falso a quibusdam supponitur, ideo anathematis poenam ab Ecclesia definitionibus fidei adiici, ut discerni possit quid de fide divina, qui de fide ecclesiastica teneri debeat, cum poena haec promiscue feratur in negantes veritates, sive divinitus revelatas, sive ab Ecclesia simpliciter propositas ac definitas.

Sic, verbi gratia, Concilium Tridentinum, sub anathematis poena, susceptionem Vulgatae, quae res ad fidem ecclesiasticam proprie pertinet, proposuit [2]: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, Anathema sit.* Pariter Concilium Vaticanum plures errores ad fidei praeambula pertinentes, sub anathematis comminatione proscripsit [3]. Quinimmo in Bulla Canonizationis Sanctorum et aliis solemnibus definitioribus, solent Summi Pontifices haec verba addere: *Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire voluerit, aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum* [4].

Nimirum, huiusmodi formulis satis evincitur illum utique ad Ecclesiae animam pertinere haudquaquam posse

[1] Comment. in h. locum S. Pauli ad Rom., IX, 3: *Optabam enim ego ipse anathema esse*, etc. — [2] Sess. IV. — [3] Sess. III, Canones. I, de Deo rerum omnium creatore. — [4] Cf. Litt. Apost. *Inter Apostolicis muneris*, de Canoniz. Septem BB. Fundat. Ord. B. M. V., XI kal. Febr., 1888.

qui veritates sive a Deo revelatas, sive ab Ecclesia propositas, sive naturali rationis lumine cognoscibiles, ut sunt praeambula fidei, deneget; minime tamen declaratur cuius formalis rationis sint veritates quae tenendae ita proponuntur.

10. — Quaestio V. — *Utrum haeretici formales, sive publici, sive occulti, pertineant ad corpus Ecclesiae?*

Resp. Dubitandi ratio est quia, hinc quidem huiusmodi haeretici de vita Ecclesiae non participant, cum prima conditio ut quis vivat de vita Ecclesiae sit verae fidei professio: unde aiebat S. Ioannes Apostolus [1]: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum;* illinc tamen, cum haeretici legibus Ecclesiae formaliter subiecti maneant, ideo dicendum videtur eos aliquo modo ad Ecclesiam adhuc pertinere. — Quae cum ita sint, proposito quaesito aliqui quidem, ut Suarez, negative, alii autem, ut Bellarminus, affirmative responderunt.

Ad hoc dirimendum, sciendum est pluribus modis posse aliquem pertinere ad corpus Ecclesiae. Nimirum, cum in Ecclesia tria sint attendenda, scilicet, magisterium, sacerdotium et iurisdictio, quae omnia ex Christi voluntate, in una Pontificis Romani persona coalescunt, potest esse quod quis ad corpus Ecclesiae ex hisce tribus capitibus pertineat, vel tantummodo ex uno aut ex altero. Et quidem illi qui verae fidei professione capiti coniunguntur, pertinent ad corpus Ecclesiae secundum magisterii, sacerdotii et iurisdictionis dependentiam; illi vero qui occulte haeresim profitentur, etsi in magisterio non conveniant, conveniunt tamen in hoc quod et sacramentorum participes esse possunt, et Ecclesiae iurisdictioni subduntur; denique, illi qui haeresim publice profitentur, sacramentorum communione privantur, cum sint excommunicati, attamen non cessant pertinere ad Ecclesiae iurisdictionem, cum baptismatis indelebilem characterem habeant, quo praecise homo incorporatur Christo et fit membrum Ecclesiae.

11. — Scholion. — Concludendum ergo, omnes illos qui baptismum susceperunt, ad Ecclesiam pertinere, sed diversis

[1] 1 Ep., II, 19.

rationibus: nam, vel cum baptismo gratiam habent, et sic perfectissime ad corpus Ecclesiae pertinent, cum vivant etiam de vita eius, seu ad eius quoque animam pertineant; vel gratia destituti, fidem tamen catholicam ore et corde retinent, et sic ad corpus tantum pertinent, secundum triplicem supra positam subiectionem; vel fidem ore retinentes, corde abiiciunt, et tunc nonnisi imperfecte ad corpus Ecclesiae pertinent, scilicet secundum subiectionem sacerdotii et iurisdictionis; denique si fidem ore quoque negaverint, tunc abiiciuntur a sacerdotii communione, et solum iurisdictionis nexu ad Ecclesiae corpus pertinent eique subiiciuntur.

12. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti verba Domini nostri [1]: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*, respondetur, similitudinem inter ethnicum et excommunicatum per omnia non currere, quod etiam significatur particula *tanquam*, quae analogam tantum similitudinem significat: huic enim character baptismalis inest, quo ille caret; unde Ecclesia haereticum hominem non totaliter recidit a suo corpore, cuius signum est quod *qui semel est excommunicatus, potest ulterius excommunicari*, ut ait S. Thomas [2]: quinimmo, nec etiamsi vellet, illum totaliter excludere posset. — Nec est paritas cum societate civili quae noxium hominem a se interdum penitus abiicit: Ecclesia vero tunc solum cessat de suo filio curam habere quando de hoc saeculo cum peccato mortali discedit [3]. — Quocirca, concludendum est cum S. Thoma [4]: *Quia character baptismalis, quo quis populo Dei adnumeratur, est indelebilis, ideo semper remanet baptizatus* (excommunicatus) *aliquo modo de Ecclesia.*

13. — Corollarium. — Ex his constat quid tenendum sit de diu vexata quaestione, possitne Summus Pontifex esse haereticus occultus: cui profecto affirmative respondendum est, cum Summi Pontificis officium, ut est Caput Ecclesiae, consistat formaliter in hoc quod fidelibus veritatem

[1] Matth., XVIII, 17. — [2] Supplem., Quaest. XXII, art. 6. — [3] 3, Quaest. VIII, art. 3. — [4] Supplem., l. c. ad 1[m].

revelatam tradat, non quidem secundum quod est privata persona, sed prouti ex cathedra pastoris et doctoris officio fungitur; plenitudo autem iurisdictionis in ipso independens est ab hoc quod veram fidem interne profiteatur, necne.

Quinimmo, absolute loquendo, negari nequit, fieri posse ut Summus Pontifex, utique tanquam persona privata ac privatus doctor, sit haereticus publicus, cum hoc formaliter non praeiudicaret infallibilitatis muneri quo gaudet tanquam caput Ecclesiae; aliunde, excommunicatio in Summum Pontificem cadere nequit, cum non habeat superiorem se qui talem possit in eum sententiam ferre [1]. Quod autem attinet ad privationem iurisdictionis, quae ob peccatum infidelitatis, aliquando incurri potest, advertendum est hanc esse rem iuris ecclesiastici, e contra Papae iurisdictionem iuris esse divini, quod nullo modo valet praetermitti [2].

Advertendum tamen est, divina hoc Providentia nunquam permissum fuisse, ut Summus Pontifex in haeresim publice et formaliter inciderit: quinimmo, haec est omnibus Summis Pontificibus debita laus, eos sese iugiter invictos exhibuisse, et quidem usque ad sanguinis effusionem, fidei catholicae testes et defensores. Ab eis quoque haec laus ad Romanam usque Ecclesiam derivata est, cuius fides nullo unquam errore commaculata fuit, et quae sancti Petri doctrinae iugiter inhaesit in immutabilitate fidei catholicae [3].

14. — **Quaestio VI.** — *Utrum liceat catholico viro, ad haereticorum scripta, pro rebus fidei penitius cognoscendis, recurrere?*

Resp. Utique fas erit viro catholico illis uti historicis documentis, quae sinceris haereticorum studiis fors prodiere, at solum tanquam materialibus elementis; minime vero cuique licitum erit eas amplecti conclusiones, quas illi ex suis falsis

[1] S. Thom., Supplem., Quaest. XXII, art. 4. — [2] Cf. Can. 2264. — [3] Hac praecise de causa, Romae antiquitus fidei symbolum in Missa solemni non canebatur, ut S. Henrico, de hac re miranti, declaratum est: mos autem symbolum ibimet canendi nonnisi regnante Benedicto VIII (1012-1024) introductum est. Cf. Baron., ann. 447, n. XXIV.

principiis haurire contendunt: cum, deficiente in eis fidei luce, sub qua documenta illa formaliter inspici debent, nequeant multi gravesque errores non irrepere. Quapropter, longe abest a veritate illa aliquorum positio, dicentium aequaliter universae Ecclesiae prodesse profectum catholicorum virorum, et profectum haereticorum, quasi minime attendendum sit ex quonam fonte profectus ille proveniat; nec minus sapienter concludunt liberum omnibus patere debere accessum elucubrationibus haereticorum auctorum, in rebus ad religionem spectantibus aeque ac in scientiarum naturalium investigationibus, cum e contra, Ecclesia saepe filios suos monuerit ne sinant puritatem suae fidei adulteratis haereticorum doctrinis corrumpi.

15. — **Quaestio VII.** — *Utrum haeretici nati poenas in haereticos latas incurrant?*

Resp. Dubitandi motivum desumitur ex hoc quod nulla videtur in iure inducta distinctio inter eos qui propria electione haeresi adhaerent, et eos qui in haeresi, id est, ex parentibus haereticis, nati sunt. — At vero, cum ad haereticorum poenas incurrendas requiratur tum culpa mortalis [1], tum contumacia, seu obstinatio in proprio delicto [2], ista autem duo elementa desint in haereticis natis, saltem quousque haereseos, in qua versantur, naturam et gravitatem ignorent eique voluntarie adhaereant, hinc dicendi sunt praedictas poenas minime incurrere: unde et participes fiunt communium suffragiorum Ecclesiae, cum excommunicatio sit separatio a communione Ecclesiae quoad fructum et suffragia generalia [3]. — Ceterum, cum excommunicatio in parvulos ferri non possit, dici non potest hominem, hoc ipso quod ex parentibus haereticis nascatur, hanc poenam incurrere; sed nec cum pervenit ad usum rationis, eamdem incurrit, nisi haeresim rati habeat, quod esse nequit, sine illius cognitione et formali susceptione.

16. — **Solvuntur tacitae obiectiones.** — Nec valet obiici, in tantum parvulos, ex parentibus haereticis natos, haere-

[1] Supplem., Quaest. XXIII, art. 5. — [2] Supra, n. 8, p. 214. — [3] Supplem., Quaest. XXI, art. 1.

sim incurrere, in quantum isti ad corpus iam formaliter condemnatum, puta, ad protestantismum, pertinet: nam, ut advertit S. Thomas [1], nunquam tota communitas excommunicari debet, quia cum actus peccati non sit communitatis, sed singularium personarum, et non sit probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes, hinc tota communitas excommunicari non debet, licet singuli possint excommunicari. — Nec est paritas de peccato originali, quod ad omnes de genere humano, vel parvulos, transit: mam per illud tota massa humana, nullo homine excepto, inficitur.

17. — **Scholion.** — Ex hoc tamen perperam inferret quis, posse protestantes, in bona fide versantes, lucrari indulgentias, si solum in gratia Dei versentur et opera praescripta perficiant: nam, ut iterum verbis S. Thomae utamur, sicut totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis, ita possunt homines, etiam sine culpa sua in haeresi versantes, a sacramentis Ecclesiae arceri [2], et consequenter a participatione quorumdam sacramentalium [3], necnon indulgentiarum, et temporalium beneficiorum. Hoc tamen non obstat quin Papa, si velit, harum rerum haereticos, in bona fide existentes, participes efficiat. Sic invenitur Leo XIII indulgentiam Anglis, sine religionis distinctione, concessisse [4]. — Porro, quod diximus de haereticis, aeque valet et pro schismaticis.

18. — **Confirmatur.** — Potest huius rei ulterior ratio reddi ex differentia quae intercedit inter hominem natum ex parentibus formaliter ad sectam acatholicam pertinentibus, et hominem natum ex parentibus aut incredulis aut haereticis, sed nulli sectae constitutae adhaerentibus. Nempe prior, quia in ecclesia, verae Christi Ecclesiae opposita, iuridice inscriptus, huius bonis plene frui non potest, etsi

[1] Loco ante prox. cit. — [2] Can. 731, § 2. — [3] Benedictiones permittuntur in Iure acatholicis impertiri. Can. 1149. Cf. Can. 2275, 2°. — [4] Ep. Apost. Ad Anglos, *Amantissimae voluntatis*, 14 apr., 1895. Acta Leonis XIII, vol. XV, p. 154.

clam forsan eidem cordi adhaereat, et sic plura bona inde percipiat; alter vero, quia Ecclesiae Catholicae authentice et regulariter aggregatus, omnibus illius iuribus, donis et privilegiis gaudet, etsi eius parentes, ob propriam malitiam, illis priventur.

19. — **Quaestio VIII.** — *Utrum Ecclesiae ius insit temporalibus poenis haereticos coercendi ?*

Resp. Affirmative, ut resultat ex canone supra citato [1], et ipso naturae ordine comprobatur, quo non solum individuis, sed etiam legitime constitutis societatibus ius conceditur media necessaria ad sui conservationem adhibendi. Atqui Ecclesia non solum est legitime constituta societas, sed etiam perfecta et indipendens existit, cui nihil deesse debet eorum quae ad sui conservationem necessaria sunt. Quocirca doctrina est insigniorum theologorum, et maxime S. Thomae [2], Ecclesiam iure suo usam fuisse, cum haereticos, per erroris disseminatiomem, saluti animarum et suae ipsius existentiae insidiantibus poenis etiam gravissimis compescuerit [3].

[1] Supra, p. 214, n. 7. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. X, art. 8; Quaest. XI, art. 3; quam doctrinam malae fidei ac perversi homines foede nuper deturparunt. Vide quod scripsimus in opusc. n., θαυμαστή Μεταμόρφωσις, Romae, 1910. Cf. in h. l. Comment. P. Thomae Pègues, O. P., in hunc locum Summae. P. X, pp. 263, seq. — [3] Cf. Card. Billot, Tract. de Ecclesia Christi. t. II, *De habitudine Ecclesiae ad civilem societatem*, Prati, 1910, p. 117. — *Ogni legittima società*, scribit Al. Taparelli, S. I., in op. Saggio teoretico di Dritto Naturale appoggiato sul fatto (Livorno, 1845, p. 501), *ha natural diritto ai mezzi necessarii di conservazione dell'ordine: or in ogni società indipendente, anche spirituale, mezzo moralmente necessario è il poter coattivo materiale. Dunque anche la Chiesa, società indipendente spirituale.* - Vide de hac re Denzinger - B., nn. 469, 499, 640, 682, 1724, etc. Legi utiliter poterit Monsabré. Expos. du Dogme Cath., Conf. LVIII, *La répression dans l'Eglise*. Cf. etiam Janvier, *Exposition de la Morale Catholique*, Carême, 1 Avril 1912, p. 19; Marianus De Luca, S. I., Institutiones Iuris eccles. publici, Vol. I, p. 142. Romae, 1901; P. Ieronimo Montes, Prof. de derecho penal en el P. Colegio de Estudios superiores del Escorial. El crimen de herejia (Derecho penal Canónico). Madrid. Núnez Semper M. 1919. Cf. Civiltà Cattolica, 21 Febbr., 1920, p. 351. Cf. infra, p. 239, egregia verba Card. Newman.

20. — Solvuntur tacitae obiectiones. — Nec valet dici, Ecclesiam, quia est spiritualis societas, armis tantum spiritualibus uti posse; nam, utique hisce quidem utitur; at, ubi minime sufficiunt, ad poenas temporales convolare potest, quoties id suae conservationi aut filiorum suorum defensioni necessarium fuerit. — Sed et valde mirandum est aliquos, praeiactam thesim eatenus impugnare, quatenus, aiunt, Ecclesiae commissa est cura de salute individuorum membrorum: Ecclesia enim, sicut omnis bene regulata societas, primo et per se bonum commune respicit, et, hoc mediante, bonum individuorum: quod principium tantae est evidentiae et tam frequentis applicationis in tota theologia et in iure canonico et civili, ut vix intelligamus quomodo impugnari valeat.

Ceterum, hac in re, sicut in omni alio argumento ad fidem moresque pertinente, attendendum praeprimis est ad Ecclesiae consuetudinem quae, ait Angelicus, in omnibus semper est aemulanda [1] et quam incriminari velle piaculum est. Igitur, bene fecit Ecclesia, si unquam vel summas haereticis poenas decernendas voluerit, et similiter bene fecit, quando eisdem misericorditer pepercit.

21. — Ecclesiae agendi ratio cum iis qui in haeresi nati sunt. — At, cum loquimur de poenis haereseos culpae debiti, de quibusnam haereticis est sermo? Profecto de iis solis qui tales per propriam electionem facti sunt, quod numquam esse potest sine culpa gravi, cum infidelitas inter peccata graviora iure meritoque computetur. Insuper, non consideramus haereticos occultos, sed publicos tantum, et quidem tales qui ipsa sua apostasia vel directe vel indirecte fidei aliorum insidiantur.

Enimvero, si de iis agatur qui in haeresi nati sunt, quis non videat eos maiore longe commiseratione dignos, quam caecis a nativitate, claudis aut surdis ex utero matris debeatur? Quos niti debemus, oratione, verbo et opere, si fieri possit, ad gremium Ecclesiae, quae est salutis arca, revocare. Quocirca non solum invincibili patientia expectandum

[1] 2 2ae, Quaest. X, art. 12.

est, si forte Deus illorum oculos adaperiat, sed etiam magna caritate, prudentia comite, satagendum, ut ad caenam nuptiarum Agni, in vera illius Ecclesia, ingrediantur, saluberrima gratiae pascua, sacramentorum ope, reportaturi. Quod a Sanctis unquam praestitum fuisse videmus, maxime a Petro Canisio et Francisco Salesio, qui in exemplum proponi possunt iis omnibus quos Dominus vocavit ad laborandum in vinea sua in locis protestantium vel infidelium. Quae agendi ratio eo vel magis observanda est quod, ut experientia testatur, haud raro videmus, inter eos qui in protestantica religione nati sunt, non deesse quibus timor Dei alte menti defixus manet, et qui longum temporis intervallum sine peccato mortali vitam traducunt, caritatis operibus et divino servitio intenti: quae omnia profecto gratiam sanctificantem supponunt; qua de causa ad animam Ecclesiae huiusmodi pertinere dicendi sunt; qui et de illius corpore erunt, sacramentorumque participes efficientur, mox ac catholicam fidem fuerint amplexi. Et sane, agnoscenda est Dei infinita benignitas et misericordia, qui iis etiam, quos ex infidelibus parentibus, in infideli regione, inter adversas circumstantias, nasci vult, gratiam suam non denegat, sed abundantem impertitur; cui si corresponderint, nequit esse quin ad plenam veritatis cognitionem usque perveniant, sicut Cornelio Centurioni olim concessum legimus [1], et de die in diem evenire sub oculis nostris videmus, Deo ita ordinante ad divitias gratiae suae hominibus manifestandas. Hos igitur Ecclesia catholica compatienti prosequitur affectu, adhuc longe positos invitat et urget ut ad sinum suum revertantur, reversos materno fovet amore. Cuius rei eloquentissimum prostat exemplum in peramante illo patre, qui filium prodigum ad se reversum benignissime suscepit, stolam primam induit et ad participationem bonorum suorum restituit [2].

[1] Act., X, 4-8. — [2] Luc., XV, 22.

APPENDIX

DE FIDE ECCLESIASTICA.

1. — Iuvat iis, quae supra de fide ecclesiastica disseruimus [1], nonnulla, maioris claritatis gratia, adiicere, ex optimo opere R. P. Marín-Sola excerpta [2], quibus uberius ostendetur, contra recentiores quosdam auctores, habitum fidei sic denominatae ecclesiasticae, ne latum quidem unguem a fide divina differre.

2. — Imprimis, ipsa huius fidei novellitas eam suspectam facit. Equidem, si per fidem ecclesiasticam, fidem universae Ecclesiae designetur, idem omnino erit ac fides divina, quam tota profitetur Christi Ecclesia: quo sensu eam plures antiqui scriptores eam nominant, ut, puta S. Hilarius [3] et Guitmundus [4].

At vero, quatenus nomen hoc adhibitum fuit ad significandam fidem formaliter distinctam a fide divina, certe recens ei omnino videbitur, qui recoluerit formulam hanc originem duxisse circa medietatem saeculi decimi septimi, scilicet ex iansenianorum sophismatibus, dum ipsi valorem discuterent condemnationis ab Innocentio X in quinque Iansenii propositiones latae [5]. Nimirum, cum Parisiensis praesul, de Marca, asseruisset definitioni factorum dogmaticorum, quae dogmatis substantiam respiciunt, fidei divinae assensum deberi, iam citatus Harduinus de Péréfixe, ut silentium, uti putabat, iansenistis imponeret, advertens hic agi de definitione Ecclesiae, assensum eidem dandum edixit fide, non

[1] Art. 2, nn. 7, 17, pp. 195, 201. — [2] L'Evolution homogène du Dogme catholique, t. I, nn. 230, seq. Paris, 1924. — [3] L. IX de Trin., c. 19. — [4] L. III De corporis et sanguinis Chisti veritate in Eucharistia, n. 47. — [5] 31 Maii, 1653. D.-B., nn. 1092, seq.

divina, sed humana et ecclesiastica: quam sententiam sorbonicensium doctorum plures ultro suscepere [1].

3. — Quod autem ad rem ipsam pertinet, sententiae de Péréfixe praeierat Ludovicus Molina, cum decreverit per habitum theologicum, non per fidem divinam, nos assentiri conclusionibus ab Ecclesia definitis [2], quasi videlicet huiusmodi assensus medium quid existat inter fidem divinam et assensum rationis [3].

4. — Contra huiusmodi sententias, statuit auctor quem laudavimus, et hoc quidem, ut ait, cohaerenter principiis S. Thomae, primo quidem, ea quae deducuntur ex immediate revelatis, esse et ipsa realiter revelata; pariter, divinam esse auctoritatem quae ista revelat, sive haec sint doctrinae aut facta; consequenter, fidem ecclesiasticam, qua hisce definitionibus adhaeremus, non distingui, nisi secundum accidens, ab assensu praestito definitionibus formaliter revelatis; tandem, fidem ecclesiasticam esse ipsammet fidem divinam, minime autem fidem humanam aut intermediariam [4]: ad quas quidem conclusiones nosipsi, re diu et profunde perpensa, iam ante perveneramus [5].

[1] Cf. H. Tournely, De Ecclesia Christi, Quaest. V, art. 5. — [2] Comment. in 1 D. Thomae partem, Quaest. I, art. 2. — [3] Alios auctores, qui in hanc sententiam deflexerunt, vide apud laudatum P. Marín-Sola, l. c. — [4] *Notre opinion, ou plutôt notre profonde conviction basée sur la doctrine de saint Thomas, c'est d'abord que le révélé médiat est réellement révélé; ensuite que l'autorité qui le définit, doctrines au faits, est réellement divine: partant, que la foi ecclésiastique accordée à ces définitions ne se distingue qu'accidentellement de l'adhésion aux définitions du révélé formel; bref, enfin, que* LA FOI ECCLÉSIASTIQUE EST UNE FOI DIVINE, *et non pas humaine ni intermédiaire.* Op. cit., P. I, p. 423. — [5] De stabilitate et progressu Dogmatis, pp. 32, 33.

QUAESTIO QUARTA.

DE IMMUTABILITATE SACRAE DOCTRINAE SEU DOGMATIS CATHOLICI.

Prologus.

1. — Ratio Quaestionis. — Cum iam egerimus de natura et extensione sacrae Doctrinae, de authentico fonte ex quo illam derivari novimus, necnon de ratione ad illius cognitionem tuto perveniendi, pronum modo est ut tum de illius immutabilitate, tum de illo progressu qui cum immutabilitate perfecte cohaeret, quaestiones ordinatim instituamus. Et primum quidem hic, alterum vero in subsequenti quaestione pertractabimus. — Ubi contentio nostra est maxime cum modernisticis auctoribus qui, recenti tempore, fidem subvertere nisi sunt, cum fingerent dogma catholicum mutationi esse subiectum: unde docuerunt illud, vel in se, vel in sui extensione, vel saltem in sui interpretatione, esse iugi evolutioni pervium.

2. — Ordo quaestionis. — Re quidem vera, omnis mutatio, circa dogma catholicum fingi potest, vel in ipso dogmate (1-3), vel in eius interpretatione (4). In se autem, dogma catholicum potest considerari vel secundum suam substantiam (1), vel secundum suam extensionem (2-3), attentis scilicet tum authenticis revelationis testibus (2), tum horum testium limite (3).



Quapropter quatuor hic erunt investiganda.

Primo. Utrum admitti possit intrinseca mutatio in dogmate catholico.

Secundo. Utrum ad Apostolos pertinuerit munus suscipiendi, recognoscendi atque tradendi revelationis depositum.

Tertio. Utrum per mortem Apostolorum, prophetia, quae ad divinam revelationem pertinet, fuerit clausa.

Quarto. Utrum exspectare liceat, sive ex scientiis naturalibus, sive ex elaboratione conscientiae christianae, novam quamdam interpretationem traditae revelationis.

Articulus I. — *Utrum admitti possit intrinseca mutatio in dogmate catholico.*

1. — **Immutabilitas veritatis divinae.** — Cum dogma catholicum aliud non sit, nisi quaaedam impressio veritatis primae, quae est veritas divini intellectus, ideo ut sciatur utrum aliqua mutatio in illo admitti possit, necesse est imprimis declarare quid de veritatis mutabilitate vel immutabilitate decerni generaliter debeat. Est autem veritas conformitas rei et intellectus: et haec quidem in nobis mutabilis est, cum multa subterfugiant intellectum nostrum, et multiplicem patiamur opinionum alternationem: unde in nobis veritas mutatur, tum quando, intellectu nostro praeconceptae opinioni adhaerente, res ipsa mutatur, tum viceversa, quando re ipsa immutata manente, variatur opinio intellectus nostri.

Hoc autem de Deo dicere est impossibile, quem nihil subterfugere potest, qui est ipsemet plenissima lux, et a quo omne quod est aut esse utcumque potest essentialiter pendet. Quod S. Augustinus pulcre exprimit cum, de divina veritate loquens, ait quod aequalis non est menti nostrae, secus *mutabilis etiam ipsa esset* [1]. Qui iterum scribit [2]: *Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc mundo, qui profecto corporeus est et sensibilis, et ad Deum, id est. veritatem quae intellectu et interiore mente capitur, quae semper manet,*

[1] L. II de Lib. Arbitr., c. 12. n. 34, t. I, col. 600. Ven., 1729. — [2] L. LXXXIII, Qq., q. XVI, t. I, col. 4.

et eiusdem modi est, quae non habet imaginem falsi a qua discerni non possit, tota alacritate converti. Rursusque [1]: *Est quaedam origo fonsque virtutis; est quaedam radix sapientiae; est quaedam, ut ita dicam,... regio incommutabilis veritatis. Ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur. Accedite ad eam et illuminamini, quia recedendo tenebramini.*

2. — Aeternitas divinae veritatis. — Porro, quia illud quod omnino immutabile est, aeternum sit oportet, cum aeternitas aliud non sit nisi mensura durationis rei a vicissitudinibus mutationum prorsus liberae, hinc et veritas divini intellectus non ortum habuit in tempore, non occasum unquam est habitura. Quapropter id de divina veritate decernendum venit, quod idem S. Augustinus de numeris edisserebat [2]: *Septem autem et tria decem sunt, et non solum nunc, sed etiam semper: neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem* [3].

Iamvero, cum dogma catholicum aliud non sit, nisi externa manifestatio veritatis divinae homini facta in ordine ad vitam aeternam, hinc iam apparet ipsum, non secus ac divinam veritatem, immutabile et aeternum praedicari debere: sed et idipsum de religione catholica asserendum est, quae in aeterna et immutabili veritate fundatur, quam proinde erronee prorsus quis dixerit debere se accommodare crescentibus necessitatibus humani generis. Sane talis accommodatio subversiva est ipsius Ecclesiae constitutionis: unde merito damnata est a Pio IX sequens propositio [4]: *Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.* — At de hac intrinseca dogmatis immutabilitate uberius nunc disserendum venit.

3. — Num possibilis sit mutatio intrinseca, seu evolutio dogmatis catholici? — At, nonne idipsum de catholico dog-

[1] In Ps. LVIII, 1, n. 18, t. IV p. 567. — [2] L. II de Lib. Arbitr., c. 8, p. 594. — [3] Cf. S. Thom., 1. Quaest. XVI, art. 7, 8. — [4] Syllabus Proposit., etc., prop. LXXX.

mate dicere licebit, quod de quocumque vivente experientia docet, illud videlicet, iuxta suam ad circumstantias, in quibus versatur, adaptationem, progressum in se internamque evolutionem pati, ita ut ab inferiori gradu paulatim ad superiores vitae manifestationes ascendat? Sane, arguet quis, aliud non est dogma catholicum, nisi Dei sermo, quem Apostolus *vivum et efficacem nominat* [1]; aliunde notum est, vitam esse continuam quamdam adaptationem aut correspontiam internorum dispositionum subiecti viventis ad dispositiones circumstantiarum in quibus versatur: quemadmodum vita hominis musici consistit in adaptatione eiusdem ad rythmicos concentus, vita pictoris in correspondentia ad artis picturae regulas: quinimmo, tanto perfectior habetur vita, quanto plenior talis adaptatio et consequenter permutatio viventis verificatur. Ergo dogma catholicum, cum de vita hominis quodammodo participet, iugi intrinsecae mutationi subiectum sit oportet.

4. — **Refutatur praedicta sententia.** — At, contra, sedulo advertendum venit, primo, nonnisi per analogiam, dogma catholicum vocari rem vivam: quandoquidem sermo Dei vivus dicitur, non quod ipse vivat, sed quod illum audientes faciat vivere. — Deinde falsissimus est ille, ad quem appellant, vitae conceptus, qui a Bain et Spencer traditus, utique logica vi, ad extremum evolutionismum latam pandit ianuam. Non enim potest vita in illa adaptatione, quae mera relatio est, consistere; nam cum relatio accidens sit, accidens autem possit esse et abesse salva rei substantia, si vita revera in illa correspondentia sita esset, posset utique abesse, salva manente viventis substantia, et sic esset vivens simul et non vivens [2]. Igitur perperam omnino, ex hoc capite, introducitur in dogmate catholico, aut in ipsa Dei veritate, mutatio aut mutabilitas qualiscumque.

Ubi satis mirari haud possumus catholicos existere scriptores, qui dimidiate tantum sanam philosophiam excolentes,

[1] Hebr., IV, 12 — [2] Genuinum et catholicum vitae conceptum require apud S. Thomam, 1, Quaest. XVIII, art. 1.

evolutionismum substantialem admittunt in rebus homine inferioribus, sperantes se, ob hanc timidam concessionem, gratiam forsan apud fidei hostes inventuros. At sive quis evolutionismum ad hominem usque protendat, sive illum ad inferiores species coarctet, semel tantum admisso evolutionismi principio, religionis christianae et dogmatis catholici stabilitatem et immutabilitatem periculo exponat oportet.

5. — Dogmatis evolutio iuxta Loisy. — Recentioribus temporibus, infelicissimus vir, Alfredus Loisy, a suprapositio vitae conceptu exorsus [1], et Spenceriani evolutionismi lethalibus principiis imbutus, ingratum munus sibi assumpsit, illa principia ad catholica dogmata extendendi et applicandi; quo factum est, ut purissimas et sanctissimas fidei nostrae veritates foede labefactaverit, imo funditus everterit.

Igitur, cum ille, ex magistro Spencer, didicisset hominem primitivum seu praehistoricum, ut aiunt, ex sylvestri et rudiori physica structura, paulatim surrexisse ad perfectiorem et magis complexum organismum, audivissetque profectum intellectus proportionabiliter sequi debere corporis evolutionem, petulanter deduxit, hunc mentis progressum illuc finaliter tendere, ut homo proprio marte sua sibi dogmata effingat, quae postea Ecclesia catholica suscipit ac tuetur: quae quidem dogmata aliud non sunt, nisi perceptio et expressio relationum quibus homines ad Deitatem referuntur [2].

Quae si ita revera sint, mirandum profecto non est, si intrinsecus progressus in Ecclesiae constitutione et in dogmate catholico reperiri debeat: imo mirari deberemus

[1] (La vie), scribit ille, *est un mouvement et un effort continuels d'adaptation à des conditions perpétuellement variables et nouvelles. Le christianisme n'a pas échappé à cette loi*, etc. L'Evangile et l'Eglise, p. 112, Paris, 1902. — [2] *Pour peu qu'on y réfléchisse et quelles que soient les circonstances extérieures auxquelles se sont rattachés l'éveil et les progrès de la connaissance religieuse dans l'homme, ce qu'on appelle révélation n'a pu être que la conscience acquise par l'homme de son rapport avec Dieu.* Autour d'un petit livre, p. 195. Paris, 1902

si secus esset, cum revera ipsa vitalis forma dogmatis exigat, ut mutationibus sibi succedentibus subiiciatur, iuxta quod circumstantiarum necessitates postulaverint [1].

6. — Conceptus dogmatis catholici iuxta Ad. Harnack. — Exprimi vix verbis potest quot fuerint, qui falsis huius subtilis evolutionismi imaginibus decepti, praefata deliramenta amplexati sint; ex quibus unusquisque pro proprii ingenii capacitate, aliquid praecedentium somniis addere conatus est. Inter eos autem qui haec deliramenta secuti sunt eaque ad systematis rationem redigere conati sunt, emergit protestanticus vir Adulphus Harnack qui, in pluribus editis libris contendit religionem christianam, qualem videlicet auspicatus est Christus, nonnisi labente saeculo secundo factam fuisse catholicam; ita ut cum praecatholica esset, libera esset ab omni dogmatis cultusque forma servanda, necnon ab omni mediatione cuiuscumque creaturae inter Deum et hominem, sive haec ponatur angelica sive humana; qui etiam omnem miraculosam interventionem reiicit; unde iuxta ipsum, religio proprie christiana tota versatur circa conceptum monotheisticum moralem, quo Deus intelligitur gubernare caelum et terram, simul iudex, pater et redemptor [2].

[1] *Reprocher à l'Eglise catholique tout le développement de sa constitution, c'est donc lui reprocher d'avoir vécu, ce qui pourtant ne laisserait pas d'être indispensable à l'Evangile même. Nulle part, dans son histoire, il n'y a solution de continuité, création absolue d'un régime nouveau; mais chaque progrès se déduit de ce qui a précédé, de telle sorte que l'on peut remonter du régime actuel de la papauté jusqu'au régime évangélique autour de Jésus, si différents qu'ils soient l'un de l'autre, sans rencontrer de révolution qui ait changé avec violence le gouvernement de la société chrétienne. En même temps, chaque progrès s'explique par une nécessité de fait qui s'accompagne de nécessités logiques, en sorte que l'historien ne peut pas dire que l'ensemble de ce mouvement soit en dehors de l'Evangile. Le fait est qu'il en procède et qu'il le continue.* L'Evangile et l'Eglise, p. 110. Paris, 1902. Eaedem perversae doctrinae confirmantur et clarius explicantur ab eodem Loisy, in alio Opusc., Autour d'un petit livre. — [2] Libri in quibus suum systema exponit A. Harnack sunt: *Das Wesen des Christentums Lehrbuch der Dogmengeschichte*, in 3 Bän-

7. — Quid iuxta modernistas sit revelatio. — Ex hisce placitis, simul coagitatis et compositis, resultat dogma catholicum non esse externam Dei revelantis manifestationem, sed potius intimum intellectus uniuscuiusque conamen, utique variationibus obnoxium, eo expresse directum, ut homo conceptibus et verbis sensum suum religiosum, id est, suas ad Deum relationes, exprimat.

Quocirca, in hac sententia, revelatio non esset manifestatio quarumdam veritatum a Deo homini facta, nec fides esset assensus intellectus hisce veritatibus praestitus, movente voluntate; sed revelatio esset quaedam nova immanens de Deo conceptio, ab ipso intellectu, necessitate cogente, interius elaborata et expressa, et fides de dogmatibus esset sensus religiosus inde secutus. Quia autem novae istae conceptiones ab intellectu productae huc finaliter tendunt, ut relationes hominis ad Deum inter se ordinent et regulent, hinc tum revelationis, tum fidei, et consequenter dogmatis catholici valor non esset ullo modo speculativus, sed practicus, seu, ut aiunt, pragmaticus. Scilicet, in tantum novae immanentes de Deitate perceptiones probari et suscipi possunt, in quantum quidquam commodi et utilitatis vitae moraliter transigendae conferant: secus penitus erunt abiiciendae. — Huc facit sequens proposito a Pio X condemnata: *Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, id est, tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi* [1].

Quid inde sequitur, nisi ut omnino tolli e medio debeant catholici dogmatis unitas, infallibilitas, immutabilitas? — Unitas, quia si dogma sit perceptio relationum ethicarum hominis ad Deum, tot esse debebunt dogmatis formae, quot sunt subiecta illas relationes percipientia; infallibilitas, quia intellectus perceptio, quae ponitur norma huiusmodi ethi-

---

den; *Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten; Der erste Klemensbrief*, eine Studie zur Bestimmung des Characters des ältesten Heidenchristentums. Sitzunsberichte der Königlich-preussichen Akademie der Wissenchften., 1909.

[1] Prop. 26 in Decr. *Lamentabili*. Cf. Encycl. PASCENDI DOMINICI GREGIS.

carum relationum, errori subiecta est; immutabilitas, si enim fidei obiectum aliud non est nisi expressio perceptionum intellectus humani, illud immutari omnino necesse est, iuxta mentis humanae, qua nil certe volubilius est, proprias mutationes.

Miserrimas consequentias ex permutatione dogmatis in Ecclesia derivandas pulcre describit S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio. *Si novitia veteribus*, ait [1], *extranea domesticis et profana sacratis admisceri coeperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil inlibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castae et incorruptae sacrarium veritatis.*

8. — PROP. — **Nulla intrinseca mutatio seu evolutio dogmatis catholici potest admitti.**

9. — **Ecclesiae hac super re declarationes.** — Ad suprapositas arbitrarias commentitiasque opinationes refellendas, et simul ad immutabilitatem dogmatis catholici stabiliendam, iuverit praeprimis tutissimam simul et firmissimam referre doctrinam Ecclesiae catholicae, quae cum sit ipsamet *columna et firmamentum veritatis* [2], nil antiquius semper habuit, quam ut stabilitatem dogmatis catholici contra novatores vindicaret, et cuius doctrinae summa aliud non est, nisi, sub aliis verbis, authentica expositio eius quod Christus, Patrem allocutus, dixit olim [3]: *Sermo tuus veritas est.*

Et primo quidem loco, celebris est haec propositio a Pio IX in Syllabo damnata [4]: *Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.* Quam sententiam idem Pius IX iamdiu censura notaverat, dicens [5]: *Divinae revela-*

[1] C. XXVI. Notari hic poterit, perperam a recentibus scriptoribus ea quae ad fidem catholicam pertinent sub nomine *cogitationis christianae* (*la pensée chrétienne*) passim designari: non enim idem est cogitatio et doctrina: illa quid subiectivum est; haec obiectivam veritatem designat. — [2] 1 Tim., III, 15. — [3] Io., XVII, 17. — [4] Prop. V — [5] Lit. Encycl., 9 Nov., 1846.

tionis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat.

Similia omnino sunt quae habentur in elencho propositionum a Pio X proscriptarum, in quo haec legimus [1]: *Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.* Sane qui hoc edicunt docent quoque [2], *constitutionem organicam Ecclesiae non esse immutabilem; sed societatem christianam perpetuae evolutioni, aeque ac societatem humanam, esse obnoxiam.*

Quapropter non erubescunt asserere, *praecipuos articulos synodi apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habuisse, quam habent pro christianis nostri temporis* [3]; Ecclesiam quoque carpunt quod, ut aiunt, *sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis, quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt* [4]; unde petulanter concludunt [5]: *Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de creatione, de revelatione, de persona Verbi Incarnati, de redemptione.*

10. — Ostenditur prop. — Imprimis, advertendum est, esse de ipso revelationis conceptu ut de foris adveniat, quatenus intellectus qui de se impar sit alicui veritati cognoscendae, indiget ut ab aliquo superiori magistro instruatur et quasi manu ducatur, ad altiora cognoscibilia capessenda.

Quod ut probe intelligatur, recolendum est, esse aliqua vera, quae captum humanae mentis essentialiter superant, unde nonnisi Deo revelante cognosci utcumque possunt: huiusmodi sunt proprie dicta mysteria fidei [6]; alia vero, etsi hu-

[1] Decret. *Lamentabili*, 3 Iul., 1907. Prop. 58. — [2] Ibid., Prop. 53. — [3] Ibid., Prop. 62. — [4] Ibid., Prop. 63. — [5] Ibid., Prop. 64. Explorare per se ipse diligens lector poterit, quam accurate eadem falsa opinamenta, longiori sermone, ab eodem Pio X exponantur et refellantur, in Encyclica, *Pascendi Dominici gregis*. — [6] Cf. supra, Quaest. I, art. 1, n. 13, seq., p. 50.

mani intellectus proportionem non excedunt, utiliter tamen a Deo fuerunt revelata, quia homo sibi relictus nonnisi difficulter, post longum tempus, et non sine errorum admixtione, illas veritates proprio marte assequi potuisset. Sic magnopere Deo debitores sumus quod plura nobis de seipso, plura quoque ad philosophiam et ad mores pertinentia, quae utique, absolute loquendo, homo per se cognoscere potuisset, ultro revelaverit [1].

At, sive nomine revelationis intelligantur mysteria proprie dicta, sive veritates ordinis naturalis a Deo nobis manifestatae, semper verum est illam essentialiter de foris venire; unde repugnat revelationem esse effectum internae elaborationis animi, aut posse succedentibus vicissitudinibus huius multiplicis elaborationis utcumque subiici.

11. — **Immutabilitas speciorum substantialium.** — Ubi utiliter quoque, quasi ad hominem arguendo, adiici poterit generalis consideratio de specierum substantiali invariabilitate; cum ipsa revelatio christiana, in sua specifica unitate considerata, analogice comparari possit alicui determinatae speciei. — Cui rei conficiendae iuverit praeprimis illud Angelici Doctoris recolere, quo figmentum de specierum evolutione radicitus excludit. *Inest unicuique*, ait ille [2], *naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conserraretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res quae est in inferiori gradu naturae potest appetere superioris naturae gradum, sicut asinus non appetit esse equus: quia, si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset. Sed in hoc imaginatio decipitur: quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia, quae possunt crescere absque corruptione subiecti, aestimatur quod possit appetere altiorem gradum naturae, in quem pervenire non posset, nisi esse desineret.* — Quod autem de homine et de rebus viventibus hic dicitur, proportionaliter de

[1] Adverti sedulo debet, revelationem veritatum naturalium esse proprie dictum miraculum, non autem revelationem veritatum formaliter supernaturalium. Vide Tract. II. DE GRATIA, p. 21. — [2] 1, Quaest LXIII, art. 3.

dogmate catholico dici potest, etsi, ut animadversum est, dogma proprie res vivens non est [1].

12. — Haec immutabilitas progressioni non officit. — Ne quis autem reputet hanc, quam defendimus, immutabilitatem dogmatis, omnem cuivis progressui aditum praecludere, utiliter monebitur lector, rem potius e contrario se habere, quatenus ipsamet ratio omnis illius evolutionis, quam in dogmatis manifestatione, saeculorum decursu, obtinuisse inferius declarabimus [2], in essentiali immobilitate eiusdem dogmatis sit ultimo repetenda.

Sane, non est ulla, etiam ex naturalibus scientiis, quae immobilibus principiis non innitatur, et motus omnis ab immobili puncto proficiscatur oportet: sic quippe physica scientia, quam plus ceteris progressam fuisse cernimus, immutabilibus legibus regitur; sic pariter rota circa axem immobilem volvitur, nec pedem unum movere possumus, nisi altero immobiliter humi defixo.

Quae cum ita sint, si quod postea, in dogmatis manifestatione, augmentum, si qua evolutio erit agnoscenda, tota illius augmenti seu evolutionis ratio praecise ex immutabilitate principiorum fidei nostrae erit ultimo repetenda, quemadmodum ex axiomatum immutabilitate pendit omnis scientiarum humanarum evolutio.

13. — Scholion. — Si haec prae mente retineantur, ad oculum patebit, quam erronee posuerint recentiores plurimi, debere symbolum fidei haberi tanquam rem viventem, crescentem, flexibilem, quo modo vivit, crescit et movetur communitas ipsa christiana: quapropter fidei symbolus unus esset, non quidem unitate logica veritatum, sed cohaesione diversarum manifestationum atque variarum necessitatum [3]. Haec sane notio symboli christiani directe pugnat cum unitate, aeternitate ac immutabilitate veritatis divinae.

[1] Cf. Card. Ludov. Billot, S. I., in opusc., De immutabilitate traditionis. Romae, 1907. C. VI, de cumulo errorum in systemate fidei viventis, p. 138. — [2] In seq. quaest. — [3] Haec fusius exposita inveniuntur in op. G. Tyrrell, *Through Scylla and Charybdis*, cc. VIII, XI.

14. — Quomodo progressus in fidei doctrina sit intelligendus. — Quae cum ita sint, si, in doctrina fidei, aliquis quidem progressus erit admittendus, hic certe non erit per evolutionem quoad substantiam novorum dogmatum intelligendus, sed quoad maiorem aut clariorem eorumdem dogmatum explicationem: ex quo pronum est ut inferatur, sacrae doctrinae evolutionem sensu omnino homogeneo, minime vero heterogeneo, sustineri [1].

Cuius rei proprium exemplum esto cognitionis evolutio ex quibusdam intellectualibus seminibus, velut principiis universalibus, ex quibus, velut scientiarum seminariis, omnis postea cognitio evolvitur. — *Principium* (naturalis cognitionis) ait S. Thomas [2], *est in quadam confusa cognitione omnium: prout scilicet homini naturaliter inest cognitio universalium principiorum, in quibus, sicut in quibusdam seminibus, virtute praeexistunt omnia scibilia quae ratione naturali cognosci possunt. Sed huius cognitionis terminus est quando ea quae virtute in ipsis principiis sunt, explicantur in actum; sicut cum ex semine animalis, in quo virtute praeexistunt omnia membra animalis, producitur animal, habens distincta et perfecta omnia membra, dicitur esse terminus generationis animalis:...* unde, cum prima principia sint quasi virtutes seminales cognitionis, hinc concludit S. Thomas [3]: *Quidquid seminaliter vel virtualiter erat in primis principiis rationis, totum erat explicitum secundum perfectam cognitionem.* Expressius adhuc [4]: *Potentia intellectiva, cum sit collativa, ex quibusdam in alia devenit; unde non se habet aequaliter ad omnia intelligibilia cognoscenda; sed statim quaedam videt, ut quae sunt per se nota, in quibus implicite continentur quaedam alia quae intelligere non potest, nisi per officium rationis, ea quae in principiis implicite continentur explicando.*

15. — Corollarium. — Quae cum ita sint, veritates quae, sive a Deo, per prophetas, sive ab Ecclesia, in suis definitionibus, homini, temporis decursu, credendae propositae sunt, haberi non debent tanquam independentes superad-

[1] Cf. Marín-Sola, t. I, p. 24. — [2] De Veritate, Quaest. XVIII, art. 4. — [3] Ibid. — [4] Ibid., Quaest. XI, art. 1, ad 12[m].

ditae accessiones, quibus fidei depositum ditescat et augeatur, sed tanquam novae quaedam statutorum principiorum manifestationes, virtualiter quidem in illis inclusae, et opera Spiritus Sancti, cooperante humano ingenio, opportune manifestatae, in aedificationem fidei et salutem animarum. — Quod quidem plenius explicabitur, cum de dogmatis catholici progressu sermo fiet [1], ubi etiam discutientur exempla desumpta ex fermento, semine et puero [2].

[1] Quaest. V, art. 1. — [2] Vix credibile est quantum res ista mentem occupaverit celebris Card. Newman, tum ante, tum post eius ad Ecclesiam catholicam conversionem. Iuvat citare sequentia verba ex eius epistola ad Ioannem Acton excerpta (19 Iul. 1862): *As to development of doctrine and action in the Church I should hold Vincentius's account of it, who compares it to bodily growth « ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam antea* LATITAVERIT », *and says it is a false development « si humana species in aliquam deinceps* NON SUI GENERIS *vertatur effigiem ». Canon Law, of which you speak, is not a development in « materia fidei » — still, it is a development-viz. in doctrine, as involved in action and conduct. I am not a Canonist; but I consider, and think I should be able to show it, if I were, that the enactment and decisions of ecclesiastical law are made on principles and by virtue of prerogatives, which « iam antea latitavere » in the Church of the Apostles and Fathers. To take the instance of the « physical punishment of heretics », which you refer to, and to confine myself to Scripture. Is not the miraculous infliction of judgments upon blasphemy, lying, profaneness &c. in the Apostles' day a sanction of infliction upon the same by a human hand in the times of the Inquisition? I think it is. Yet on the other hand such infliction is not enjoined, and, in our Lord's words about Elias's bringing fire from heaven, is discouraged. That is, ecclesiastical rulers* MAY *punish with the sword, if they can, and if it is* EXPEDIENT, *or* NECESSARY *to do so. ... I hold, till better instructed, that the Church has a right to make laws and to enforce them with temporal punishments... But whether such exercise of her powers is suitable to all times and places, is surely answered in the negative by the fact of her concordats, which involve an engagement not to use her full powers in particular states.* Life of Card. Newman by Wilfrid Ward, Vol. I, App., p. 639.

Articulus II. — *Utrum ad Apostolos pertinuerit munus suscipiendi, recognoscendi atque tradendi revelationis depositum.*

1. — Quid per revelationis depositum hic intelligatur. — Ad rectam huius quaesiti intelligentiam, recolendum est, ad prophetiam revelationis pertinere, ut dictum est, tum id quod Deus per se, scilicet in Scriptura aut Traditione, tum id quod per Ecclesiam nobis authentice manifestavit, ut sunt facta dogmatica, quae fide, non secus ac priori modo revelata, tenenda esse ostendimus [1]. Distinctio tamen est, quia prioris generis revelata ad omne tempus et hominum genus extenduntur, eisque nil novi addi potest; secundi autem generis revelata non semper et ab omnibus credenda proposita sunt, et additamenta patiuntur pro temporum et personarum circumstantiis. Sic semper et ab omnibus credenda fuit trinitas personarum in Deo; at, nonnisi in Conciliis Florentino et Tridentino sancitus est canon Scripturae, sicut etiam temporum decursu celebrantur Sanctorum canonizationes.

Ulterius adnotandum est, revelata priori modo omnino independentia esse ab Ecclesiae sanctione, cum a Deo immediate prodierint; quae vero Ecclesia credenda proposuerit, a revelatione omnino dependent, ad quam ordinantur, tanquam illius amplior explicatio. Quocirca, si quando Ecclesia nobis aliqua de novo credenda proposuerit, haec erunt citra, nunquam contra, aut supra revelationem priori modo acceptam.

Quae cum ita sint, de revelatione priori modo, hic et duobus sequentibus articulis, formaliter agemus: nempe vult quaeri, utrum quae veritates in ea continentur, ita sint Apostolorum auctoritate sancitae, ut ad eos solos, sive fuerint a Christo Domino singillatim vocati, sive a Spiritu Sancto specialiter electi, pertinuerit munus authentice et formaliter transmittendi ad Ecclesiam depositum huiusmodi veritatum revelatarum.

[1] Supra, Quaest. III, art. 2, n. 7, p. 195; n. 17, p. 201.

2. — Sententia modernistica. — Instituitur haec quaestio contra recentes quosdam auctores, qui edixerunt extendendum esse hoc munus ad illos quoque, ex priscis discipulis, quos in Novo Testamento passim legimus designatos sub nomine apostolorum vel prophetarum, quales fuerunt, exempli gratia, Epaphroditus, quem S. Paulus vocat *fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum* [1], Andronicus et Iunias, quos dicit *cognatos et concaptivos meos,... nobiles in apostolis* [2]; Simon vocatus Niger, Lucius Cyrenensis et Manahen, Herodis Tetrarchae collactaneus, quos S. Lucas una cum Paulo et Barnaba, recenset inter prophetas et doctores qui erant in Ecclesia antiochena [3]; demum illi quibus S. Paulus generaliter alludit, cum ait [4]: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas.*

3. — Distinctio praemittenda circa nomina apostolus et propheta. — Ad hanc quaestionem rite solvendam, primo loco advertendum est, nomen hoc, *apostolus*, sicut etiam nomen *propheta*, non univoce, sed analogice passim accipi in Scripturis, scilicet cum significatione partim eadem, partim diversa.

Et primo quidem, quod ad nomen *apostolus* attinet, sciendum est illud, a graeco ἀποστέλλω, quod est *mitto*, derivatum, significare *nuntium*, seu *missum*; quo sensu Athenis graeci dixerunt ἀπόστολον πλοῖον, *novem onerariam*, in expeditionem profecturam, et per extensionem apostoli dicti sunt magistratus illi, quibus munus erat classem recte atque ordinatim curare et instruere. Quocirca, apostolus in Sacra Scriptura est nomen officii, sicut propheta et angelus, et designat personam a Christo missam, vel melius post-missam, ἀπόστέλλω, id est post Christum et maxime post eius resurrectionem; et potest usurpari nomen hoc sive in stricto sensu, sive secundum latam vocis acceptionem, fundatam scilicet in aliqua proportione significationis.

Similiter, nomen istud, *propheta*, non uno modo sumitur,

[1] Phil., II, 25. — [2] Rom., XVI, 7. — [3] Act., XIII, I. — [4] 1 Cor., XII, 28; Cf. Eph., IV, 11.

cum multiplex possit esse obiectum prophetiae, multiplex quoque prophetandi modus, ut dictum est; quin et interdum de daemonum prophetis sermo recurrit.

Porro, diligenter scrutanti Scripturas, clarissime appareret, alias esse personas quibus nomen *apostolus* in propriissima significatione tribuitur, alias quibus hoc nomen secundum quid tantummodo competit [1], et illis quidem solis munus apostolatus, quod maxime consistit in officio infallibiliter agnoscendi et tradendi ea quae ad fidem pertinent, fuisse a Christo Domino commissum. — Pariter, non una eademque ratione prophetae extiterunt omnes illi quos sub hoc nomine Scriptura recenset. Agimus autem hic de prophetia authentica et publica, non qualis uni alterive personae privatae sit facta, sed quam Deus ad totius generis humani bonum ordinaverit.

4. — PROP. — **Ad Apostolos, eosque solos, in nova Lege, concreditum est munus authenticam revelationem suscipiendi, recognoscendi atque tradendi.**

5. — **Exponitur.** — Ut rite intelligatur quaenam sint illae personae quibus competerit munus authentice suscipiendi, tradendi et agnoscendi divinam revelationem, necesse est ad ipsum Sacrae Scripturae textum recurrere; ex cuius accurata discussione apparebit, primo quidem infallibilitatis privilegium, relate ad susceptionem, recognitionem et traditionem revelationis, sancto Petro a Christo Domino fuisse collatum; secundo, in partem huius privilegii vocatos fuisse alios undecim Apostolos a Christo immediate vocatos; tertio, ab hoc privilegio alios quoscumque esse excludendos, praeter sanctos Matthiam, Paulum et probabiliter Barnabam, quos Spiritus Sanctus, sive immediate sive mediate, elegit; quarto demum, hoc privilegium ad Apostolorum successores non fuisse transmissum: quae omnia nunc ordinatim exponemus.

[1] Ad hanc distinctionem minime pertinet, ut volunt aliqui, locus iste S. Pauli (2 Cor., XI, 5): *Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis apostolis.* Cf. 2 Cor., XII, 11.

6. — Infallibilitatis privilegium S. Petro collatum, relate ad susceptionem et traditionem revelationis propheticae. — Et primum quidem, scilicet S. Petro collatum fuisse privilegium infallibilitatis in ordine ad susceptionem, agnitionem et transmissionem revelationis, evidentissime eruitur ex verbis Christi Domini [1]: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* — Circa quod advertendum est, beatitudinem proprie in cognitione consistere. Duplex autem est cognitio: una quae est per naturalem rationem, altera quae est supra rationem. Et prior quidem, cum imperfecta sit, hominem plene beatum facere nequit, unde desiderium insatiatum relinquit; altera vero hominem perfectissime beatificat: inchoative quidem in hac vita, completive vero in altera vita. Sed cognitionem quae hominem ad hanc beatitudinem ducat, homo per se adipisci nequit; unde declarat Christus hanc Petro obvenisse, non opera carnis et sanguinis, id est humana exercitatione aut magistrorum carnalium instructione vel Iudaeorum traditione, sed ipso Patre, utique essentialiter accepto pro tribus personis, id ei revelante [2].

Idipsum evidentius apparet, consideranti Christi verba immediate subsequentia [3]: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* quibus verbis Dominus Noster simul Petro remunerationem decernit ob praeviam splendidam fidei confessionem, qua videlicet Christum agnoverat Filium Dei vivi, et statuit quisnam fuerit finis revelationis eidem Petro a Patre concessae, qui nempe fuit ut ille, una cum Christo, fundamentum esset Ecclesiae, cuius quidem fundamenti ratio in doctrinae firmitate reponenda est: Ecclesia enim est *columna et firmamentum veritatis* [4], proprietas autem petrae est quod ponatur in fundamento eique det firmitatem: quod sibi vult, Petro a Domino Nostro collatam fuisse illam in docendo infallibilitatem, quam ipsemet a Patre, una cum divina natura, a tota aeternitate acceperat.

[1] Matth., XVI, 17. — [2] Cf. S. Thom., comment. in h. l. S. Matthaei — [3] Ibid., 18. — [4] 1 Tim., III, 15.

7. — Communicatio huius privilegii Apostolis facta. — At num uni Petro privilegium istud collatum a Christo fuit? Minime gentium: siquidem eiusdem privilegii participes fuerunt et alii undecim Apostoli a Christo Domino specialiter electi, ut sacrum Textum diligenter consideranti patet.

Ad quod breviter conficiendum, sat erit attendisse quomodo de duodecim Apostolis collectim sumptis singularis mentio passim fiat, et quidem relate ad munus depositum revelationis agnoscendi, sanciendi et transmittendi. Ubi primo loco citari possunt sequentia Apocalypseos verba [1]: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Nimirum, fundamenta hic duodecim Apostoli dicuntur; quia catholicam fidem primo praedicare debebant et in ea totum mundum fundare, tamquam ex munere sibi specialiter commisso; qui etiam antea [2] dicti sunt *portae*, et quidem ad quatuor puncta cardinalia versae, per quas scilicet totus mundus ad veritatem revelatam intrare debet.

Haec autem electio duodecim Apostolorum ad speciale munus tradendi, definiendi et transmittendi revelationem a Christo factam, evidentius manifestatur ex ipsa narratione vocationis eorumdem. Sane, legimus quod Dominus Noster, *ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum, et fecit ut essent duodecim cum illo: et ut mitteret eos praedicare* [3]. Et iterum [4]: *Cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* — Ex quibus verbis duo apertissime deduci debent: primum, dari, ex mente et institutione Christi, realem distinctionem inter duodecim Apostolos et ceteros discipulos, quocumque tandem illi nomine vocentur, scilicet etiamsi interdum appellentur et ipsi apostoli; secundum, duodecim ad hoc specialiter a Christo electos fuisse, ut praedicarent, non utcumque, sed tamquam ex officio existentes testes veritatis revelatae.

[1] XI, 14. — [2] Vers. 13. — [3] Marc., III, 13, 14. — [4] Luc., VI, 13. Cf. Matth., X, 1; Luc., IX, 1.

8. — Scholion. — Non immerito a quibusdam sacris scriptoribus duodecim Apostoli praefigurati fuisse censentur α) in duodecim filiis Iacob, per quos obumbrabatur futura eorum auctoritas [1]; β) in duodecim fontibus Elim, per quos obumbrabatur futura eorum praedicatio [2]; γ) in duodecim lapidibus in rationali Summi Sacerdotis, per quos obumbrabatur eorum sanctitas [3]; δ) in duodecim panibus propositionis, per quos obumbrabatur spiritualis cibus ab eis praebendus [4]; ε) in duodecim lapidibus de alveo Iordanis iussu Iosue sumptis, per quos obumbrabatur eorum constantia [5]; ζ) in duodecim bobus mare fusile sustinentibus, per quos obumbrabatur eorum vis unitatis [6].

9. — Triplex munus apostolis concreditum. — Quodnam autem fuerit munus illud Apostolis sic a Christo specialiter electis, uno Iuda ob praevaricationem ab hoc munere excidente, concreditum, ab Evangelista Matthaeo diligentissime recensetur. Scilicet, *accedens Iesus, locutus est* (undecim) *dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* [7].

Ad hunc celeberrimum locum rite intelligendum, advertendum est diversas partes quae in eo ponuntur, non una ratione debere accipi, sed diversa, pro diversitate rerum in ipso contentarum. Siquidem, cum Dominus Noster praemisisset obtestationem illius excellentissimae potestatis, quam secundum humanitatem a Patre acceperat, vi cuius et suos Apostolos multiplici virtute induere poterat, mox tria profert sedulo distinguenda, scilicet secundum distinctionem eorum trium quae ad vitam christiano more traducendam et ad salutem aeternam comparandam requiruntur: nimirum, primo loco, eos constituit authenticos custodes depositi revelationis: *Euntes ergo docete omnes gentes;* secundo, eis

[1] Gen., XXXV, 22. — [2] Exod., XV, 27. — [3] Exod., XXVIII, 17. — [4] Exod, XXV, 30. — [5] Ios., IV, 3. — [6] 2 Par., IV, 4. — [7] Matth., XXVIII, 18, seq.

mandat ut sacramenta, quorum baptismus ianua est, administrent: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* tertio, eisdem munus committit ea quae ad mores pertinent fideliter tradendi: *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis;* denique, tamquam solemnem confirmationem huius triplicis muneris, scilicet fidem propagandi et custodiendi, sacramenta administrandi et mores componendi, Dominus noster promissionem adiicit perpetuae adsistentiae: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Porro, cum tria ista munera ad bonum Ecclesiae essentialiter pertineant, ideoque quodammodo in ea perdurare debeant usque ad finem mundi, cum tamen, ex alia parte, Christi verba ad solos undecim facta fuerint, quaerendum nunc est quidnam illud sit, in quo Apostoli praestent tum ceteris discipulis ad quos Christi verba facta non sunt, tum suis successoribus, nempe episcopis legitime electis.

10. — Differentia inter Apostolos et ceteros discipulos, necnon episcopos. — Sane, tum ad discipulos generaliter, tum ad Apostolorum successores pertinere debuit quodammodo triplex munus fidem propagandi, sacramenta administrandi, mores componendi, in quantum nempe haec tria iugiter necessaria sunt ad vitam Ecclesiae et ad salutem hominum obtinendam; sed quoniam tria haec rite consistere nequeunt, nisi prius probe stabilitum maneat depositum revelationis, eiusque extensio, et quasi dixerim, confinia accurate determinata, necesse fuit ut speciale quoddam munus selectis Apostolis committeretur, scilicet tradendi veritatem revelatam eamque propria auctoritate sanciendi. Unde S. Paulus, divinitus et ipse Collegio apostolico, ut infra dicetur, adnumeratus, expresse testabatur [1]: *Nos ipsi*, id est Apostoli Christi proprie dicti, *primitias Spiritus habentes*, id est, abundantiorem gratiam apostolatus sortiti sumus, in ordine ad praedicationem veritatis revelatae.

Igitur, quia Christi Ecclesia in veritate et sanctitate erat fundanda, hinc fuit ut illi, quos eiusdem Ecclesiae fun-

[1] Rom., VIII, 23.

damenta Christus specialiter elegerat, pignus Spiritus Sancti tali modo acciperent, ut et in decernendo canone revelationis errare nullo modo possent, et ipsimet a sanctitate vitae nequirent deficere, seu ut essent simul infallibiles et impeccabiles: quarum tamen praerogativarum nec ceteri discipuli, nec ipsi Apostolorum successores, excepto uno Petri successore quantum ad infallibilitatem, ut mox dicetur, participes extiterunt, cum iam in Christo et in Apostolis, tanquam in uno continuato fundamento, Ecclesiae veritas et sanctitas consecratae in perpetuum essent [1].

11. — **Descensus Spiritus Sancti in Apostolos.** — Quod autem explicatio, quam modo dedimus, secundum quam dicitur Apostolis, eisque solis, munus demandatum divinitus fuisse revelationis depositum tradendi, eiusque confinia authentice declarandi et definiendi, sit veritati conformis et omnino retinenda, evidenter apparet ex diligenti consideratione eorum quae circa descensum Spiritus Sancti in eosdem Apostolos narrantur in Actibus. Siquitem, etsi in illa narratione, discipuli interdum cum Apostolis recenseantur, tamen tam specialis et expressa fit de Apostolis mentio in connexione cum privilegio cognoscendi et munere praedicandi veritatem revelatam, ut etiam ex ipsa littera sacri Textus deduci debeat aliquid omnino singulare in hoc respectu fuisse solis Apostolis divinitus collatum.

Et imprimis, cum duo discipuli Emmaus, cognito iam Christo in fractione panis, in Hierusalem essent regressi, et invenissent congregatos undecim et eos qui cum illis erant [2], repente Iesus stetit in medio eorum, et cum manducasset coram eis, *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* [3], praedicens eos futuros esse testes eorum quae fecerat [4], et addens: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* [5]; et expressius adhuc: *Quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies* [6]; et rursus [7]: *Accipietis virtutem superve-*

[1] Cf. Conc. Trid., Sess. XXIII, de Reform., c. 10. — [2] Luc., XXIV, 33. — [3] Ibid., 45. — [4] Ibid. 48. — [5] Luc., XXIV, 49. — [6] Act., I 5. — [7] Ibid., 8.

nientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, etc.

At, quandonam haec Christi promissio adimplenda erat? Non ante eius ascensionem, siquidem apud Ioannem legimus [1]: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, quasi ad testificandum quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, cum ab ipso donetur seu mittatur.

Igitur, Christo iam in caelum conscenso, videmus Spiritum Sanctum sacro Pentecostes die Apostolis dari: qua autem ratione, nunc investigandum est. Et primo quidem, sedulo advertit sacer Scriptor, undecim Apostolos, recensito singulorum nomine, in caenaculo adfuisse: *Et cum introissent in caenaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Ioannes, Iacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Iacobus Alphaei et Simon Zelotes, et Iudas Iacobi* [2]. Nimirum, tacitis aliorum discipulorum nominibus, praeterquam gloriosae et immaculatae Deiparae Mariae, quae est Apostolorum Regina, soli undecim expresse nominantur.

At scriptum erat divinitus ut sacer duodenarius numerus relate ad apostolicum collegium conservaretur, et sic ut unus ex discipulis eligeretur, episcopatum praevaricatoris Iudae accepturus: num expectandum erit, pro ista electione facienda, usquedum Spiritus Sanctus iam datus sit? Minime gentium: siquidem cum ille futurus esset testis resurrectionis Domini aequa lance cum undecim [3], et accepturus locum ministerii apostolici proprie dicti [4], ideo necesse erat ut prius eligeretur, quam promissus Spiritus Sanctus adveniret, ut sic eamdem gratiam acciperet quam undecim accepturi erant; quapropter, datis sortibus, *cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis* [5].

12. — Gratia Spiritus Sancti duodecim Apostolis communicata. — Restituto igitur integro numero Collegii apostolici, videamus modo, quonam pacto duodecim fundamentis Ecclesiae gratia Spiritus Sancti communicata sit. Utique, adveniente Pentecostes die, adunatis Apostolis cum fratri-

[1] VII, 39. — [2] Act., I, 13. — [3] Ibid., 22. — [4] Ibid., 25. — [5] Ibid., 26.

bus, numero circiter centum viginti [1], indifferenter visae sunt dispertitae linguae, tanquam ignis, sedere supra singulos eorum [2], et quoad apparentiam, similiter repleti sunt omnes Spiritu Sancto [3]: at, effectu subsequente deduci debet alio modo duodecim Apostolos, alio ceteros discipulos Spiritum Sanctum accepisse: mox enim videmus illos, eosque solos, speciali docendi, tamquam ex cathedra, munere fungentes.

Primo enim, Iudaeis admirantibus quod Apostoli omnium loquerentur linguis, et eos musto plenos esse calumniantibus, en Petrus, non cum qualibuscumque ex discipulis, sed cum undecim, stat, levatque vocem suam [4], et praemissa, ex prophetia Ioëlis, solemni apologia relate ad munus revelationem tradendi, quale ipsemet et undecim acceperant, insigne resurrectionis Christi testimonium profert. Quod autem ita intellexerint ii ad quos apostolica praedicatio fiebat, evidentissime ex ipso sacro Textu eruitur; legimus enim [5]: *His auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?* Et appositi semel ad gratiam fidei, *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus* [6].

En qualis iam erat, inde ab exordio nascentis Ecclesiae, fidelium existimatio de doctrinali auctoritate sacri Collegii apostolici; quae quidem auctoritas non in praedicationis officio consistere poterat, cum hoc officium natura sua pluribus communicari deberet, sed in formali munere authentice declarandi, definiendi et transmittendi id quod praedicari debebat, seu revelationis depositum.

13. — **Confirmatur.** — Sed quid egemus de hac re longiorem texere sermonem, cum ubique in libro Actuum Apostolorum testimonia recurrant, quibus evincitur ad hos supremos fidei iudices, sive collectim, sive singillatim sumptos, ius et officium pertinuisse revelationem tradendi et sanciendi? Nonne, cum de electione septem diaconorum agere-

[1] Ibid., 15. — [2] Ibid., II, 3. — [3] Ibid., 4. — [4] Ibid., 14. — [5] Ibid., 37. — [6] Ibid., 42.

tur, duodecim illi fuerunt qui multitudinem discipulorum ad hunc finem convocarunt? Nonne, cum Antiochiae orta seditio esset propter Iudaeos, volentes gentes ad Deum conversas circumcidi, rem dirimendam proposuerunt duo Apostoli, Petrus et Iacobus? Nonne saepius Apostoli protestantur se esse testes, quasi κατ' ἐξοχήν, resurrectionis Christi et omnium quae fecerat? Cui rei si attendissent modernistici auctores quos impugnamus, num tam temerario ausu unanimem theologorum doctrinam in dubium vertissent, excludentium a charismate apostolatus, alios quoscumque, praeter duodecim cum Paulo et Barnaba, de quibus inferius agemus? Sane, res semper est aleae plena, receptam in Ecclesia doctrinam inconsulta praecipitatione aggredi.

14. — **Scholion.** — Cavendum hic monemus ab aliquorum errore, in tantum doctrinam Apostolorum extollentium, ut et ipsos angelos ab eis edoctos fuisse dixerint, cum angeli, utpote hominibus superiores, ab his de rebus divinis numquam illuminentur; aliunde verba S. Pauli [1]: *Ut innotescat Principatibus et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* aliud non significant, nisi quod dum per Apostolos impleta sunt mysteria Christi et Ecclesiae, aliqua angelis apparuerunt de huiusmodi mysteriis, quae antea erant eis occulta: non enim angeli futura cognoscunt nisi dum ea actu eveniunt [2].

15. — **Infallibilitas solis Petri successoribus concessa.** — Quia autem saepius Apostolorum successores nominavimus, hinc sedulo advertendum est, non idem iudicium proferri debere de successore S. Petri, et de successoribus aliorum Apostolorum. Equidem, cum Apostolorum morte, revelationis depositum, sensu explicato [3], maneat clausum, sequitur infallibilitatem, sicubi in Ecclesia reperiatur, respicere non posse susceptionem veritatis quae sit supra aut contra receptam revelationem; sed tantum eiusdem explicationem, aut etiam conservationem sacri depositi et praeservationem eiusdem a quacumque erroris contaminatione: impeccabi-

[1] Eph., III, 10. — [2] Cf. S. Thom., 1, Quaest. CXVII, art. 2, ad 1[m]. — [3] Cf. supra, n. 1, p. 236.

litas autem erat praerogativa omnino personalis, Apostolis ob suam intimam cum Christo coniunctionem collata.

Sed et quod attinet ad infallibilitatem in deposito fidei conservando, advertendum est Dominum Nostrum potuisse, absolute loquendo, illam omnibus et singulis Apostolorum successoribus conferre: at, ad unitatem Ecclesiae magis magisque adserendam, illam unius Petri successoribus contulit, ut evidenter constat ex verbis [1]: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sane haec verba referri non possunt ad ceteros Apostolos, qui cum infallibiles essent, non indigebant confirmatione ministerio sancti Petri; ne ergo dicantur huiusmodi verba incassum fuisse prolata, referri debent ad aliorum Apostolorum successores, nempe ad Episcopos, quo Petrus in persona suorum successorum, nempe Romanorum Pontificum confirmare in fide, usque ad temporum consummationem, debebat.

16. — **Episcopi sunt successores Apostolorum.** — Attamen, licet singuli episcopi impeccabilitatis et infallibilitatis apostolicae heredes non sint, nihilosecius vere dicendi sunt Apostolorum successores: inde damnata nuper est sequens propositio [2]: *Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam.*

Sane, expressius quid pro significanda continuatione officii apostolici in persona episcoporum desiderari non posset, quam verba quibus S. Paulus advocatos ex Ephesina regione natu maiores hortabatur, ut vigilantes essent in regenda Ecclesia sibi commissa [3]: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Nimirum, iubentur episcopi, a Spiritu Sancto super gregem dominicum constituti, *regere*, seu, ut graece prostat, *pascere*, ποιμαίνειν, Dei Ecclesiam, Christi Sanguine acquisitam. Atqui quid amplius Apostolis

[1] Luc.,XXII, 32. — [2] Prop. 50ª, inter 65 Decr. *Lament.* — [3] Act., XX, 28.

collatum est? Nimirum electi illi sunt a Christo, Spiritu Sancto movente, ut in mundum pergerent, homines Evangelii veritatem docturi, et Spiritus Sancti gratia pasturi; quae omnia adamussim cum episcoporum officio quadrant.

Nec minus explicita sunt verba S. Petri [1]: *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, qui et eius, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator; pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Sane, ubera praebere pascua dominico gregi, eius spiritualibus necessitatibus sponte ac liberaliter providere, seipsos formam et exemplar gregis sincero animo exhibere, proprium munus est Apostolorum, quibus Christus dixit [2]: *Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

16. — Communitas nominis quo olim designabantur episcopi et presbyteri non tollit eorum distinctionem. — Nos minime latet, nomen *episcopus*, et similiter nomen *presbyter* aut *senior*, in citatis et aliis Novi Testamenti locis, promiscue usurpari ad designandos tum proprie dictos episcopos, tum simplices sacerdotes, cum *episcopus* ἐπίσκοπος dicatur ex eo quod superintendit, ut ait S. Augustinus [3], *presbyter* autem πρεσβύτερος dicatur quasi senior; unde et S. Paulus ait [4]: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrina.* At, etiamsi sub nomine episcoporum et seniorum vel simplices presbyteri rite possint intelligi, nihilosecius ex citatis et aliis similibus locis, sat aperte eruitur, missionem et potestatem apostolicam in aliis sacris ministris continuatam fuisse, quibus profecto munus competebat altius longe quam sit simplex munus providendi necessariae ordinationi crescentium communitatum.

Revera, episcopi succedunt Apostolis successione directa, cum nullo mediante episcopus accipiat quae sunt de

[1] 1 Ep., V, 1, 3. — [2] Io., XV, 16. — [3] L. XIX, de Civ. Dei, c. 19. [4] 1 Tim., V, 17.

ratione sui muneris ab alio episcopo, quousque ad unum alterumve Apostolorum retrorsum ascendendo perveniatur. Presbyteri vero succedunt Apostolis modo indirecto, quia necesse habent accipere potestatem ab episcopis, nullo presbytero valente ordinare alium presbyterum [1]; unde et dici possunt presbyteri continuari ad Apostolos mediantibus episcopis. Quod autem etiam presbyteri in successione apostolica adnumerandi aliquo modo sint, patet ex eo quod eorum potestas in conficiendis sacramentis sit eis ex iure divino et non ex Ecclesiae institutione, etsi, cum plenitudinem sacerdotii non habeant, succus vitalis in ipsis, tanquam in palmitibus, subsistit, nec ad alios palmites producendos derivatur; episcopi vero, tamquam fecundus truncus, multos ramos possunt emittere.

Igitur, nomen *episcopus* olim attributum est presbyteris inferioribus ob communem curam rerum ecclesiasticarum et quia tunc, nondum subortis schismatibus, ecclesiae gubernabantur communi presbyterorum consilio, etsi non eorum potestate.

Secundum rem tamen, ut advertit S. Thomas [2], semper fuit distinctio inter episcopos et presbyteros, etiam tempore apostolorum: quo sensu intelligenda sunt verba ista Glossae [3]: *Sicut in apostolis forma est episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis forma est presbyterorum secundi ordinis* [4].

Attamen, temporis decursu, ad schisma vitandum, necessarium fuit ut etiam nomina distinguerentur, ita ut maiores sacerdotes dicerentur episcopi, minores autem presbyteri; et quia non nomine tantum, sed etiam ordinatione sua hoc habebant episcopi, ut palam praeponerentur populo, ideo necesse fuit ut a ceteris presbyteris distinguerentur, tum per loci eminentioris assignationem, tum per curam rerum ecclesiasticarum: quae distinctio nominum deinceps sancte in Ecclesia observata est.

[1] Quomodo hoc sit intelligendum, diximus in tr. DE ORDINE. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CLXXXVI, art. 6, ad 1^{m}. — [3] Ord. Bedae, sup. illud Luc., X: *Post haec autem designavit Dominus*, etc. — [4] Nimirum dici potest septuaginta duos discipulos ordinatos fuisse presbyteros ab ipsis Apostolis post Christi ascensum.

18. — Episcopatus est iure divino superior presbyteratu, — Ex iis quae hucusque disseruimus constat episcopatum iure divino superiorem esse presbyteratu: quae quidem differentia minime respicit consecrationem corporis Christi; sed in hoc consistit, quod est divina ministeria ordinare, sacerdotibus praeesse, et ministros instituere; unde dicere presbyteros non differre ab episcopis, inter dogmata haeretica numerat S. Augustinus [1], ubi refert arianorum sententiam, dicentium presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni.

19. — S. Hieronymi de episcoporum potestate sententia. — Contra hanc doctrinam solet obiici auctoritas S. Hieronymi, qui dicit [2]: *Apostolum perspicue docere eosdem esse presbyteros, quos episcopos.* Qui etiam, in Commentario in caput primum Epistolae ad Titum, ait [3]: *Idem est ergo presbyter qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis,* EGO SUM PAULI, EGO APOLLO, EGO AUTEM CEPHAE, *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur... Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere.*

At facile advertitur Hieronymum ita locutum fuisse, in illo quidem priori loco, ut eorum diaconorum superbiam frangeret, qui se presbyteris anteponebant, in altero vero ut quosdam episcopos ad modestiam revocaret, qui insolentius se contra presbyteros extulerant. Ceterum, non negat Hieronymus episcopos divina dispositione superiores esse presbyteris, sed eos maiores esse dicit potius consuetudine quam divinae dispositionis veritate, scilicet attenta honoris eminentia, et erectione throni sublimioris in Ecclesia.

Quod autem sanctus ille Pater revera agnoverit episcopos

[1] L. de Haeres., haer. 53. — [2] Epist. CXLVI ad Evangelium, t. I, col. 1801. — [3] T. VII, P. I, col. 694, 695.

iure divino presbyteris superiores ordine et iurisdictione, evidenter patet ex iis quae alibi docet. Nimirum, scribens contra Luciferianos [1], dicit a solis episcopis confirmationem conferri debere; et in iam citata epistola quaerit [2]: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?... Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron et filii eius atque levitae in templo fecerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Porro, cum constet tres illos gradus fuisse ex divina ordinatione sic distinctos, ut pontifex maior esset sacerdotibus, et sacerdotes levitis [3], hinc deduci potest, ex mente S. Hieronymi, episcopos iure divino maiores esse presbyteris, et presbyteros diaconis. Quinimmo idem S. Doctor expresse affirmat, inter presbyteros et episcopos id discrimine esse, quod olim inter senes et principes [4]. Denique, expresse fatetur: *Apud nos, Apostolorum locum episcopi tenent* [5].

Ex quibus omnibus concludere licet, tum ex Sacrae Scripturae oraculis, tum ex auctoritate Ecclesiae et signanter S. Hieronymi, episcopos ita Apostolis auctoritate divina succedere, ut gradu et dignitate presbyteris superiores existant.

20. — Quid teneri debet de prophetis in Novo Testamento saepius recensitis. — Cum in Novo Testamento, et maxime in epistolis S. Pauli, una cum Apostolis, saepius nominentur prophetae, hinc difficultas haud levis exurgit contra id quod dictum est, nempe Apostolis eisque solis, munus fuisse demandatum revelationem authentice recognoscendi; quasi hoc munus ad hos quoque Novi Testamenti prophetas extendi debeat.

Praecipuus locus in quo de talibus prophetis mentio fit, est sequens [6]: *Et quosdam quisdem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores,* etc.; cui loco alius locus parallelus respondet [7]: *Et ipse dedit quosdam*

[1] N. 9, t. II, P. I, p. 181. — [2] Ep. 146, t. I, pp. 1082, 1083. — [3] Exod., cc. XXVIII; XXIX; XXXIX; Num., XVI, Deut., XVII. — [4] Comment in Is., L. II, c. III, t. IV, P. I, p. 58. — [5] Ep. XLI ad Marcellam, t. I, p. 189. — [6] 1 Cor., XII, 28. — [7] Eph., IV, II.

quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, etc. Porro, cum, iuxta eumdem S. Paulum, christifideles sint *superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* [1], et ulterius, cum idem Apostolus, agens de revelatione Incarnationis, expresse subiungat: *Sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in Spiritu* [2], nonne idipsum, quantum ad munus tradendae et recognoscendae revelationis, dici debet de istis prophetis, quod de apostolis dicitur? Nimirum, ut ex contextu aperte colligitur, prophetae hic nominati iidem videntur esse, quos supra Paulus recensuerat, nempe prophetae Novi Testamenti: unde videretur iis quoque idem infallibilitatis munus competere, quoad traditionem et recognitionem revelationis, quod Apostolis tributum fuisse perspicimus.

At, primo, advertimus, si ad prophetas Novi Testamenti attribuendum esset munus authentice tradendi et recognoscendi revelationis depositum, ex eo quod illi simul cum Apostolis identidem memorantur, quidni idem munus et doctoribus, et pastoribus, necnon thaumaturgis, qui et ipsi, non secus ac prophetae, in citatis sancti Pauli locis una cum Apostolis recensentur, erit extendendum? Sane, nulla prorsus ratio est cur id quod prophetis attribuitur, doctoribus negetur, cum his munus incumbat ex professo doctrinam supernaturalem tradendi. Et cum nunquam in Ecclesia defuturi sint prophetae, doctores, pastores et thaumaturgi, scilicet ad aedificationem fidei et ad consummationem Sanctorum, cur, si admittatur, ad prophetas necnon ad doctores, pastores et thaumaturgos in Novo Testamento nominatos, pertinere praedictum munus, ab hoc privilegio excludendi erunt subsequentes prophetae, doctores, pastores, thaumaturgi, et quidem usque ad finem mundi? Et si ita est, quis non videat novas iugiter, secundum temporum successionem, accessiones in deposito fidei esse exspectandas, et sic modernistarum positiones, quibus sane haec consequentia arridebit, legitimas omnino esse?

Itaque dicendum est, debere in citatis sancti Pauli textibus, opportunam distinctionem introduci: nimirum, uni-

[1] Ibid., II, 20. — [2] Ibid., III, 5.

cuique eorum, quos ibi memoratos habemus, munus esse tribuendum sibi conveniens, nec id quod ad unum pertinet, ad alium extendi debere. Atqui hoc ad prophetam minime pertinet, ut authenticam sententiam ferat, totam Ecclesiam ligantem, de eo quod praedicit; similiter nec ad doctorem, pastorem aut thaumaturgum, id spectat, sed ad Apostolos, quibus, ut vidimus, Christus Dominus munus infallibilitatis ad hunc praecise finem contulit.

21. — Quinam fuerint illi prophetae a S. Paulo recensiti? — Quae cum ita sint, quaerenti quinam fuerint et utrum ad Vetus, an ad Novum Testamentum pertinuerint, illi prophetae, de quibus loquitur S. Paulus, cum dicit [1]: *Superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum,* — respondendum est, per hos prophetas intelligi utique posse prophetas tum Veteris, tum Novi Testamenti [2], in quantum revelationes ab ipsis divinitus acceptae et nobis traditae, ad fundamentum Ecclesiae, quae est ipsa veritas supernaturalis, constituendum, pertineant: hoc tamen pacto, ut doctrinae illae recognitae fuerint ab authenticis magistris, qui pro Veteri Testamento fuit Synagoga, cui privilegium quoddam infallibilitatis, scilicet relate ad susceptionem, transmissionem et conservationem Librorum Sacrorum, agnoscendum est; pro Novo autem Testamento, fuit Collegium apostolicum vel unus ex Apostolis. Ad huiusmodi prophetias pertinet quod ipsemet S. Paulus in secunda ad Thessalonicenses, et maxime S. Ioannes in Apocalypsi scripsere. — Nec obstat quod Ioannes post Pauli tempora scripserit: textus enim Apostoli [3] generalis est, et extenditur ad omnes prophetias ab aliquo hagiographo conscriptas et ab uno alterove ex Apostolis authentice agnoscendas.

22. — S. Lucas et S. Marcus Evangelistae. — Idipsum, nempe munus proprium Apostolorum, quod fuit authenticum

[1] Eph., II, 20. — [2] Per hoc discedimus, ut patet, tum a Card. Franzelin, volente ut prophetae in hoc S. Pauli textu, sint prophetae Veteris Testamenti, tum a quibusdam recentioribus scriptoribus, contendentibus, ex adverso, hos esse prophetas Novi Testamenti. — [3] Prox. cit.

magisterium in ordine ad susceptionem, agnitionem et transmissionem veritatis, a Christo et a Spiritu Sancto revelatae, non debere promiscue extendi ad alios, sive ii dicantur apostoli, sive prophetae in textibus S. Pauli, clarius constat, ex differentia assignanda inter Apostolos et illos ex Evangelistis, qui Apostoli non fuerunt, nempe sanctum Marcum et sanctum Lucam.

Nimirum in hagiographo, absolute loquendo, aliud non requiritur, praeter impulsionem seu motionem Spiritus Sancti ad scribendum, nisi lumen intellectuale sive ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sive ad iudicandum de naturalibus quae per se possunt cognosci; unde, ut ait S. Thomas [1], *quia mens prophetae* (et idipsum dicatur de hagiographo), *est instrumentum deficiens. etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis. aut verbis, aut factis Spiritus Sanctus intendit.* Quapropter, haud satis fuisset ut S. Marcus et S. Lucas scripsissent, etiam inspirante Spiritu Sancto, sua evangelia, ad hoc ut hi libri tamquam authentici ab Ecclesia recipi debuissent; sed necesse ulterius erat ut haec evangelia ab Apostolis expresse Ecclesiae consignarentur, tamquam formaliter ad revelationis depositum pertinentia: quod quidem factum est respective ab Apostolis Petro et Paulo; unde stat id quod dicebamus, ad solos Apostolos spectasse munus revelationem suscipiendi, agnoscendi et transmittendi.

23. — S. Paulus et S. Barnabas. — Quia autem S. Paulum nominavimus, non inutile erit momenta repetere, ex quibus probatur illum factum fuisse participem muneris apostolici stricte sumpti: cui aliquid etiam de S. Barnaba, Pauli socio, addendum erit.

Quod S. Paulus ad collegium Apostolorum a Spiritu Sancto formaliter fuerit adscitus, dubitare fas non est, cum expresse de eo testatus sit Spiritus Sanctus [2]: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel;* et expressius adhuc [3]: *Segregate mihi*

[1] 2 2ae, Quaest. CLXXIII, art. 4. — [2] Act., IX, 15. — [3] Ibid., XIII, 2.

Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos; ex quibus ultimis verbis veneranda antiquitas argumentum deduxit, et ipsum S. Barnabam in collegio apostolico numerari debere, unde et in liturgia, officio et missa de Apostolis honoratur, et in canone missae eius nomen post nomen S. Matthiae recitatur. Quapropter, dicendum est munus illud revelationis depositum authentice agnoscendi et Ecclesiae tradendi, ad hos quoque duos Apostolos, praeter undecim cum S. Matthia, fuisse divinitus extensum.

Et quidem, licet relate ad S. Barnabam res non omnino sit extra dubietatis aleam, quod ad S. Paulum attinet, tam explicita sunt testimonia, ut nulla prorsus de eo ambiguitas permittatur, ut abunde patebit, recitatis sequentibus solemnissimis ex eodem Paulo locis [1]: *Paulus, servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei...; per quem accipimus gratiam et apostolatum; — Paulus, vocatus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei* [2]; — *puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit* [3]; — *non sum liber? non sum Apostolus?... Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum; nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino* [4]; — *nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli* [5]; — *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum* [6]; — *in quo* (Evangelio) *positus sum ego praedicator et Apostolus,... doctor gentium* [7].

24. — Electio Pauli et Barnabae recognosci debuit ab Apostolis. — Porro, licet S. Paulus, et idipsum proportionaliter de S. Barnaba dicatur, fuerit directe electus a Spiritu Sancto, haec tamen electio ab Apostolis recognosci debuit, ex quo validius roboratur id quod supra diximus de munere solis Apostolis collato agnoscendi et sanciendi revelationem: siquidem de S. Paulo legimus [8]: *Barnabas autem apprehensum illum* (Paulum) *duxit ad Apostolos;* et quia Apostolorum princeps erat Petrus, ideo omittere non debuit quin se ad eum sisteret; unde de se dicit [9]: *Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum.*

[1] Rom., I, 1, 5. — [2] 1 Cor., I, 1. — [3] Ibid., IV, 9. — [4] Ibid., IX, 1, 2. — [5] 2 Cor., XII, 11. — [6] Gal., I, 1. — [7] 1 Tim., II, 7; cf. 2 Tim., I, 11. — [8] Act., IX, 27. — [9] Gal., I, 18.

Praeterea, licet isti duo Apostoli a Spiritu Sancto electi fuerint, tamen ordinari et ipsi in episcopos debuerunt per sacramentum a Christo institutum; unde legimus [1]: *Tunc ieiunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos;* quo praestito, episcopalia munia rite obierunt, ordinando per civitates presbyteros.

Quae cum ita sint, patet id quod S. Paulus de ceteris Apostolis ait [2]: *Mihi nihil contulerunt*, intelligendum esse de doctrina Evangelii, quam ille a Christo, non ab Apostolis didicerat, non autem intelligendum esse de sacramentis: nam et ab Anania baptismum, et ab Apostolis confirmationem et ordinem suscepit. Praeterea, ordine unitatis id exposcente, Paulus, instinctu Dei, evangelicam doctrinam contulit cum sententia Petri aliorumque Apostolorum, ut ex eorum approbatione testimonium veritatis apud fideles acciperet. *Contuli*, ait ille [3], *cum illis evangelium quod praedico in gentibus,... ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Et rursus [4]: *Cum cognovissent gratiam quae data est mihi, Iacobus et Cephas et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Qui etiam in controversia de servandis legalibus, Petrum Apostolosque adiit, quorum sententiam secutus, toti Antiochenae Ecclesiae servandam proposuit.

25. — Solvuntur tacitae obiectiones. — Ne autem scandalum quis sumat, audiens contentionem fuisse inter Paulum et, hinc quidem Petrum, illinc vero Barnabam, quasi munus revelationem infallibiliter tradendi ad eos pertinere non debuerit, qui inter se discordes extitissent, animadverti opportune poterit, quantum ad primum, ideo Petrum a Paulo reprehensum fuisse [5], non quod ille scandalum activum daret, sed quia ex eius agendi ratione scandalum passivum alii patiebantur; unde peccavit quidem et reprehensibilis fuit, sed non graviter [6]; aliunde Paulus Petrum non sic reprehendisset, ut advertit Angelicus, nisi aliquo modo par

[1] Act., XIII, 3. — [2] Gal., II, 6. — [3] Ibid., 2. — [4] Ibid., 9. — [5] Ibid., 11. — [6] Cf. S. Thom., 2 2^{ae}, Quaest. XLIII, art. 6, ad 2^{m}.

fuisset quantum ad fidei defensionem [1]. — Quantum ad secundum autem, dici potest cum eodem S. Thoma, discordiam quae fuit inter Paulum et Barnabam [2] fuisse per accidens, non per se, utroque intendente bonum; sed uni videbatur hoc esse bonum, alteri aliud, quod ad defectum humanum pertinebat; et praeterea illa dissensio non erat de his quae sunt necessaria ad salutem; attamen controversia illa erat ex divina providentia ordinata propter utilitatem inde consequentem [3].

Denique adnotetur, ex eo quod quis S. Barnabae epistolam haberi voluerit authenticam, cum tamen in Canone librorum novi Testamenti minime recipiatur [4], nihil sequi contra id quod dictum est, ad eum pertinuisse munus revelationem formaliter recognoscendi: non enim necesse est dicere, omnia quae scripserint Apostoli, fuisse inspirata [5].

26. — Conclusio. — Concludendum igitur est, ad undecim Christi Apostolos, cum Matthia, necnon Paulo et probabiliter Barnaba, Spiritus Sancti sive instinctu sive expresso mandato electis, pertinuisse munus authentice suscipiendi, praesentandi et confirmandi revelationem, sive Libros sacros Ecclesiae formaliter consignando, sive traditiones orales ex officio transmittendo; siquidem, revelationis depositum non ex sola Sacra Scriptura constat, sed etiam ex orali traditione in Ecclesia recepta et usque ad finem mundi transmittenda; nam, ut advertit S. Thomas [6], *multa sunt a Domino facta vel dicta, quae Evangelistae non scripserunt: inter quae fuit hoc quod Dominus in caena oculos levavit in caelum, quod tamen Ecclesia ex traditione Apostolorum habuit.* Qui etiam

[1] Ibid., XXXIII, art. 4, ad 2[m]. — [2] Act., XV. — [3] Ibid. Quaest. XXXVII, art. 1, ad 3[m]. — [4] De hac epistola, vide infra, p. 268, n. 1. — [5] Hic addendum est. S. Silam. etsi apud Graecos (ad diem fest. 30 Iul.), necnon in martyrologiis Usuardi et Adonis et in nonnullis ecclesiis Galliarum, apostoli nomen aut cultum obtinet, non tamen esse computandum inter apostolos proprie dictos. Cf. Comm. n. in Act. Ap., Sect. LXXIII, Quaest. II. Attamen Dionysius Cartusianus (Comment. in c. VI Luc., vers. 13) numerat Silam inter apostolos divinitus institutos. — [6] 3. Quaest. LXXXIII, art. 4, ad 2[m].

explicitius scribit [1]: *Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine Ecclesiasticae Hierarchiae, sed intenderunt historiam de Christo texere. Et tamen haec omnia fere verba ex diversis Scripturae locis accipi possunt; nam quod dicitur:* HIC EST CALIX, *habetur Luc. 22. et 1 Corinth. 21; Matth. autem 26 dicitur:* HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM: *quod autem additur* AETERNI *et iterum* MYSTERIUM FIDEI, *ex traditione Domini habetur, quae ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud 1 Corinth. 2:* EGO ACCEPI A DOMINO QUOD ET TRADIDI VOBIS.

27. — Scholion. — Quae cum ita sint, non solum temeraria, sed omnino falsa et Scripturis necnon Traditioni adversa dicenda est sententia quam impugnamus, iuxta quam munus apostolicum aliis, praeter recensitos Apostolos, collatum fuisse asseritur. Quod si ita esset, quomodo illa Ecclesiae nota, quae est apostolicitas, quae quidem nota principaliter consistit in derivatione revelationis a solis Apostolis, salvari posset? Merito igitur a Pio X damnata est sequens propositio [2]: *Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa;* cui rei cohaeret comminatio a S. Ioanne lata [3]: *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas in libro isto.*

Ceterum, cavendum est a superficiali illa et audaci nimis exegesi, qua plures hodie in errorem abducti, receptas hucusque in Ecclesia sententias excutere nisi sunt, quasi id nova in scientiis, sive philologicis, sive ethnologicis, sive exegeticis adinventa exigant: quorum exitialibus molitionibus opponendum est solemne illud S. Pauli monitum [4]: *Itaque, fratres mei, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

[1] Ibid., Quaest. LXXVIII, art. 3, ad 9[m]. — [2] Prop. 21[a] Decret. *Lamentabili*, 3 Iul., 1907. — [3] Apoc., XXII, 18. — [4] 1 Cor., XV, 58.

ARTICULUS III. — *Utrum per mortem Apostolorum, prophetia, quae ad revelationem divinam pertinet, fuerit clausa.*

1. — Ioachimitarum haeresis. — Exclusa possibilitate intrinsecae transformationis divinae revelationis, vertitur nunc consideratio nostra ad illam multorum sententiam qui, ultro admittentes immutabilitatem dogmatis in se inspecti, contendunt tamen illius manifestationem posse, temporis decursu, perfectiorem et uberiorem, vel quoad novas veritates revelandas, exspectari. Quos inter, media aetate, eminuerunt Ioachimitae, sic dicti, quod doctrinam profiterentur quae in quibusdam celebris abbatis Ioachim erroribus fundabatur, quos Concilium Arelatense anno Domini 1260 celebratum, condemnavit.

Horum doctrina continebatur in quodam libro, Ioanni Parmensi, Generali Fratrum Minorum, adscripto, cui titulus erat *Evangelium aeternum.* Ibi docebatur, inde ab anno 1260, quem signatum volebant in hoc Apocalypseos loco [1]: *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis,* praedicandum fore novum quoddam evangelium, scilicet evangelium Spiritus Sancti, tanto veteri evangelio superius, quanto sol lunae praestat. — Circa hunc textum, iuvat hic referre animadversionem S. Thomae. *Per mille ducentos sexaginta dies, de quibus fit mentio in Apocalypsi,* ait ille [2], *significatur omne tempus in quo Ecclesia durat, et non aliquis determinatus numerus annorum: et hoc ideo, quia praedicatio Christi, super quam fundatur Ecclesia, duravit tribus annis cum dimidio: quod tempus vere continet aequalem numerum dierum numero praedicto.*

2. — Renovatio huius erroris. — Veterem hunc errorem, veste paulisper immutata, nuper renovavit Carolus P. Russell [3]. Censet auctor, autonoma Scripturae lectione inductus, Christum, per suum primum adventum, nihil aliud generi humano meruisse, nisi ut homines in mundi fine, qui erit post

[1] XI, 3. — [2] 4, Dist. XLIII, Quaest. I, art. 3, sol. II, ad 2[m]. — [3] In opere *L'Aurora del Millennio.* Vol. I, II, piano dell'età, Trad. dall'Inglese, Pinerolo, 1904.

sex mille annos a creatione, cum scilicet omnes resurrecturi sunt, subiiciantur probationi per spatium mille annorum: hoc videlicet pacto, ut ii quidem qui in primo centennio huius millenii, futuri sint fideles, per reliquum temporis spatium in pace et abundantia regnaturi sint, usquedum intrent in vitam aeternam; qui vero nec in termino illius millenii fideles invenientur, morte sint mulctandi, seu totaliter destruendi. — En quales absurditates gigni possunt ex lectione Sacrae Scripturae, citra authenticum Ecclesiae magisterium facta.

3. — Ioachimitarum placita. — Ioachimitae igitur, teste citato Arelatensi concilio, appropriationis doctrina abutenses, in concordantiis suis, ternarios quosdam numeros ponebant, iuxta quos unam aut alteram rem uni alterive personae attribuebant: realiter tamen hoc intendebant ut redemptionis fructum diminuerent et certo temporis spatio concluderent, quo futuram Spiritus Sancti manifestationem magnificentius extollerent.

Ita, Patrem in Veteri Testamento operatum fuisse dicebant, Filium vero in Novo, Spiritum Sanctum autem in futuro Testamento, ab eodem anno 1260 incepturo, operaturum deinceps splenditori modo affirmabant. Hanc autem doctrinam his et similibus locis firmari volebant: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [1]; *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* [2]. Porro, actioni vivificatrici Spiritus Sancti spatium mille annorum tribuebant [3], post quos annos dicebant Satanam de carcere suo solutum iri.

Sed et aliud comminiscebantur, scilicet Veteris Legis tempus, quod Patri attribuebant, hominum coniugatorum sub lege fuisse, tempus vero Novi Foederis, quid Filio appropriabant, clericorum sub gratia extitisse; tertium vero celebrius, monacorum fore sub plenitudine gratiae Spiritus Sancti. Rursus insanientes effutiebant, in primo tempore homines secundum carnem vixisse; in secundo, secundum carnem et spiritum; in tertio vero superventuro, victuros esse secundum purum spiritum [4].

[1] Io., V, 17. — [2] Ibid., XVI, 13. — [3] Cf. Apoc., XX, 3, 7. — [4] Cf. 1 2ae, Quaest. CVI, art. 4. Cf. quae de millenarismo scripsimus in tr. DE NOVISSIMIS, Quaest. VII, art. 3 n. 7, seq., p. 414.

4. — Modernistarum conatus ad nova doctrinarum supernaturalium placita aetate nostra adinvenienda. — Porro, etsi prima facie censeri potuisset homines, aevo praesenti, utpote positivis scientiis magis dedictos, ab huiusmodi deliramentis abhorrere debuisse, revera tamen videmus plures receptae fidei debilius inhaerentes, rem edixisse possibilem, aliquid addi sacro deposito dogmatis catholici. Hi igitur irrequieto spiritu ducti, huc illucque sese converterunt, ut nova, praeter id quod traditum est, supernaturalium doctrinarum placita adinvenirent, non quidem id ex directa Dei revelatione, ut Ioachimitae, exsposcentes, sed via humiliori et ad naturae vires magis accommoda.

Scilicet, duplici id via obtineri posse edixerunt: primo, in quantum historica methodo rite adhibita, latentes de Deo rebusque divinis veritates olim revelatae, denuo in lucem promendae sint: secundo, in quantum per occultas in spiritismo habitas exercitationes, uberiora de vita supernaturali documenta, ab iis qui alium mundum incolunt, communicanda aliquando sint humano generi.

Quoad primum, res est evidentissima, aiunt, fieri potuisse ut, transacto aevo apostolico, plures fidei veritates, ab Apostolis olim traditae, deperditae fuerint, opportuno tempore, ope scilicet historicae methodi, perfectiorem evolutionem iam assecutae, iterum adinveniendae. Quod vero spectat ad spiritisticas exercitationes, neminem latet, in multorum spe esse, plurimas inde veritates esse derivandas, maxime quod ad supernaturalem mundum, ubi mortuorum animae degunt, attinet: quae exercitationes, ut aiunt, si semel in ordinatiorem formam redigantur, pretiosa dogmatibus religiosis incrementa largiri poterunt.

Duplex quoque via a modernistis panditur, ad evincendum dogmatis interpretationem modificationi esse subiiciendam: prior, secundum quam, excultis naturalibus scientiis, fidei scientia, quae illis proportionaliter respondet, sit evolvenda; altera, secundum quam conscientia christiana elaborat ac trasformat dogmata fidei: de quibus ex professo tractabitur infra [1].

[1] Art. 4 huius quaest.

Re quidem vera, considerantibus nobis recentiorum hominum molimina, conantium ut novae quaedam supernaturalis ordinis doctrinae, contra idquod hucusque traditum est, introducantur, menti succurrit illud Apostoli [1]: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt. sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* — Contra quos statuenda est et firmiter retinenda sequens

5. — PROP. I. — **Revelatio ita Apostolorum morte est sancita, ut novae manifestationes eidem contradicentes neque postea in Ecclesia factae fuerint, neque sint in posterum exspectandae.**

6. — **Probatur.** — Evinci imprimis haec veritas potest argumento deprompto ex generali conspectu doctrinae in Scripturis Novi Testamenti contentae.

Nimirum, taliter praesentatur veritas contenta in libris Evangelistarum et Apostolorum, ut a nobis haberi debeat tamquam plenum et perfectum corpus doctrinarum supernaturalium, cui quidquam addidisse nefas esset. Sic quippe S. Ioannes scribit [2]: *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* [3]. Hoc sensu S. Hieronymus, commentans verba [4]: *Dominus narrabit in Scripturis populorum et principum. horum qui fuerunt in ea,* — ait [5]: *Videte quid dicat*: QUI FUERUNT, *non qui sunt; ut, exceptis Apostolis, quodcumque aliud postea dicetur. abscindatur. non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.*

Accedit huic proposito, doctrinae novitatem in Ecclesia semper habitam fuisse tanquam suspectam haereseos; e contra, apostolicitatem, id est derivationem doctrinae ab ipsis Apostolis, iugiter retentam fuisse tamquam tesseram veritatis.

Quae quidem alta mente reposita fidelium persuasio

[1] 2 Tim., IV, 3, 4. — [2] Apoc., XXXII, 18. — [3] Huc per accommodationem referri potest illud Deuteronomii (IV, 2): *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* — [4] Ps. LXXXVI, 6. — [5] Comment. in h. l. Opp. t. VII, P. II, Ven. 1769, col. 318.

fundamentum habet tum in verbis Christi, tum in praedicatione Apostolorum. Sic quippe Dominus Noster, praedicens futuros in Ecclesia seductores, expresse ait [1]: *Tunc, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

7. — Doctrina S. Pauli. — Hanc eamdem veritatem sanctus Paulus apertissime tradidit, cum Galatas reprehendit, quod se allici permisissent in doctrinas alias a veritate quam illemet eos docuerat [2]: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium;* qui etiam, quasi pertimesceret ne quando, per impossibile, ipsemet deserturus foret veritatem a se annuntiatam, decernere non diffitetur [3]: *Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Hunc in locum, scite advertit Angelicus [4]: *Dicendum est quod nihil aliud evangelizandum est, quam illud quod continetur in Evangeliis et in Epistolis et in Sacra Scriptura implicite vel explicite. Nam Sacra Scriptura et Evangelium evangelizat esse credendum Christo explicite. Unde quidquid continetur in eis implicite. quod facit ad doctrinam eius et ad fidem Christi. evangelizari et doceri potest; et ideo cum dicit*: PRAETER ID QUOD ACCEPISTIS, *id est, omnino alienum addendo.*

Hisce cohaerenter, ipsemet sanctus Paulus gravissime monebat discipulum suum Timotheum [5]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Egregia sunt quae in hunc locum commentatur S. VINCENTIUS LIRINENSIS [6]: DEPOSITUM, *inquit* (Apostolus), CUSTODI. *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem*

[1] Matth., XXIV, 23, 24. — [2] Gal., I, 6. — [3] Ibid., I, 8. — [4] Comment. in Epist. ad Gal., lect. II. — [5] 1 Tim., VI, 20, 21. — [6] Commonit. C. XXII. Cf. de eisdem verbis commentarium in eodem opere CC. XXVIII, XXIX.

non ingenii, sed doctrinae; non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens:... aurum accepisti, aurum redde.

8. — Novi dicendi modi innocui non sunt. — Hic autem advertendum est, ex hoc quod S. Paulus monet ut vocum novitates devitemus, rite inferri, novos, praeter receptos, dicendi modos, in rebus ad fidem spectantibus, innocuos non esse, quandoquidem cum nomina signa sint conceptuum, conceptus autem signa sint rerum, mutatio in nominibus secumfert mutationem in apprehensione intellectus, quae mutatio ultimo rem ipsam vulnerat: unde ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis. Quocirca, scite concludit auctor Epistolae quae sancto Barnabae tribuitur [1]: *Regula lucis est: custodi quod accepisti, neque addens aliquid, neque detrahens.*

9. — Modus quo in S. Scriptura sermo est de oeconomia christianae revelationis. — Praeterea, ex modo quo de oeconomia christianae revelationis Scripturae loquuntur, haud dubie evincitur eamdem perfectam esse, ita ut excludat omnem substantialem mutationem in deposito fidei. Nimirum, de oeconomia a Christo instituta expresse dicitur eam factam fuisse in plenitudine temporis [2], aut in novissimis diebus [3], post quam alia oeconomia non est exspectanda, sed tantum finalis Christi adventus, cum ad iudicandum homines apparebit, praemia pro meritis decreturus [4]. Signanter autem S. Paulus testatur scriptum fuisse Vetus Testamentum *ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt* [5],

[1] N. 19. De huius Epistolae authenticitate controvertitur inter doctos. Eam revera esse S. Barnabae, cum antiquis scriptoribus, contendit G. A. Moehler (Patrologia, ossia Storia letteraria cristiana, vol. I, pp. 100, seq. Milano, 1842), contra quam sententiam scripserunt communiter recentiores, hac potissimum ratione ducti, quod quae inibi de observantiis mosaicis traduntur, minime conveniunt cum eo quod ab Apostolis concorditer traditur. Cf. O. Bardenhewer, *Les Pères de l'Eglise*, t. I, p. 59. Paris, 1898. — [2] Gal., IV, 4; Eph., I, 10. — [3] Heb. I, 2; Act., II, 17; 1 Petr., I, 20. — [4] 2 Thess., II, 2. — [5] 1 Cor., X, 11.

qui etiam huic opponit Novum Testamentum, tamquam rem perfectam rei imperfectae, consummatam inchoatae, aeternam abrogandae [1], quae omnia evidenter excludunt conceptum de nova revelatione, traditae fidei contraria, in futurum expectanda.

10. — **Confirmatur.** — Si nova quaedam oeconomia, praeter praesentem, foret praesenti oeconomiae successura, profecto debuisset a Christo aut Apostolis praenuntiari: haec enim est divinae sapientiae ratio, ut magna opera, quae aliquando Omnipotens perficienda decreverit, signis antea obumbranda disponat, quemadmodum videmus res novi Foederis in Veteri Testamento praenuntiatas atque praefiguratas fuisse: unde et Moyses et prophetae auctorem futurae oeconomiae digito velut commonstrarunt [2]: imo, eo lucidior esse deberet huiusmodi adumbratio, quo clarior exspectaretur futura revelationis oeconomia. Atqui nullum omnino cernitur in novo Testamento talis oeconomiae vestigium; e contra, omnia huc tendunt, ut evincatur nec novam docrinam fore tradendam, nec novum magistrum surrecturum.

11. — **Apostoli plenitudinem revelationis opera Spiritus Sancti acceperunt.** — Consulto diximus, *morte Apostolorum* revelationis oeconomiam sancitam fuisse, non autem Christi ascensione; quandoquidem ipsemet Dominus Noster semel atque iterum testatus est se Apostolis daturum fore Spiritum Sanctum, praecise in hunc finem, ut eorum instructionem de rebus fidei illemet compleret. Et signanter Spiritui Sancto hoc munus tribuitur: cum enim, ut advertit Angelicus [3], Spiritus Sanctus sit a Veritate, quae est ipse Filius, procedens, eius est docere veritatem, et facere similes suo principio.

Haec autem instructio Spiritus Sancti secundum tria erat attendenda: nimirum, primo, aliqua Apostoli a Christo audierant, quae tamen non intellexerant, et de his illuminandi erant; secundo, aliqua audierant et intellexerant, quorum tamen obliti erant, et haec quidem erant eis a Spiritu

[1] Hebr., VII, seq. — [2] Deut., XVIII, 18. — [3] Comment. in Cap. XVI Ioan., lect. III.

Sancto in memoriam revocanda [1]; tertio demum, nonnulla erant quae, Christo adhuc in terris degente, nondum portare potuissent, de quibus opportuno tempore a Spiritu Sancto illuminari debebant [2].

Quae omnia duobus sequentibus locis manifeste traduntur [3]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis* [4]. — *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

12. — PROP. II. — Ecclesiae definitiones revelationis deposito minime contrariae sunt.

13. — Exponitur. — Revera, solemne semper in Ecclesia fuit, ut nihil eorum quae ad fidem pertinent, ullo modo innovaretur, sed id semper firmiter teneretur, quod traditum inde ab initio fuisset. Huc facit celeberrima sententia S. Stephani Papae [5]: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; circa quod opportune advertit S. Vincentius Lirinensis [6]: *Intelligebat enim vir sanctus et prudens* (Stephanus Papa), *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia* QUA FIDE *a Patribus suscepta forent.* EADEM FIDE *filiis consignarentur.*

Huic dicto omnino cohaeret et aliud eiusdem auctoris [7]: *Magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum.* Et rursus [8]: *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.*

14. — Advertenda circa hunc canonem. — Porro, non est canon iste intelligendus sensu exclusivo, quasi nihil tenen-

[1] Quaerit hic S. Thomas (Comment. in C. XIV, Io., lect. IV): *Quomodo Evangelista Ioannes post quadraginta annos potuisset omnium verborum Christi, quae in Evangelio scripsit, habere memoriam, nisi ei Spiritus Sanctus suggessisset?* — [2] Sic, verbi gratia, in Concilio Hierosolymitano. Apostoli illuminati sunt, ut a legis mosaicae praeceptis fideles eximerent. — [3] Io., XIV, 26. — [4] Ibid., XVI, 12, 13. — [5] D.-B., n. 46. — [6] Commonit., c. VIII. — [7] C. III. — [8] C. VIII.

dum sit, nisi quod ubique, semper et ab omnibus sit creditum: multa enim sunt de quibus in aliquibus locis, aut anteactis temporibus, aut a determinatis personis dubitatum est aut etiam nihil retentum est, quod tamen temporis decursu clare fuit traditum et nunc salva fide in dubium verti amplius non potest. Sensus igitur est positivus: nempe, quidquid inveniatur omni loco et tempore atque ab omnibus hominum coetibus retentum, id negari salva fide non potest.

15. — **Corollarium.** — Ex dictis sequitur quod si quid unquam fide divina et catholica credendum ab Ecclesia fuerit propositum, id omne dicendum erit in revelationis deposito, scilicet secundum verbum scriptum aut traditum, implicite saltem fuisse contentum; unde in talibus definitionibus Ecclesia quidquam novi nunquam exhibet, sed id tantum explicitius et enucleatius credendum proponit, quod semper traditum et retentum est. Et haec quidem ratio assignari potest cur, cum aliqua sic definienda proponuntur, primum quod inquiri solet, est utrum proposita veritas in fidei deposito saltem implicite contineatur, quod est conditio ut veritas illa tanquam fide divino-catholica credenda proponatur.

Huius rei lucidum exemplum habemus in definitione Immaculatae Conceptionis B. M. V. Pariter, quaestio de definibilitate Assumptionis eiusdem B. M. V. huc revocatur, ut sciatur utrum haec veritas in deposito revelationis contineatur: cui rei affirmative respondendum esse nobis videtur, cum impossibile sit huius fidei originem explicare, nisi quatenus fuerit derivata ab orali traditione Apostolorum, quibus certe hoc factum compertum esse debuit, quidquid de narrationibus apocryphis circa Deiparae mortem teneri voluerit. Haec igitur veritas, si ab Ecclesia sat expresse proponitur credenda, teneri debebit fide divino-catholica. Idipsum dicendum est de pluribus aliis veritatibus; verbi gratia, de vero matrimonio sancti Ioseph cum Deipara, aut de illius castissimi Sponsi perpetua virginitate, si quidem res istae ab Ecclesia sic tenendae expresse aut aequivalenter proponerentur.

16. — Scholion. — Cum hoc tamen stat, posse ab Ecclesia aliquid nobis proponi de novo credendum, non quidem supra, aut contra, sed praeter contenta in Scriptura aut traditione, ut puta aliquem hominem esse in caelo a Deo gloria donatum.

Obiicienti vero illud S. Pauli [1]: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit*, respondetur, id intelligendum esse citra divinam auctoritatem Ecclesiae, cui Christus officium commisit depositum fidei non solum custodiendi et defendendi, sed etiam, ubi opus sit, augendi. — Et hoc quidem sensu intelligenda sunt quae passim apud scriptores ecclesiasticos legitur, scilicet nihil doctrinae apostolicae addi, nihil detrahi posse, ut cum dicit S. Hieronymus [2]: *Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.* Utique nec Ecclesiae auctoritate quidquam doctrinae apostolicae detrahi potest; aliquid tamen addi sensu explicato permittitur, sive tanquam amplior declaratio eius quod iam revelatam est, ut primatus Romani Pontificis, sive tanquam res sub adsistentia Spiritus Sancti, noviter deducta, ut alicuius Sancti canonizatio.

17. — Ecclesia nihil unquam ignoravit eorum quae ad sui constitutionem pertinent. — Ex altera autem parte, si veritatis supernaturalis thesaurus Apostolis demandatus est, hoc non fuit ut eis solis prodesset, sed ut ab eis ad totam Ecclesiam transmitteretur; quandoquidem illum formaliter receperunt quatenus Apostoli, id est, quatenus ad ipsos spectabat, utpote fundamenta, Ecclesiam regere, propagare et instruere. Quapropter respuenda prorsus omnis sententia erit, qua exhibetur Ecclesia, aliquo vitae suae tempore, quidquam ignorasse eorum quae ad sui constitutionem, aut ad dogma catholicum, aut ad sacramentorum administrationem pertinent; pariter a vero aberrant quibus videtur Ecclesiam, prioribus saeculis, timide et quasi manu tentantem expertam fuisse, quid facere, quid docere deberet, aut eamdem, iuxta illam evolutionis legem quam supra reprobavimus, ad plenam veritatis revelatae assecutionem gradatim pervenisse [3].

[1] Gal., I, 9. — [2] In Ps. LXXXVI, v. 6. — [3] Constitut. de fide cath., IV, 3.

18. — Nihil de revelatione deperditum est. — Porro, quod dicunt aliqui, fieri potuisse ut plures veritates olim revelatae, temporis progressu, amitterentur, postea historica methodo adinveniendae, facile exploditur: nam, cum omnis divina revelatio ad hominis salutem aeternam essentialiter ordinetur, hinc repugnat Deum Ecclesiae suae quaedam revelasse, quae postea omnino deperdenda fuissent: unde si ad divinam bonitatem pertinet quod Deus aliquid homini revelaverit, pariter ad ordinem illius providentiae spectat, ut media statuerit ad hanc revelationem integram conservandam.

At directe quoque probari potest nullam revelatam veritatem fuisse unquam deperditam. Nimirum, Christus Dominus in Evangelio sic Petrum alloquitur [1]: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Fides autem duobus modis deficere potest: vel quia veritas revelata corrumpitur, vel quia minuitur. Iamvero, si qua veritas revelata, in uno alterove codice omnino ignoto neglecta, delitesceret, aliquando in lucem proferenda, num dici posset permanere in Ecclesia, et sic nonne aliqua defectio in fide haberetur? Huc etiam omnino facit quod sanctus Paulus, in persona discipuli sui Timothei, omnibus episcopis commendabat, scilicet ut maxima vigilantia adlaboraret ad depositum doctrinae, quod a maioribus acceperat, intactum servandum [2].

19. — Quinam libri sunt deperditi. — Quae cum ita sint, quod interdum legitur, aliquot libros, in Scriptura canonica citatos amissos fuisse, argumento non est quidquam de revelationis deposito in perditionem aut oblivionem ruisse, cum dici possit, aut libros istos non fuisse inspiratos, aut si inspirati fuerint, nullam revelatam doctrinam continuisse, quae in alio libro non esset consignata.

Valet hoc signanter pro eo quod legitur in tertio libro Regum [3]: *Nonne haec scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis?* Valet etiam pro eo quod habetur in S. Iudae Epistola [4]: *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis:* nimirum, in

[1] Io., XXII, 32. — [2] 1 Tim., VI, 2, et 2 Tim., I, 14 — [3] XI, 41. — [4] 14.

hoc ultimo loco, vera utique prophetia continetur, usque ad S. Iudae tempus divinitus conservata [1], quae quidem potuit pertinere ad librum inspiratum qui nunc deperditus esset: aliud quippe est inspiratio, aliud revelatio.

Ad rem propius pertinet quod eruditi in Scriptura comminiscuntur, scilicet duas S. Pauli epistolas, quas ad Corinthios exhibetur scripsisse, fuisse deperditas: unam, scilicet, quae prima omnium esset, ut clare ex duobus locis eruitur [2]; alteram, quae post eam, quae nunc ut prima circumfertur, et tertia esset, ut etiam infertur ex ea quae nunc secunda recensetur [3]. Dicendum nempe, in hisce epistolis, utut inspiratis, nihil de revelationis deposito contentum extitisse, quin alicubi in Scriptura reperiatur.

20. — Nihil accrescit revelationis deposito ex spiritisticis manifestationibus. — Notum est quam novae et peregrinae sententiae de praesenti ac futura vita, de animae humanae natura ac sorte, de Deo eiusque attributis, in conventibus spiritisticis de die in diem perferantur [4], unde contendunt aliqui, ope spiritisticarum exercitationum quibus affines sunt theosophiae artes, novas de ordine supernaturali manifestationes habitum iri. — At, quam vana sint huiusmodi molimina, ex hoc apparet, quod manifestationes illae obtinentur opera angelorum malorum, qui ad mendacium semper sunt propensi, sive dum dicunt falsum, sive dum dicunt verum, cum veritatem non proferant, nisi ut homines in errorem inducant: aliunde, nihil omnino eis Deus de ordine supernaturali revelavit, quod nos celaverit. Quapropter Ecclesia severe condemnavit omne cum daemoniis commercium, quod quidem iam sub Lege Veteri stricte prohibitum fuerat [5]: *Non inveniatur in te... qui ariolos scisciteur... nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.*

21. — Sanctorum canonizationes. — Quia autem ulterius obiici posset, decreta de Sanctorum canonizationibus, ipsa

[1] De modo conservationis, vide Est., in h. l. — [2] Sc. 1 Cor., V, 9; XVI, 1. — [3] 2 Cor., II, 3. — [4] Vide quod scripsimus in op. Il mondo invisibile. — [5] Deut., XVIII, 10, 11.

Romani Pontificis suprema auctoritate lata, propositae thesi officere, quatenus per ea novae revelationes, scilicet salus aeterna aliquorum individuorum, in Ecclesia introduci videntur, utile erit advertisse, canonizationes Sanctorum revera non esse novas revelationes, sed potius extensionem, et dixerim, explicitam applicationem ad determinata subiecta, eius quod generaliter in revelationis deposito continetur, scilicet, hominem, qui bona fecerit iuxta legem Dei, aeterna beatitudine esse donandum; unde aliud Pontifex non facit, nisi decernere, cum adsistentia Spiritus Sancti. aliquod speciale individuum humanae familiae sub illa regula contineri. Quapropter et in decernendis causis canonizationis Sanctorum, multiplex et diligens studium impenditur, maxime quod spectat ad examen miraculorum intercessione alicuius servi Dei patratorum; Spiritus Sanctus autem Pontifici adsistit ne in ferenda sententia de illius sanctitate error incurratur, quod est, dat ei lumen propheticum ad iudicandum.

Quae cum ita sint, nobis firmiter tenendum videtur, contra aliquos theologos, Summum Pontificum, in decernenda alicuius Sancti canonizatione, infallibilem esse, cum nil omnino in talibus decretis ferendis desit eorum quae ad exercitium ministerii cathedratici requiruntur. Res enim de qua agitur ad veritatem catholicam intime pertinet; nam, ut notat Melchior Canus [1], *non differt diabolum colas, an hominem condemnatum;* deinde, studium illud adhibetur, quod in decernendis maioribus causis conferri solet: denique, talis adest et in praeparatione diligentia et in decreto ferendo solemnitas, qualis pro definitionibus, vel solemnioribus, desiderari et sufficere omnino possit et debeat.

22. — Praeoccupatur obiectio. — Non me latet plures theologos, eosque magni nominis, ut Ioannem a S. Thoma, et Theophilum Raynaudum [2], innixos auctoritati S. Thomae, dicentis [3] canonizationem Sanctorum esse quid medium inter res fidei et res particulares, docere eamdem pertinere ad fidem solum *reductive*, cum gloria canonizati neque reve-

[1] L. V de Locis, 5, conclus. 3, n. 44. Romae, 1900, vol. I, p. 301, — [2] Apud Benedictum XIV. de Beatif. et Canoniz. SS. Synopsis l. I. Cap. LXV, p. 67. — [3] Quodlib. IX, art. 16.

lata sit, neque in Scripturis aut Traditione contineatur; ideoque negantem non esse formaliter haereticum, sed solum theologica censura dignum.

Cui respondent nonnulli theologi [1], qualitates salvandorum sufficienter esse delineatas in Scripturis, ut dici possit Deus hoc modo implicite revelasse quinam sint salvati, et Pontificem, exploratis virtutibus et miraculis alicuius Servi Dei, ex adsistentia Spiritus Sancti infallibilliter cognoscere, illum esse ex iis quos Deus regnaturos generaliter revelavit. Quibus opinionibus hinc inde expositis, monet Benedictus XIV [2] quod, cum de hac re definitiva sententia nondum prodierit, si quis negaret Summum Pontificem in Sanctorum canonizatione esse infallibilem, aut ab eo canonizatum esse revera Sanctum, non esset dicendus formaliter haereticus. Quae quidem responsio pro foro externo, at certe non pro interno, iuxta explicata, valebit.

23. — Solutio. — Dicendum igitur, aliud esse quod Summus Pontifex sit infallibilis in decernenda canonizatione alicuius Sancti, aliud vero quod de fide sit hunc Sanctum, quem Pontifex canonizat, esse in caelo beatum. Et primum quidem directe revelatum est; alterum vero dici nequit directe revelatum, cum nuspiam inveniatur consignatum, sive in authentica Scriptura, sive in traditione.

Hac distinctione prae oculis habita, constat cur S. Thomas dixerit [3] canonizationem Sanctorum esse quid medium inter res fidei, scilicet divino-catholicae, et res particulares; nimirum, in rebus fidei Pontifex est infallibilis et res definita directe revelata est; in rebus autem particularibus, nec Pontifex infallibilis est, nec res decreta est revelata; in canonizatione autem Sanctorum de fide quidem divino-catholica est, Pontificem esse infallibilem seu errare non posse, sed obiectum eius decreti, quod est hunc Sanctum esse in caelo, est de fide ecclesiastica, sensu superius explicato [4],

[1] Apud Benedict. XIV, loco cit. — [2] Loco cit. — [3] Quodlib. IX, art. 16. Vide egregium commentarium huius loci S. Thomae apud laudatum Marín-Sola, Evolution, etc., t. I, p. 448, seq. — [4] Pp. 195; 201; 227.

id est ratione obiecti: nam, in se, fides ista et ipsa divina est: unde, aeque peccaret, qui unum alterumve negaret.

Huc faciunt praeclara verba S. Doctoris [1]: *Quia honor quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit.* Qui etiam solvens difficultatem ex hoc petitam quod nemo unquam potest certior reddi de statu interno animae suae, et multo minus de statu animae aliorum, ait [2]: *Pontifex, cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius per inquisitionem vitae et attestationem miraculorum; et praecipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei;* et addit [3]: *Divina providentia praeservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.* — Ubi, per divinam providentiam, aut instinctum Spiritus Sancti, intelligendum est, ut diximus [4], lumen propheticum *ad iudicandum.*

24. — Corollarium. — Quae cum ita sint, concludendum est, vana spe illos decipi, qui confidunt tempus adventurum esse, cum de pluribus, quae nunc omnino ignota manent, certam simus notitiam adepturi, ut, puta, de die iudicii, aut de numero praedestinatorum: haec enim Deus revelare noluit, cum de illo quidem expresse dixerit Dominus Noster [5]: *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater;* de hoc autem Ecclesia canat [6]: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in suprema felicitate locandus.*

Sane, qui talia expetunt, haud propius ad veritatem accedere videntur quam Montanus, Prisca et Maximilla, qui olim delirantes posuerunt Christi Domini promissionem de Spiritu Sancto dando non fuisse completam in Apostolis, sed in semetipsis [7]; quinimmo aeque a vero distant ac perfidi Manichaei, qui effutiebant revelationem fuisse perfectam in suo duce Manete, quem plurimum desipientes di-

[1] Loco cit. — [2] Ad 1m. — [3] Ad 2m. — [4] Quaest. II, art. 1, n. 7, p. 117. — [5] Matth., XXIV, 36. — [6] Orat. secret. pro vivis et defunctis. — [7] Cf. S. Augustin., L. de Haeresi 26 et 46. Opp., t. VIII; col. 10, 17.

cebant esse Spiritum Paraclitum; unde tum illi tum isti, ut advertit S. Thomas [1], Actus Apostolorum recipere nolebant, in quibus manifeste ostenditur quod illa promissio fuit in Apostolis completa, sicut Dominus eis iterato promisit [2]: *Baptizabini Spiritu Sancto non post multos hos dies*; quod impletum legitur [3]: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, etc.

Notandum est quod de Manichaeis scribit S. Augustinus [4]: *Promissionem Domini Iesu Christi de Paraclito Spiritu Sancto in suo haeresiarcha Manichaeo dicunt esse completam. Unde se in suis litteris Iesu Christi apostolum dicit, eo quod Iesus Christus se missurum esse promiserit atque in illo miserit Spiritum Sanctum. Propter quod etiam ipse Manichaeus duodecim discipulos habuit, ad instar apostolici numeri, quem numerum Manichaei hodieque custodiunt.*

25. — Falsa sententia circa diem iudicii. — Ex his apparet, recipi non posse sententiam contendentium mundi finem hoc pacto eventurum esse, quod paulatim decrescente, in corporibus caelestibus, vi motiva initio ipsis indita [5], eorum circuli gradatim diminui debeant, usquedum tandem denique omnia corpora caelestia in collisionem ventura sint. — Sane, imprimis, de tali diminutione vis motricis in corporibus caelestibus nil astronomi deprehenderunt: et si quidem per hypothesim, crescente instrumentorum perfectione, deprehendi posset, tunc cum certitudine tandem cognosci valeret dies iudicii, quod est contra expressam Scripturae litteram. Ceterum, semper periculosa res est nova de dogmatibus, vel de iis quae cum dogmatibus intime connectuntur, velle moliri. — Opportune hic recoli potest, a Pio II, die 14 Novembris 1459, damnatum fuisse errorem Zanini de Solcia, dicentis *mundum naturaliter consumi et finiri debere, humiditatem terrae et aeris calore solis consumente, ita ut elementa accendantur* [6].

[1] 1 2ae, Quaest. CVI, art. 4, ad 2m. — [2] Act., I, 5. — [3] Ibid., II, 4. — [4] Loco cit. — [5] Bewegungsanstoss. — [6] Denzinger, 14a ed., n. 3031.

Articulus IV. *Utram exspectare liceat sive ex scientiis naturalibus, sive ex elaboratione conscientiae christianae, novam quamdam interpretationem traditae revelationis.*

1. — Modernistarum figmenta. — Cum iam superius viderimus modernistarum plures mutationem in dogmate catholico introduci contendisse, tum ex parte ipsius dogmatis [1], tum ex parte extensionis revelationis christianae [2], nunc consideranda veniunt eorum placita, qui mutationis momenta ex dogmatis interpretatione repeti volunt, quatenus eaedem quidem formulae, diversis temporibus ac circumstantiis, diversam patiantur intelligentiam. — Horum autem placita ad duo capita commode reducuntur: scilicet, vel quia dicatur, excultis scientiis naturalibus, fidei notitiam, quae illis proportionaliter respondet, augeri debere; vel quia supponatur dogma catholicum, a conscientia christiana opportune elaboratum, iugi subiacere transformationi.

2. — Systema dicentium notitiam fidei, cum scientiis naturalibus proportionaliter augeri debere. — Et quidem quod ad primum attinet, quemadmodum humani ingenii exercitatione, nova scientiarum positivarum placita in dies succrescere videmus, ita qui nova moliuntur, blanda spe sese erigi sinunt, haud longe diem abfuturam esse, cum magis magisque excultis scientiis naturalibus, novae fidei formulae, praeter, non contra, hucusque recepta dogmata, humano generi proponendae sint. Sane intima est ordinis naturalis cum supernaturali connexio; unde impossibile est, aiunt, illius ordinis cognitione crescente, augmentum in notitia veritatum huius ordinis non sequi; et sic, multiplicatis iam adinventis scientiarum positivarum et veritatibus naturalibus incrementa suscipientibus, exspectandum erit ut, opportuno studio plures novae huius ordinis supernaturalis veritates, temporis decursu, deprehendantur.

[1] Art. 1. — [2] Art. 2, 3.

3. — Refutatur huiusmodi systema. — Equidem concedimus, inter utrumque ordinem, quamdam servari analogiam, non tamen perfectam similitudinem, proindeque non omnia quae de uno ordine dicuntur, ad alterum extendi posse. Nimirum, in utroque ordine hoc invenitur quod, quia uterque a Deo immediate processit, Dei autem opera sunt perfecta, ideo uterque, quantum eius natura patitur, statim perfectus evasit: unde et perfectum fuit opus sex dierum et Ecclesia e morientis Redemptoris latere perfecta prodivit. Et haec quidem perfectio, non solum in ordine reali, sed etiam in ordine logico obtinuit; nam Adam statim ac a Deo fuit formatus, sibi inditam habuit scientiam omnium veritatum tum naturalium, tum supernaturalium, quae ad ipsum spectabant: hoc tamen pacto ut illam posteris transmitteret, cum esset proprie totius humani generis caput et instructor.

Superveniente autem originali peccato, iam ignorantiae tenebrae mentem Adae eiusque posterorum suffuderunt: non quidem hoc pacto ut omnem veritatis, sive naturalis, sive supernaturalis, notitiam sibi infusam Adam amitteret, sed hoc sensu quod hae quidem veritates, maxime quod ad ordinem supernaturalem spectat, in ipso quidem Adam iam aliquantisper obscuratae, in eius posteris debilius reciperentur, et temporis tractu, imperfectius adhuc a patre ad filium transmitterentur.

Quocirca, quod ad veritates quidem naturales spectat, debuit homo multum laborare ut eas sibi rursus compararet, per plures circuitus errorum perveniendo tandem ad illam philosophicarum veritatum possessionem, quam, verbi gratia, in Aristotele obtentam esse videmus. Cum autem supernaturales veritates eae sint quas homo per se acquirere non valet, hinc earum cognitione temporis tractu pene corrupta, necesse fuit Deum illas homini denuo revelare: quod praestitit inchoative quidem sub Patriarchis et lege Moysi, perfective autem per Christum Unigenitum suum: et praecise quia veritates istae omnino superant captum humanae mentis, ideo a Deo revelari omnes debuerunt, licet, ex iisdem revelatis homo plura deducere possit ad ordinem supernaturalem penitius cognoscendum et firmius amplectendum.

Sic igitur Ecclesia ita per Christum fundata est et per Apostolos propagata, ut iam tunc esset in plena possessione revelationis; etsi veritates supernaturales explicitius adhuc cognosci et enucleatius tradi, temporis decursu, deberent.

4. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec dicatur priscos illos Christianos rudiores fuisse, quam ut tam sublimem doctrinam ferre possent: non enim incassum Dominus noster promiserat se fidelibus daturum esse Spiritum Sanctum, cuius opera eorum corda illuminarentur: unde cum Apostoli a Christo primum audiisent [1]: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, postea, Christo scilicet iam in caelum conscenso, *repleti sunt Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus debat eloqui illis* [2].

5. — **Modernistarum error de evolutione dogmatis in conscientia christiana elaborati.** — Quae cum ita constiterint, pronum est ut de illo modernistarum figmento agamus, novam dogmatis catholici interpretationem, seu, ut aiunt, evolutionem, petentium ex elaboratione christianae conscientiae, operante utique, ut aiunt, Spiritu Sancto.

Equidem, non omnes modernistae concedunt evolutionem huiusmodi Spiritui Sancto esse attribuendam, cum plures vel a nominando Spiritu Sancto abhorrere videantur, plurimi quoque eorum, quaerenti quid sit Spiritus Sanctus, respondere fors deberent illud discipulorum Ephesi [3]: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus.* — Hos igitur, in sola et nuda evolutione conscientiae christianae progressum cognitionis dogmatis reponentes, relinquere possumus: cum eorum systema, in mera immanentia vitali fundatum, satis in Encyclica *Pascendi Dominici Gregis* refutatum habeatur.

Subtilior igitur et exitialior est opinio ponentium huiusmodi evolutionem deberi Spiritui Sancto, operanti non per dona sua, sed immediate in uniuscuiusque intima conscientia.

6. — **Fundamentum huius erroris.** — Videtur fundamentum huius erroris repositum esse in doctrina ameri-

[1] Io., XVI, 12. — [2] Act., II, 4. — [3] Ibid., XIX, 2.

canistarum [1] qui, sententias Isaaci Thomae Hecker secuti [2], contendebant tempus advenisse pro nova, eaque longe ampliori in Ecclesia Spiritus Sancti interna actione, quatenus transactis iam temporibus, quibus magis necessaria videbatur, contra protestantes, exterioris auctoritatis assertio, haec iam locum cedere debeat interno impulsui Spiritus Sancti, unumquemque hominem ad veritatem per se immediate perducentis. Doctrinam hanc, una cum ceteris americanismi erroribus, ita exponit Leo XIII [3]: *Principio enim externum magisterium omne ab iis qui christianae perfectioni adipiscendae studere velint, tanquam superfluum, imo etiam minus utile reiicitur: ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit.*

Igitur, primo loco supponi debet, aiunt illi, initium omnis progressus in dogmatis cognitione, in aliqua innata subiecti indigentia (*bisogno*) collocari, cui correspondeat certus quidam sensus internus (*sentimento*); et proinde supposito quod fides in Deum et res divinas reponi debeat in isto sensu interno ex indigentia seu desiderio divinitatis orto, iam concludere fas est, omnem evolutionem seu progressum in cognitione dogmatis catholici esse originaliter attribuendum Spiritus Sancti operationi, hanc specialem indigentiam seu concupiscentiam et hunc internum sensum in anima immediate excitantis [4], ut sic consecratis formulis nova quaedam interpretatio tribuatur.

[1] Americanistis praeiverat sacerdos quidam, nomine Andreas Towianski, qui fundator, nedum praecursor, dici potest recentiorum illuminatorum qui se *Equites Spiritus Sancti* vocitare non dubitarunt. Illius opera, in quibus peregrinae omnino doctrinae defendebantur ab Indice iam pridem damnata sunt, 21 April. 1850. — Ad hanc rem revocari potest condemnatio a S. Officio lata 20 Aug. 1894, in tres Foederatorum Americae Statuum societates, vid., *Odd Fellows, Sons of Temperance*, et *Knights of Pythia*. Acta Leonis XIII, vol. XIV, p. 292. — [2] The life of Father Hecker, by Rev. Walter Elliott, second ed. New-York, 1894, chap. XXVII, *Father Hecker's spiritual doctrine*. — [3] Ep. *Testem benevolentiae*, ad Archiep. Baltimor., 22 Ian., 1899 Acta Leonis XIII, t. XIX, p. 11. — [4] Cf. Encycl. *Pascendi*, paulo post init.

7. — Consectaria ex praeiactis placitis. — Quae autem inde logice sequuntur, et a modernistis ultro suscipiuntur, paucis accipere libet. Nimirum, imprimis, quod ad revelationem generaliter attinet, edisserunt hanc nihil aliud esse, quam acquisitam ab homine conscientiam suae relationis ad Deum [1], quatenus notio huiusmodi relationis in conscientia ex praedictis criteriis elaborata acquiratur. Deinde, dogmata quae Ecclesia proponit ceu revelata, non sunt habenda tanquam veritates e caelo delapsae aut annuntiatae; sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit [2]. Quaerenti autem undenam proveniat doctrina quam de Christi divinitate tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum et Chalcedonense, et quam fideles retinent, responsio dabitur, hanc non esse ipsam doctrinam quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana [3]. Unde etiam facta in Evangeliis narrata, et maxime resurrectio Salvatoris, non sunt proprie facta ordinis mere supernaturalis, nec demonstrata aut demonstrabilia, sed a conscientia christiana sensim derivata [4]. — Denique, quod attinet generaliter tum ad notionem, tum ad realitatem dogmatum, sacramentorum et hierarchiarum, dicendum est haec non esse nisi interpretationes et evolutiones intelligentiae christianae, quibus exiguum germen in Evangelio latens auctum est atque perfectum [5].

Ut diligenter consideranti patet, huiusmodi positiones hoc unum evincunt, nempe unumquemque hominem, internae conscientiae labore, efformare seu effingere sibi, iuxta modum suum, ac sub Spiritus Sancti influxu, notionem tum revelationis in generali, tum uniuscuiusque dogmatis in speciali: ita ut nostra de dogmate cognitio dici possit partus mentis nostrae, hoc sensu ut non solum primum desiderium huius cognitionis sit in nobis a Spiritu Sancto, sed etiam conatus omnis quo ad hanc cognitionem devenimus, necnon perventio ipsa, quin opus sit mentis aciem ad extra convertere.

[3] Decret. *Lamentabili*, prop. 20. — [2] Prop. 22. — [3] Prop. 27 et 31. — [4] Prop. 36. — [5] Prop. 54.

8. — PROP. — Reiiciendum est systema elaborationis conscientiae.

9. — Auctoritas. — Primo loco, modernistico huic figmento aperte contradicit solemne illud S. Pauli [1]: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Nimirum, ut explicat Angelicus Doctor [2], *ad fidem duo concurrunt: primo quidem habitus intellectus, quo disponitur ad obediendum voluntati tendenti in divinam veritatem; intellectus enim assentit veritati fidei, non quasi convinctus ratione, sed quasi imperatus a voluntate, nullus enim credit nisi volens, ut Augustinus dicit* [3], *et quantum ad hoc fides est a solo Deo; secundo, requiritur ad fidem quod credibilia proponantur credenti; et hoc quidem fit per hominem; secundum quod* FIDES EST EX AUDITU...: *sed per angelos principaliter, per quos hominibus revelantur divina.*

10. — Rat. theol. — Porro, advertendum est, Spiritum Sanctum, in fidei propagatione, sicut in omnibus operibus gratiae et naturae, ita procedere, ut ordinem causarum secundarum, quantum possibile sit, servet, cum praecise effectus species suas sortiantur ex causis secundis, et nonnisi per miraculum ordo causarum secundarum unquam seponatur: fidei autem propagatio miraculum non est. Igitur, si immediata causa cognitionis revelationis sit subiecti indigentia et sensus ille intimus, cum huiusmodi varientur in singulis individuis, impossibile erit ut habeatur unitas in revelatione et doctrina: nam unitas non sumitur a principio remoto, sed a principio proximo, sicut non sumitur unitas plantarum ex sole qui est causa tantum remota vegetationis, sed a specifica differentia seminum: et quidem praecise deest unitas specifica in plantis, quia unaquaeque planta propriam habet causam, quae est semen specifice distinctum a seminibus aliarum plantarum. Cum igitur in unoquoque homine diversa sint et indigentia et sensus seu instinctus, ideo diversa quoque esse deberet in unoquoque apprehensio revelationis et dogmatum in revelatione contentorum, si quidem initium cognitionis nostrae de veritatibus fidei esset accipiendum ex

[1] Rom., X, 17. — [2] 1, Quaest. CXI, art. 1, ad 1[m]. — [3] Tract. XXVI in Ioan., a princ.

praefata indigentia sub Spiritus Sancti immediata operatione, complenda. — Sane, ex hoc errore promanasse videtur perniciosissimus ille hodierni temporis error, unamquamque religionem bonam esse et de se hominem ad felicitatem perducere, dummodo quis illius dictamen fideliter sequi non detrectet [1].

At, dato quoque singulorum hominum indigentiam sensumque aequales esse, quomodo certiores fieri poterimus, conatum conscientiae ad illud obtinendum ad quod instinctus noster fertur, conformem esse nedum rationi naturali, verum etiam ordini supernaturali? Sane notum cuique esse debet, ex peccato originali relictam fuisse, in inferioribus facultatibus animae, acrem pugnam contra rationem, iuxta illud S. Pauli [2]: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Sed, etsi esset perfecta harmonia sensuum cum ratione, profecto revelatio et quidquid ad ordinem supernaturalem pertinet adeo naturae captum superat, ut haec impar sit vel minimum desiderium in illo ordine eliciendi, iuxta illud Sancti Pauli [3]: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* Nimirum, impar omnino est sensus ille, cuius radix in subconscientia, iuxta modernistas, latet, vel minimum desiderium eliciendo de rebus ad ordinem supernaturalem spectantibus; quinimmo iste sensus, etiam quantum ad ea quae ad ordinem naturalem spectant, indiget regulari et moderari per rationem, cum de se caecus sit et ad malum propensus.

Haec porro divini indigentia, ait Pius X [4] *quia non nisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in* SUBCONSCIENTIA, *ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa.*

11. — Falsus conscientiae conceptus. — Denique advertendum est, pessumdari a modernistis conceptum conscientiae,

[1] Cf. Syllabum Pii IX, prop. 15, 16, 17, 18. — [2] Rom., VII, 23. — [3] 1 Cor., II, 9. — [4] Encycl. Pascendi.

cui ipsi attribuunt munus dogmata aut dogmatum cognitionem elaborandi: cum iuxta sanae philosophiae principia, *conscientia*, quasi *cum alio scientia*, proprie significet applicationem scientiae practicae, quam possidemus, ad actus nostros, secundum quod conscientia, in nobis, aut testificatur nos aliquid fecisse vel non fecisse, aut iudicat aliquid esse faciendum vel omittendum, aut decernit aliquid quod est factum, esse recte vel non recte factum, quo sensu interdum dicitur excusare vel accusare aut remordere seu reprehendere [1]. Quia tamen actus conscientiae procedit, tanquam a principio, ab habitu naturali primorum principiorum moralium qui synderesis vocatur, cui correspondet *intellectus principiorum*, qui est habitus naturalis primorum principiorum speculativorum; ideo per figuram synecdochen, qua effectus nominatur nomine causae, ipsa conscientia interdum dicitur synderesis, aut naturale iudicatorium, seu lex intellectus nostri [2]. At nullo modo labor mentis veritatem speculativam investigantis potest conscientiae tribui.

12. — Fundamentum systematis elaborationis conscientiae christianae. — Ut autem clarius appareat falsitas systematis quod impugnamus, iuxta quod *religiosus sensus, qui per vitalem immanentiam e latebris subconscientiae erumpit, germen est totius religionis, ac ratio pariter omnium quae in religione quavis fuere aut sunt futura* [3], iuvabit breviter repetere quaenam sint fundamenta quibus audax modernistarum molimen innititur. Nimirum haec duo sunt, scilicet evolutionismus Spencer et subiectivismus Kant; et quidem ad evolutionismum Spencerianum pertinet indigentia illa qua subiectum excitatur ad nova doctrinae capita suscipienda; ad subiectivismum vero Kantianum referri debet sensus ille religiosus, qui in conscientia manifestatus, illam excitat ad dogmata sibi elaboranda. — Fidenter dicimus, in omnibus modernistarum operibus, vestigia iugiter deprehendere est huius duplicis elementi, quod illi, immediate, vel mediate, ex praefatis philosophis anglico et ger-

[1] 1, Quaest. LXXIX, art. 13. — [2] Ibid., art. 12. — [3] Encycl. *Pascendi*.

manico, neglecta saniori philosophia scholastica, mutuati sunt.

Et primo quidem, quod ad Spencer attinet, notum est illum Darwinii principia ad ordines physicum, moralem, socialem applicata, ad religionem usque extendisse, ita sensus religiosus omnisque religionis forma, iuxta eum, ex quadam primigenia naturae indigentia evoluta dici debeant [1]. Modum autem huius evolutionis modernistae in Kantii principiis deprehendere conati sunt: nimirum cum, iuxta hunc germanum philosophum, phaenomena in hoc a noumenis distingui debeant, quod illa subiectivam quamdam perceptionem sensilem rapraesentent, tanquam elementum materiale nostrarum cognitionum, haec autem ipsam obiectivam realitatem, tanquam elementum formale menti nostrae a priori innatum, hinc cognitio completur, secundum quod applicatur forma illa a priori ad elementum sensibus subministratum. Huc revocari debet et Rosminii idealismus, ad quem omnia philosophorum subiectivistarum systemata ultimo reduci possunt. — Iuxta hoc systema, habebitur quidem in Ecclesia externus processus eventuum et mutationum: at horum omnium ea dabitur interpretatio, quam unusquisque, secundum ideam sibi innatam, seu notionem sibi congenitam, elaboraverit: praedicta autem duo agentia, scilicet indigentia et sensus intimus, saltem iuxta scrupulosiores modernistas, a Spiritu Sancto dicenda erunt derivata.

13. — Modernistarum figmenta. — Qua ratione, ex erroneis hisce principiis, tota scateat modernistica lues, clarius patebit, si pauca tantum ex eorum scriptis deprompserimus· Nimirum, quaerenti primum quid sit fides, respondent eam aliud non esse, nisi ipsam vitam christiane traductam, quae per elaborationem intellectualem, conformem variis categoriis philosophicis diversorum temporum, originem dedit diversis et successivis formulis.

Quocirca, aiunt, christiana religio accepit α) a stoicismo

[1] Quomodo recentiores evolutionistae religionum originem ex transformismi principiis repetant, exposuimus in libro, *L'opera dei sei giorni*, P. II, c. VII, p. 263. Firenze, 1904.

praecepta et formulas altissimae moralitatis; β) a philosophia platonica et aristotelica schema et impulsionem relate ad evolutionem dogmatis et formulas adhibendas; γ) a romano imperio elementum hierarchicum et constitutionale; demum δ) ab anima semitica Christi novam revelationem relationis hominis ad Deum, id est notionem paternitatis divinae. — Hinc, aiunt, ad Ecclesiam non pertinet dogmata authentice inter pretari, cum eius sit solum congruas dogmatibus praebere formulas, quas fideles suscipiunt, de illis sumendo conscientiam et sensum illis attribuendo personalem et subiectivum. Unde, quando iam formula aliqua amplius apta non est exprimendae novae emotioni seu sensui religioso alicuius determinatae epocae, transformari debet. Relate autem ad fundamentalem de Dei existentia veritatem, argumenta ex principio causalitatis deprompta nullius sunt valoris: unicum validum argumentum est argumentum morale Kantianum. Denique, ut plura omittam, apologia christianae religionis relativa est, nec obiective quidquam ei inest, cui valor absolutus, perfectus et universalis possit tribui.

Uno verbo, quaerenti qualiter progressus in fide, temporum decursu, fuerit habitus, responsio dabitur, quod *evolutio vitalis progressum dedit... non novitate formarum extrinsecum accidentium, sed ex pervasione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam* [1].

14. — Quo pacto modernistae concilient elaborationem conscientiae cum exercitio auctoritatis. — Porro, cum multiplices conatus modernismi huc ultimo collineent, ut auctoritatis in Ecclesia divinitus constitutae vim penitus enervent, non tamen hanc statim auferendam esse conclamant novatores, sed eamdem eo usque sustinendam concedunt, usquedum Ecclesia ipsa inducta fuerit ad id sanciendum, quod christiana conscientia ab ea postulatur.

Nimirum, inter auctoritatem et conscientias privatorum, consensio quaedam hoc pacto inest, ut primo quidem conscientiae privatorum in conscientiam collectivam, uti aiunt, influant, haec vero in viros auctoritatem exercentes, quoad-

[1] Ep. Encycl. *Pascendi*.

usque illos cogat placita sua sancire. Equidem haud possibile est formulas, quibus dogmata hucusque sunt expressa, statim immutare: id tamen aliquando futurum esse confidunt, quando, scilicet conscientia collectiva sat fuerit evoluta. Pro nunc igitur standum est formulis receptis, ita tamen, ut distinguantur formulae ipsae ab eo quod formulis continetur. Nam Ecclesia a doctis viris accipit et ad tempus consecrat aliquam formulam ab ipsis selectam et elaboratam, puta vocem *transubstantiatio*, tanquam pro nunc opportuniorem; fidelium autem officium non est ut formulis adhaereant, sed ut conentur per ipsas formulas pertingere ad incognitum, quod symbolice, licet imperfectissime, in praedictis formulis repraesentatur. Igitur, dato semel formulam aliquam inadaequatam esse repraesentando conceptui divino, aut exprimendo novo sensui fidelium, iam ipsa alteri formulae locum cedere debebit.

Quia autem modernistae hinc quidem huiusmodi mutationem nonnisi lente peragi posse agnoscunt, illinc vero necessitatem proclamant cavendi ab inconsultis impulsionibus quibus opus transformationis pessumdari posset, ideo, aiunt, constitutae auctoritatis partes esse, praedictae elaborationi conscientiae collectivae moderari: unde ei parendum esse, exteriori, non interiori, obsequio fatentur, quatenus necesse est singulos homines intra Ecclesiae septa manere, ut collectiva conscientia possit, viribus simul adunatis, sensim immutari. At, si auctoritas suum munus exequitur modernismi duces interdum carpendo, ipsi tamen conscientia recte facti eriguntur: aliunde *non ipsos latet progressiones sine certaminibus haud fieri, nec sine victimis certamina: sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetae et Christus* [1].

15. — Scholia. — I. Quam abusive sacrum auctoritatis ecclesiasticae munus hic traducatur, quis non videat? Ipsi nimirum non, ut hucusque retentum est, officium competit, iuxta Christi promissionem praeeundi, veritatis tramitem indicando, et iubendo ut omnes per hunc tramitem incedant:

[1] Ep. Encycl. *Pascendi*

sed, tanquam humilis pedissequa, sensus popularis presso gressu vestigia legit, ab eo edocetur, eiusque placita, quaecumque demum illa sint, sancit et consecrat. Quid autem de praelatis in auctoritate constitutis ? Isti, maxime Pontifex Romanus, non sunt pastores qui oves ad sana pascua, a venenatis arceant pabulis; sed ad summum canes gregem sequentes, et circa illum cursitantes latrando, ne oves erraticae foris vagentur. — Num manifestior dari potest doctrinae Christi ac Patrum perversio ?

II. Quia autem de auctoritate sermonem facimus, non possumus non succensere illis scriptoribus, qui se forsan acatholicos dici nolunt, et tamen nullam mittunt occasionem de Ecclesiae praelatis detrahendi, cum gravi fidelium scandalo et auctoritatis damno; quibus profecto scriptoribus potest illud Exodi applicari [1]: *Bestia* (quae) *tetigerit montem lapidabitur*, necnon illud quod in secundo libro Regum legitur [2], nempe Ozam percussum fuisse a Domino, quia tetigit arcam foederis; per montem vero et per arcam significantur legitimi Ecclesiae praelati [3].

16. — Quantum distet praefatum systema elaborationis conscientiae christianae a doctrina S. Augustini de rationibus seminalibus. — Quia autem nonnullis visum est, modernistico systemati, quod modo impugnavimus, de conscientia christiana suum sibi elaborante fidei symbolum, affinem esse celeberrimam Doctoris Hipponensis sententiam de rationibus seminalibus rerum, iuverit hic comparationem instituere inter utramque doctrinam, quo magis illius modernisticae labis falsitas appareat, et ex adverso catholica veritas splendidius elucescat.

Posuit ergo S. Augustinus mundum ita fuisse a Deo in initio conditum, ut singulae species rerum in potentia, non in actu, existerent, quatenus in ipso mundo omnium praeextiterint semina, temporis decursu, evolvenda [4]. Huic positioni, ad cosmologiam spectanti, aliam subnexuit S. Doctor

[1] C. XIX, 13, iuxta Hebr., XII, 20. — [2] VI, 7. — [3] Cf. 2 2ae, Quaest. XXXIII, art. 4, ad 1m. — [4] Hanc S. Augustini sententiam fuse exposuimus in libro, *L'opera dei sei giorni*, P. I, c. VI.

ad ideologiam pertinentem: iuxta quam insunt menti nostrae rationes et veluti semina omnium veritatum cognoscendarum. — Haec utique Augustini sententia, ex Platone, cuius doctrinis ille fuerat imbutus, mutuata, absolute loquendo, id est ut materialiter sonat, sensu modernistico posset forsan accipi: at, ut exponit S. Thomas, alio sensu, qui scilicet menti Doctoris Hipponensis conformis est, debet explicari, quatenus nempe adest in homine innata aptitudo ad prima rerum principia, tum speculativa, tum practica, rite cognoscenda. Huic autem naturali aptitudini, correspondet, in ordine supernaturali, habilitas quaedam, ex virtute fidei relicta, ad mysteria in revelatione contenta percipienda.

Ex donis autem intellectus, sapientiae et scientiae, ut vidimus, exsurgit in homine sensus quidam divinus et sapor rerum fidei, necnon delectatio quaedam de mysteriis revelatis, una cum desiderio ulteriora cognoscendi: unde sicut ex desiderio cognoscendi res naturales ortum habuit philosophia, ita ex desiderio cognoscendi res supernaturales ortum habuit sacra theologia, quae praecise in evolvenda semina fidei incumbit. Unde de sapientia legitur [1]: *Praeoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat... Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia.* Hoc sensu igitur intelligendum est quod passim habet S. Augustinus de rationibus seminalibus ad ordinem supernaturalem applicatis.

17. — Authenticae hac de re declarationes. — Quomodo nulla sit expectanda novorum dogmatum fidei interpretatio, imo excludatur possibilitas attribuendi receptis dogmatibus novum sensum, praeter illum hucusque receptum, expresse traditur in Concilio Vaticano [2]: *Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, anathema sit.* Ubi uberius haec traduntur [3]: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae*

[1] Sap. VI, 14, 18. — [2] Constitut. de fide cath., IV, 3. — [3] Ibid., cap. VI, 3.

tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.

Expressius adhuc a Pio X [1], error quem hic impugnamus, de novis veritatibus fidei deposito superaddendis, reprobatur sequentibus propositionibus: *Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit,non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum* [2]. — *Matrimonium non potuit evadere sacramentum Novae Legis nisi serius in Ecclesia; siquidem, ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio* [3]. — *Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibusapplicabile non docuit; sed potius inchoavit motum quemdam religiosum, diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum* [4].

18. — Error dicentium, ideo quasdam propositiones condemnari, quia tempus nondum advenit easdem proclamandi. — Quae cum ita sint, longe a vero aberrare dicendi sunt, qui idcirco quasdam propositiones ab Ecclesia condemnari autumant, quia nondum tempus advenerit eas palam proclamandi: qui praeterea addunt, debere talium propositionum auctores praelatis eas condemnantibus se subiicere, id exigente ordinato rerum processu, cum sic aestimationem hominum sibi conciliari melius possint, ipsique patienter exspe-

[1] In decreto *Lamentabili*, 3 Iulii, 1907. — [2] Prop. 46. — [3] Prop. 51. — [4] Prop. 59. Cf. de hisce Encycl. PASCENDI, passim. Cumulum hunc errorum ita in synthesi reduxit G. Tyrrell: *May not Catholicism like Judaism have to die in order that it may live again in a greater and grander form? Has not every organism got its limits of development after which it must decay and be content to survive in its progeny? Wine-skins stretch, but only within measure: for there comes at last a bursting-point when new ones must be provided.* A much- abused Latter, p. 89. Longmans, 1906.

ctare tempus maturius, quo tales doctrinae opportunius et efficacius praedicari queant. Haec quidem praxis, quam videmus a modernistis generaliter adoptatam, profecto supponit aut dogmata variabilia esse, aut novas revelationes esse exspectandas, praeter id quod hucusque traditum est: quae duo extranea omnino sunt a catholica veritate [1].

[1] Huic agendi rationi pro qua propugnanda scripsisse invenitur Fogazzaro librum *Il Santo*, qui in Indicem librorum prohibitorum relatus est, aliquam forsan praebebit occasionem haec sententia Card Newman (Apologia, p. 259): *In reading ecclesiastical history, when I was an Anglican, it used to be forcibly brought home to me how the initial error of what afterwards became heresy was the urging forward some truth against the prohibition of authority at an unseasonable time*, etc. At etsi hunc Cardinalis Newman locum in bonam partem trahi haud difficile sit, quae tamen hoc sensu proferuntur a modernistis graviora sunt quam ut benignam patiantur interpretationem. Hinc nonnisi per calumniam scripsit recentissime G. Tyrrel: *The solidarity of Newmanism with Modernism cannot be denied. New man might have shuddered at his progeny, but it is none the less his*, etc. The prospect of Modernism, in The Hibbert Journal, Jan. 1908, p. 243.

QUAESTIO QUINTA.

DE AUGMENTO SEU PROGRESSU SACRAE DOCTRINAE SEU DOGMATIS CATHOLICI.

PROLOGUS.

1. — Ratio quaestionis. — Cum sacra Doctrina, seu Dogma catholicum, rationem habeat cuiusdam depositi Ecclesiae custodiae concrediti, quod per successiones temporum succrevisse intelligitur [1], hinc momentosa nunc proponitur quaestio, qualis progressus seu evolutio sit in eodem admittendus. — Vix dici potest, quam acriter de hac re, circa quam totus volvitur modernismi cardo, ultimis hisce temporibus, disputatum fuerit: ad quod dubium dirimendum, non paucae introduci debebunt distinctiones, cum nihil magis inserviat veritati dilucidandae quam perspicua rerum distributio.

2. — Quotuplex augmentum in scientia admitti potest. — Sciendum autem est, augmentum in habitibus qui important ordinem ad aliquid, ut est praecise scientia quae importat ordinem ad scibile, dupliciter, ait Angelicus, posse attendi: uno modo, secundum se, prout dicitur, verbi gratia, maior scientia quae ad plura se extendit, sicut etiam dicitur maior sanitas quae plura in humano corpore complectitur; alio modo, secundum participationem subiecti, prout aliqua scientia aequalis quidem secundum obiecta scibilia, magis tamen recipitur in uno quam in alio secundum diversam hominum aptitudinem, vel ex natura vel ex consuetudine: quo etiam modo maior dicitur sanitas in uno individuo quam in alio, quia licet in utroque se extendat ad omnes corporis partes, plus tamen et intensius ab uno quam ab

[1] S. Gregor. M., in Ezech., l. II, Homil. XVI.

alio participatur. Sic igitur, cum quis plures conclusiones geometriae addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiae secundum se ipsam; cum autem expeditius et clarius se habet in eisdem conclusionibus cognoscendis et explicandis, dicitur in eo scientia geometrica augeri secundum participationem subiecti, seu secundum intensionem [1].

3. — **Advertendum.** — Ubi statim advertimus, hic passim a nobis promiscue usurpari terminos *sacra Doctrina*, et *Dogma catholicum:* quia, etsi Dogma catholicum proprie respiciat omnes veritates quas fideles, proponente Ecclesia, tenere debent, sacra Doctrina autem, ut saepe dictum est, abstrahat a ratione sciti vel crediti, tamen ipsa quoque ad fidei depositum reductive pertinet, quatenus, hac negata, necesse sit catholicum Dogma detrimentum pati.

Ut cuique vel leviter oculos in schema subiiciendum coniicienti facile constabit, quaestio de progressu seu evolutione sacrae Doctrinae et Dogmatis catholici plura in se claudit problemata, quibus responsionem dari oportebit, non qualis ex unius vel alterius scriptoris placitis deducitur, sed qualem ex tutissimis theologiae principiis hauriendam esse ipsa ratio monstrabit.

4. — **Ordo quaestionis.** — Enimvero ut quaestio de augmento, seu progressu sacrae Doctrinae seu Dogmatis catholici plena tractetur, necesse est illam primo absolute (1-6), secundo, relative examinari, quod est comparatione instituta inter cognitionem unius et cognitionem alterius (7). Augmentum autem in cognitione sacrae Doctrinae, absolute consideratum, duas comprehendit quaestiones: unam, an detur tale augmentum (1), secundam, qualiter efficiatur (2-6). Effici vero potest huiusmodi augmentum mediis tum internis (2-5), tum externis (6). Et media quidem externa sunt sanctorum vita et testimonia martyrum: media vero interna bipartiuntur: nam alia sunt per se (2-4), alia vero per accidens, cuiusmodi sunt haereses, ex quibus occasio datur dogma catholicum in clariorem lucem ponendi (5). Media autem per

[1] 1 2ae, Quaest. LII, art. 2.

se sunt iterum in duplici differentia: nempe, aliud est medium supernaturale, quod est Spiritus Sancti instinctus (2), aliud vero naturale (3-4), et quidem duplex: unum commune omnibus, quod est sacra doctrina scholastica (3); alterum unicuique fidelium proprium, nempe propria exercitatio, seu studium personale (4).



Hinc septem in hac quaestione erunt pertractanda.

Primo. Utrum dari possit in Ecclesia augmentum in manifestatione Doctrinae sacrae.

Secundo. Utrum fideles, sub instinctu Spiritus Sancti, explicitius postea crediderint et retinuerint ea quae implicite tantum in Ecclesia antea tenebantnr.

Tertio. Utrum per sacrae Doctrinae scholasticae evolutionem factus fuerit progressus in cognitione dogmatis fidei.

Quarto. Utrum propria exercitatione et industria, singuli fideles proficere possint in acceptorum dogmatum cognitione.

Quinto. Utrum per succrescentes haereses Dogma catholicum melius dilucidatum fuerit.

Sexto. Utrum per Sanctorum vitam et martyrum testimonia, Dogma catholicum clarificatum fuerit.

Septimo. Utrum cognitio dogmatum fidei catholicae possit esse maior in uno homine quam in alio.

ARTICULUS I. — *Utrum dari possit in Ecclesia augmentum in manifestatione sacrae Doctrinae seu Dogmatis catholici.*

1. — Ratio articuli. — Cum ostenderimus quo pacto tum divina revelatio, tum definitiones Ecclesiae accipi debeant, nunc pronum est ut investigemus, utrum et qualis evolutio in Dogmatis manifestatione, temporis decursu, stante eius immutabilitate, locum habere potuerit: quod quidem hic generaliori ratione determinabitur, relicta articulis subsecuturis eiusdem rei magis particulata expositione, tum per respectum ad Ecclesiam universam, tum relate ad individua eiusdem membra.

Diximus iam [1], duplex in scientiis, absolute loquendo, attendi posse augmentum: unum, ex parte scientiae secundum se consideratae; aliud, secundum participationem subiecti. Cum igitur excludenda sit, non quidem de potentia Dei absoluta, sed de potentia Dei ordinata, possibilitas augmenti in revelatione secundum seipsam, sponte nunc sequitur ut expresse determinetur, utrum et quale augmentum admitti possit quoad clariorem notitiam, uberiorem illustrationem et expeditiorem expositionem eiusdem revelationis in Ecclesia habendam.

2. — Explicita et implicita cognitio. — Porro, ulterior distinctio attendenda est inter id quod explicite cognoscitur,

[1] Prol., n. 2, p. 294.

et id quod implicite tantum teneri potest: nimirum, fieri potest ut quis totum quidem revelationis depositum antea implicite retinens, postea tamen explicitius credat singula puncta in eo contenta; non quidem sic, ut nova dogmata credat, sed ut nove, id est novo explicitiorique modo, ea teneat. — Quae cum ita sint, praesens quaestio intelligi debet de tali augmento in manifestatione dogmatis, quo id postea explicite credatur, quod antea implicite tantum ac velut in radice tenebatur.

3. — PROP. I. — Augmentum aliquod admitti debet in manifestatione dogmatis catholici.

4. — Exponitur. — Equidem, quod aliqua evolutio, seu plenior et explicitior dogmatis praedicatio et manifestatio, labentibus saeculis, haberi debuerit, dubitare vix poterit quisquis Christi Domini verba ad Apostolos parumper perpenderit, aut mentem applicuerit generalissimae illi legi, qua omnia quae in mundo sunt, sive naturalia, sive supernaturalia, reguntur.

Et quidem, quod ad primum attinet, quando Dominus Noster dicebat [1]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*, — quid aliud intendebat, nisi Apostolos suos eorumque successores, necnon totam fidelium multitudinem, sive Ecclesiam, in accepto dogmate, ad fidei aedificationem morumque puritatem, esse profecturam?

Sed et cum processus ordinis supernaturalis aliquo modo correspondeat cursui ordinis naturalis, lex autem in hoc ordine constans, sit ut perfecto anteeat imperfectum, hocque nonnisi gradatim ad sui pleniorem evolutionem perveniat, quid restat, nisi ut revelationis, quae est ordinis supernaturalis forma, expectanda fuerit plenior atque completior manifestatio, sub Spiritus Sancti influxu, temporis lapsu complenda?

[1] Io., XIV, 26.

Sic igitur multa nunc videmus in Ecclesia explicitius enucleatiusque teneri, quae antea nonnisi implicite et subobscure credebantur, ut sunt plura quae ad sacramentorum oeconomiam, ad Sanctorum cultum, et generaliter ad vitam Ecclesiae spiritualem pertinent. — Ubi notanda sunt aurea verba B. Alberti Magni, ubi ait profectum huiusmodi esse *fidelis in fide, potius quam fidei in fideli* [1].

5. — Comparatio inter ordinem naturalem et supernaturalem. — Hic autem sedulo cavendum est ne instituta comparatio inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem ita producatur, ut quod augmentum cernimus in naturalibus scientiis, idipsum proportionaliter verificari debere censeatur in theologica disciplina, cum alia sit ratio naturalium scientiarum, alia sacrae Doctrinae. Illae enim naturalis ingenii vi, tamquam proprio et proportionato agente, excoluntur; haec autem, cum sit impressio scientiae Dei, et fidei, quae est Dei donum, innitatur, principalem habet auctorem Deum, ad quem proinde spectat, tamquam ad proprium agentem, statuere opportuna tempora pro maiori et ampliori doctrinae evolutione, utique per homines, tamquam per instrumenta, ordinatim complenda.

Igitur, si qua sententia in populo christiano aliquando obtineat, eaque a Deo originem habeat, nullum dubium quin, nonobstante quacumque contradictione, eius cognitio decursu temporis ita sit evolvenda, ut ei demum vel expressa vel implicita accedat Ecclesiae sanctio. Quod si, e contra, talis sententia humanam habeat originem, cito obscurabitur, usquedum tandem vel in oblivionem deveniat, vel Ecclesiae censura notetur. Huius rei exemplum esse potest sententia de immaculata Conceptione tum Beatae Virginis, tum S. Ioseph eius Sponsi, quam duplicem sententiam aliquando in media aetate viguisse novimus. At, temporis decursu, prior sententia, utpote a Deo inspirata, iuge incrementum in fidelium mentibus accepit, usquedum tandem Ecclesiae auctoritate infallibiliter definiretur; altera vero, utpote ab hominibus orta, iam in oblivionem aperte deflexit.

[1] 3, Dist. XXV, art. 1, ad 1[m].

6. — Quomodo fiat augmentum in cognitione revelationis. — Alterum quoque caveri oportet, videlicet ne dicatur progressum in manifestatione et cognitione revelationis, seu sacrae Doctrinae, fieri mediantibus naturalibus disciplinis: esto enim hae quoque aliquem ordinem ad revelationem habeant, cum non sit nisi unus finis hominis, et officium naturae sit subservire gratiae, tamen naturales scientiae sibi ipsae relictae impares sunt quae ordinis supernaturalis cognitionem vel minime promoveant; unde et videmus celeberrimos plures naturalium scientiarum cultores a fide vel longissime distare, e contra rudiores et simpliciores obsequium toto cordis et mentis affectu rebus fidei praestare: quod est, non quia naturales scientiae de se hominem a fide avertunt, sed potius quia homini interdum deest illa animi promptitudo et demissio, quae est necessaria conditio ad fidem suscipiendam. Quod si, cum animi demissione, habeatur et rerum scientificarum plenior cognitio, dummodo tamen haec genuina sit, non spuria, plena, non superficialis, tunc, adiuvante Domino, poterit haec cognitio plurimum prodesse aedificationi fidei christianae.

7. — Quo pacto cognitio dogmatis catholici incrementa susceperit. — Ita autem dogmatis catholici cognitio paulatim incrementa suscepit, ut posterior aetas explicitiorem cognitionem acceperit de eo quod anterior implicite tantum retinebat. Porro haec cognitionis additio, quantumvis minima fuerit, si respiciantur aetates immediate invicem succedentes, temporis decursu, magna certe apparet, adeo ut si quis fidem priorum saeculorum comparet fidei saeculi nostri, nullo habito respectu aetatum quae intervenerunt, facile in suspicionem deveniet, non idem nunc substantialiter teneri, quod priscis temporibus credebatur. Si quis ergo velit historiam dogmatum fidei rite retexere, non aliter procedere debet, ac qui regalis fluvii primam scaturiginem investigare cupit: nimirum, ascendere sursum debet, fluentum prosecutus, usque dum ad fontis principium perveniat; si enim fontem cum flumine immediate comparet, certe identitatem unius cum altero deprehendere non valebit. Aut iterum si quis eiusdem hominis duas tantum imagines habeat prae

oculis, alteram qua ille in prima iuventute, alteram qua in extrema senectute repraesentatur, profecto hominem, cuius illae sunt imagines, identificare haud valebit; at si multas imagines habeat, hominem illum in variis aetatum formis repraesentantes, haud difficulter eumdem esse deprehendet, licet aetate diversum, cui nunc canescenti rugosa pallent ora senecta, et qui olim primas sparsus lanugine malas aetatis flore vigebat.

7. — **Utrum dogma catholicum possit vocari semen.** — Iuvabit, hoc loci, summam aequivocationis repetere, unde multi in tantum decepti fuerunt, ut aliquam in ipsa substantia dogmatis catholici mutationem praesumpserint inducere. Qui videlicet ab illa parabola profecti videntur, in qua Dominus Noster regnum caelorum simile dicit *grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod mininum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, maius est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius* [1]. Igitur, cum non incongrue divina revelatio semini comparetur, hinc processum evolutionis in catholico dogmate verificari illi auctores contendunt, similem processui illi, quem quotidie compleri videmus in rebus mundanis.

8. — **Evolutio Dogmatis catholici, iuxta Card. Newman.** — Qua in re, iuvat modum recolere quo celeber scriptor Cardinalis Newman, hunc progressum explicare nititur. Videlicet, ex analogia et exemplo Scripturae, ait ille, admitti possunt in doctrina christiana, formales, legitimae et verae evolutiones, eaeque ab illius divino auctore ordinatae [2]. Pergit autem idem auctor mentem suam pandens, similitudinibus, ex celebri scriptore anglicano Butler introductis [3], de successione et mutatione tempestatum anni, de florum produdutione, fructuum maturatione necnon evolutione vitae animalium et hominum [4]. Ex quibus omnibus concludit ille

[1] Matth., XIII, 31, 32. — [2] *From the analogy and example of Scripture, we may fairly conclude that Christian doctrine admits of formal, legitimate and true developments contemplated by its Divine Author.* An Essay on the Development, etc., p. 74. — [3] Analogy, II, 4, ad fin. — [4] *The change of seasons, the ripening of the earth, the*

similem progressum in christiana doctrina haberi, in quantum vitale semen revelationis gradatim evolutum fuerit de imperfectiori ad perfectiorem statum, per absorptionem extranei alimenti, quod demum per nutritivam virtutem ipsius viventis assimilatum est, et in illius substantiam conversum [1].

9. — Animadversio. — Circa quod, primo loco, advertimus, primaevam illam traditionem Dogmatis catholici, quod utique nonnisi improprie vocare possumus rem viventem, comparatam perfectiori et uberiori eiusdem dogmatis manifestationi, non omnino se habere sicut semen comparatum ad arborem aut ad animal: non enim semen est actu parva arbor aut parvum animal, sed est arbor aut animal in potentia; ideoque nonnisi per mutationem substantialem semen fit actu arbor aut animal: e contra, nulla substantialis mutatio in dogmate catholico potest admitti. Multo minus admitti potest, crevisse revelationis depositum ex additionibus de foris advenientibus et in substantiam ipsius revelationis transmutatis: haec quippe positio, quam plures recentes auctores tenuisse perhibentur, fons est et origo gravissimorum errorum: quapropter deserendus est in hac in laudatus Cardinalis.

10. — Rite comparari potest dogma catholicum cum fermento. — Hac igitur comparatione, tamquam minus adaequata, imo tamquam periculosissima, praetermissa, alia opportunior instituetur comparatio dogmatis catholici cum *fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fer-*

---

very history of a flower is an instance of this: and so is human life. Thus vegetable bodies, and those of animals, though possibly formed at once, yet grow up by degrees to a mature state. Op. cit., p, 74.

[1] *In the physical world, whatever has life is characterized by growth, so that in no respect to grow is to cease to live. It grows by taking into its own substance external materials, and this absorption or assimilation is completed when the materials appropriated come to belong to it or enter into its unity... This analogy may be taken to illustrate certain peculiarities in the growth or development in ideas, which were noticed in the first Chapter.* Op. cit., pp. 185, 186.

mentatum est totum [1]: sicut enim fermentum, a *fervendo*, quasi *fervi mentum* dictum, massam ad panificium subactam, cui iniicitur, fervefacit, attollit ac turgidam reddit, ita sacrum revelationis depositum, in cordibus hominum immissum, ea calere, quasi ex supposito igne, et veluti aestu sacro, ad bona quaeque patranda et ad opportunas doctrinae conclusiones, agitari facit [2].

Attamen, semini quoque indita est quaedam intrinseca fermentativa virtus: unde ex hoc capite dogma catholicum dici poterit semen, quod plantatum in hominum cordibus pullulat et in bonos doctrinae ac pietatis fructus tempore maturo erumpit: et hoc quidem sunsu intelligendum erit dictum Domini Nostri [3]: *Semen est verbum Dei.*

II. — Dogmatis evolutio explicata per comparationem parvuli ad virum perfectum aut arbusculae ad arborem. — Reiecta igitur comparatione seminis relate ad arborem cum deposito revelationis relate ad succrescentes evolutiones, cum semen in arborem non evolvatur nisi per substantialem rei mutationem, in dogmate autem nulla talis mutatio detur, sequitur ut quaeramus utrum dici possit primaevam revelationem referri ad posteriorem illius explicationem, sicut parvulus ad virum perfectum, aut sicut videmus arbusculam referri ad proceram frondentemque arborem.

Cui respondemus, comparationem hanc esse opportunissimam, et ad rem nostram illustrandam omnino accommodatam, dummodo non ad omnia extendatur, sed tantum intra debitos limites contineatur: scilicet, in hoc sustinetur comparatio, quod procera quidem arbor specifice ac individualiter est eadem planta ac arbuscula, at explicatior et quoad omnes suas partes in actum redacta, et similiter vir est idem homo ac parvulus, at perfectior et robustior; deficit autem comparatio semel ac attendatur ad extraneum alimentum quo arbuscula aut parvulus indigent, ut ad perfectam formam succrescant.

[1] Matth., XIII, 33 — [2] Ad hanc quoque figuram recurrit Card. Newman, quando scribit: *Again, the Parable of the Leaven describes the development of doctrine in another respect, in its active, engrossing and interpenetrating power.* Op. cit., p. 74. — [3] Luc., VIII, 11.

12. — Exponitur praecedens doctrina. — Re quidem vera, adeo instituta comparatio, ex hoc capite deficit, ut expresse damnata inveniatur in hac propositione decreti *Lamentabili*[1]: *Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem, tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque*[2].

E contra, praedicta comparatio, ex qua parte verificatur, egregie a S. Vincentio Lirinensi exponitur. *Forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Nam qui est ille tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud trasvertatur... Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Multum interest inter pueritiae florem et senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius eiusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna iuvenum. Quot parvulorum artus, tot virorum... Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat. Fas est etenim ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur,*

[1] Prop. 54. — [2] Hac propositione in compendium reducitur pessima doctrina, in duobus opusculis Loisy contenta: *L'Evangile et l'Eglise*, et *Autour d'un petit livre*, luxta hunc novatorem, a germine in Evangelio abscondito et auctoritate doctrinali Ecclesiae evoluto, ratio repetenda foret discriminis substantialis inter hodierna dogmata et dogmata Ecclesiae primitivae; adeo ut dici deberet: *Le catholicisme consiste à recevoir comme émanant d'une autorité divinement établie l'interprétation que l'Eglise donne actuellement de l'Evangile*. Autour d'un petit livre, p. 205.

limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem [1].

13. — Nihil extraneum addi potest deposito revelationis. — Igitur, concesso quod primaeva dogmatis praedicatio ad posteriorem eiusdem cognitionem se habuerit tamquam parvulus ad virum, ex qua parte vir ipsemet est qui puer, solum formâ explicatior, comparatio sedulo reiicienda erit, semel ac ista evolutio ponatur fieri per nutritionem, seu per conversionem extranei alimenti in substantiam aliti, in quantum scilicet illa materia de foris veniens vere accipit speciem plantae aut animalis. Impossibile quippe est aliquid extraneum adiici aut apponi deposito divinae revelationis, quin illius natura mutetur: nam de ratione revelationis est ut sit a Deo derivata, extraneae autem illae accessiones aliquid humani sunt ideoque inferioris naturae.

Quod si convenientius exemplum inveniri velit evolutionis seu progressus dogmatis catholici, hoc dicemus subministrari in gratia, quae in patria fit gloria, non extraneae rei accessione, sed ipsa sui consummatione, sub actione Spiritus Sancti.

14. — Evolutio dogmatis catholici iuxta modernistas. — Quae cum ita sint, ad modernisticam labem omnino pertinet, ut dicatur revelationem christianam extraneis accessionibus fuisse locupletatam: quod quidem dupliciter fingi potest: scilicet, aut ita quod ex hagiographis posteriores, verbi gratia, Ioannes relate ad eos quod synopticos vocant [2], non aliud praestiterint, nisi praecedentium scriptorum doctrinam placitis suo tempore et loco vigentibus adaugere; aut ita quod dogma catholicum ipso Ecclesiae cum societate civili commercio, saeculorum decursu, varia elementa ab hac mutuata sensim acquisierit, usquedum praesentem formam, utique ab antiqua forma valde dissonam, attamen ipsa dogma-

[1] Commonit., Cc. XXIII, XXIV, XXV. — [2] Vide quod de Synopticis diximus in DIATESSARON. Vol. I, Introd., n. XXVII, p. XXXVII.

tis conditione postulatam, obtinuerit. Et haec praecise est illa evolutio quam Pius X condemnavit, his verbis [1]: *Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.*

15. — Comparatio dogmatis ad semen. — Porro, cum sustineri per omnia non possit comparatio inter depositum revelationis et aliquod semen relate ad subsequentem utriusque evolutionem, nihil tamen prohibet quominus parabolam de grano sinapis ad rem nostram aliquo modo applicemus, intelligendo videlicet per huiusmodi granum non quidem ipsam revelationem, sed praedicationem dogmatis catholici, scilicet tum activam praedicationem, quae pastorum orali magisterio completur, tum praedicationem passivam, quae consistit in ampliori doctrinae annuntiatae cognitione et susceptione.

16. — S. Hieronymus circa evolutionem christianae praedicationis. — Et hoc quidem est quod disertissime exponit S. Hieronymus, dum, commentans citatam de grano sinapis parabolam, scribit [2]: *Quis est iste qui seminat, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum praedicationis, et fovens sementem, humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Praedicatio Evangelii, minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, et scandalum crucis praedicans. Confer huiuscemodi doctrinam dogmatibus philosophorum, et libris eorum, et splendori eloquentiae, et compositioni sermonum, et videbis quanto minor sit ceteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa, cum creverit, nihil mordax, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et mollitum ebullit in olera, et in herbas, quae cito arescunt et corruunt. Haec autem praedicatio, quae parva videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem: ita ut volucres caeli (quas vel animas*

[1] Prop. 60 in Decr. *Lamentabili.* — [2] L. II Comment. in c. XIII Matth., vers. 32, Ed. Venetiis, 1779, tom. VII, P. I, pp. 91-93.

credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas, sentire debemus) veniant, et habitent in ramis eius. Ramos puto evangelicae arboris, quae de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquaeque requiescit.

Lectorem movere non debet, quod S. Hieronymus hic vocitet diversa dogmata *ramos evangelicae arboris*, quasi videlicet ex illo primaevo semine, dogmata serius pullulaverint: siquidem, iuxta institutam metaphoram, evangelica arbor est ipsamet praedicatio evangelii, quae utique incrementum obtinuit, quacum crevit etiam explicita populi christiani fides, ut inferius dicemus [1].

17. — **Symbolus fidei.** — Ad hoc autem quod hic dicimus, nempe dari, ex divina institutione, in Ecclesia, augmentum sive progressum in manifestatione dogmatis catholici, proprie pertinet nova editio Symboli fidei, de qua re, ob additam olim symbolo Nicaeno-Constantinopolitano particulam *Filioque*, diutius disceptatum est in Concilio Florentino [2]. Nimirum, ut contra Bessarionem, contendentem omnem prorsus insertionem symbolo factam tamquam additionem esse reiiciendam, eloquenter advertit Ioannes Episcopus Foroliviensis [3], si ingens illa multitudo mysteriorum Novi Testamenti, quae implicite continentur in Veteri Foedere, proprie vocari nequit, quod ad sensum attinet, additio, mirum esse non debet si quae nunc explicationes illorum mysteriorum dantur, non sint habendae proprie tamquam additiones, sed tantummodo tamquam novae explicationes eorum quae de natura sua obscura sunt [4].

Cui rei iamdiu praeiverat Angelicus Doctor, qui consueta ingenii perspicuitate scripserat [5]: *Prohibitio et sententia Synodi* (Ephesinae, decernentis nulli licere aliam fidem proferre, vel conscribere, vel componere, praeter definitum a sanctis Patribus, qui in Nicea congregati erant cum Spiritu Sancto) *se extendit ad privatas personas, quarum non*

[1] Optimam comparationem evolutionis dogmatis cum deductione conclusionum ex praemissis, indigitavimus supra. — [2] Vide *Acta Conc. Florent.* Labbe, Concil., tom. XIII, pp. 130, seq. — [3] Sess. X Conc. Ferrar. — [4] Labbe, ibid., p. 154. — [5] 2 2^{ae}, Quaest. I, art. 10, ad 2^{m}.

est determinare de fide: non enim per huiusmodi sententiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo novam editionem Symboli facere. non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam: sic enim quaelibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id, quod praecedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius haeresis insurgentis; unde pertinet ad summum Pontificem (symbolum fidei edere) *cuius auctoritate synodus congregatur, et eius sententia confirmatur* [1].

18. — Ecclesia catholica non est progressui impervia. — Ex deductis in hoc articulo, inferri potest, haud esse verum id quod obtrectatores Ecclesiae garrientes blaterant, scilicet Theologiam aditum praecludere progressui scientifico, aut ipsammet esse disciplinam retrogradam. Sacra enim Doctrina lucem non timet, sed ambit, omniumque scientiarum incrementa fovet, quibus magis magisque miris modis illustratur. Sed et ipsa cum principiorum suorum firmitate iugem admittit progressum in sui explicatione et comprobatione; nam, licet Apostolorum morte revelatio sit clausa, unde progressui quasi augmenti non subiicitur, tamen sub adsistentia divina, et per legitimum organum, quod est Ecclesiae magisterium, continuum admittit in expositione profectum.

Quapropter minime subscribendum est ei quod tradit Macaulay, qui rationem indefectibilitatis Ecclesiae catholicae ex hoc vult esse repetendam, quod scientia theologica non est progressui subiecta; non, ait ille, theologia naturalis, quae ex iisdem effectibus, ex quibus nunc percipimus Dei existentiam, idipsum poterat in initio cognoscere; non theologia quae ex revelatione hauritur, quia tota revelatio in Scripturis continetur, quibus ne verbum quidem, quicumque conatus fiant, addi potest: ita ut, supposita eadem bona fide eademque naturali sagacitate, christianus saeculi XIX, qui Scripturam habeat, omnino aequiparandus sit christiano saeculi V Scripturam pariter habenti; unde, con-

[1] Cf. 1, Quaest. XXXVI, art. 2, ad 2[m]. Cf. etiam quae scripsimus in opusc. De Spiritus Sancti a Filio processione, Historica Disquisit., Romae, 1898.

cludit ille, ad systema Ptolomaei, facto in scientiis naturalibus progressu, homines quidem nunquam redibunt; ad transubstantiationem vero, nulla peracta evolutione in catholica religione, homines in aevum revertentur [1].

Profecto, esto etiam nullus omnino progressus in Ecclesia catholica unquam fuisset habitus, sive relate ad definitiones, quales in Conciliis habentur, sive relate ad expositionem doctrinae, qualis a Scholastica subministratur, sive in liturgiae ritibus, aut in disciplinae canonibus, hoc ipsum quod praefata Ecclesia tam varias, tamque repetitas aggressiones contra dogma et veritates a sese proclamatas tam strenue sustinuerit, tam invicte contriverit, progressus est omni physicarum disciplinarum progressu splendidior atque praestantior.

19. — **Solvitur difficultas.** — Contra huiusmodi progressum in fidei cognitione, opponi posset, naturam semper sumere initium a perfectis; atqui operatio gratiae non minus ordinate procedit quam operatio naturae; ergo videtur illos, qui primum tradiderunt fidem, perfectissime eam cognovisse, ideoque admitti nequit progressus in cognitione fidei [2].

Cui responderi cum Angelico potest [3], in ordine naturae, ad generationem naturalem duas causas praeexigi: scilicet causam efficientem et causam materialem. Igitur, attento

[1] Poterit diligens lector per seipsum secernere verum a falso in sequentibus huius auctoris verbis: *All Divine truth is, according to the Protestant Churches, recorded in certain books: it is equally open to all who, in any age, can read those books... A Christian of the fifth century with a Bible is on a par with a Christian of the nineteenth century with a Bible, candour and natural acuteness being, of course, supposed equal... We are confident that the world will never go back to the solar system of Ptolemy.... but we are very differently affected when we reflect that Sir Thomas More was ready to die for the doctrine of transubstantiation... We are, therefore, unable to understand why what Sir Thomas More believed respecting transubstantiation may not be believed to the end of time by men equal in abilities and honesty to Sir Thomas More.* Ranke's History of the Popes. Essay. London, 1889, p. 573, 574. — [2] Ita S. Thomas, in 2 2^{ae}, Quaest. 1, art. 7, 3^{a} diff. — [3] Ibid.

ordine causae efficientis, naturaliter prius est id quod est perfectius, et sic natura a perfectis sumit exordium: imperfecta enim non ducuntur ad perfectionem, nisi per aliqua perfecta praeexistentia. Attento autem ordine causae materialis, prius est id quod est imperfectius, et secundum hoc natura procedit ab imperfecto ad perfectum. Sic in generatione hominis, attento ordine causae efficientis, perfectum praecedit imperfectum, cum homo non generetur nisi ab homine perfecto; attento autem ordine causae materialis, e converso res se habet, cum prius sit parvulus quam vir.

Igitur, in ordine gratiae, in iis quae ad manifestationem fidei pertinent, Deus est sicut agens, qui habet perfectam sapientiam ab aeterno, homo autem est sicut materia recipiens influxum Dei agentis; et ideo oportuit quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus.

20. — PROP. II. — **Praedictum augmentum attenditur formaliter in Ecclesia addiscente.**

21. — **Exponitur.** — Ut rite intelligatur quo pacto praedictum cognitionis augmentum in Ecclesia locum habuerit, sedulo attendendum est ad differentiam quae est inter humanas scientias et sacram fidei Doctrinam.

Nimirum, in scientiis per rationem humanitus adinventis, profectus cognitionis attenditur penes docentem, qui in cognitione proficit, sive ille unus sit, sive sint plures per temporum successionem, et hoc propter defectum cognitionis in primis qui scientias adinvenerunt, ut habet Aristoteles [1]; at, in doctrina fidei, quae non est inventa humanitus, sed tradita divinitus, est enim Dei donum, augmentum attenditur formaliter penes addiscentes, quibus Deus uberiora, temporis decursu, tradit. Revera, sicut magister qui novit totam artem, non tamen statim a principio eam tradit discipulo, qui eam capere non posset, sed paulatim condescendens eius capacitati [2], ita Deus non statim a principio totam cognitionem rerum supernaturalium tradidit, sed paulatim, ita ut homines proficerent in cognitione fidei per temporum suc-

[1] L. 2 Metaphysic., text. 1 et 2. — [2] Ibid., ad 2[m]

cessionem: quapropter Apostolus comparat statum Veteris Testamenti pueritiae, cum ait [1]: *Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo.*

Quae cum ita sint, valde reprehendendi sunt illi rerum sacrarum indagatores qui, rationem evolutionis dogmatum aut cultus catholici ita perquirunt, quasi ipsamet Ecclesia docens, manibus iter in obscuro praetentans, acceptam Christi doctrinam paulatim accommodaverit indoli morali et culturae intellectuali populorum quos inter versabatur, et sic tandem suum confecerit symbolum, quasi ultimum adinventum ex multorum collaboratione prodiens. Nimirum, iam Ecclesiae docenti competebat, inde a primo sui exordio, perfectissima possessio omnium veritatum supernaturalium, quas tamen nonnisi secundum diversitatem temporum et personarum populis sibi creditis explicare debebat.

22. — Diversitas progressus in fidei doctrina tradenda relate ad Ecclesiam docentem. — Porro, cum Ecclesiam docentem nominamus, si quidem concrete loqui velimus, haec profecto constat primo et praecipue ex Christo Domino, qui est Ecclesiae caput invisibile, et secundario ex legitimis magistris, qui sunt Pontifices, Episcopi, Patres et Doctores. Iamvero, quod ad Christum attinet, evidens est illum scientiae plenitudinem habuisse; et cum ipse promiserit se futurum esse cum Ecclesia omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, ideo certam fiduciam habemus, perfectam cognitionem de rebus fidei nunquam in Ecclesia defecturam esse.

Quod autem spectat ad homines qui sunt magistri fidei, duo sunt sedulo attendenda.

Primo, generaliter advertendum est quod, quia ultima consummatio gratiae facta est per Christum, unde et tempus eius dicitur *plenitudo temporis* [2], hinc illi qui extiterunt propinquiores Christo, sive ante, sicut Ioannes Baptista, sive post, sicut Apostoli, mysteria fidei plenius cognoverunt; nam et circa statum hominis naturalem, hoc videmus, quod perfectio est in iuventute, et tanto habet homo perfectiorem

[1] Gal., III, 24. — [2] Ibid., IV, 4.

statum, vel ante, vel post, quanto est iuventuti propinquior. Unde et Glossa interlinearis, super illud [1]: *Nos ipsi primitias spiritus habentes*, ait quod Apostoli acceperunt, *sicut tempore prius, ita et ceteris abundantius* [2]; unde etiam de ipsis prophetice dictum legimus [3]: *Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt, et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane.*

Quod autem de cognitione divinorum dicimus, dici quoque debet de spe, relate ad promissa consequenda: nimirum, ut idem Doctor Angelicus argumentatur [4], semper fuerunt eadem speranda apud homines a Christo; quia tamen ad haec speranda homines non pervenerunt nisi per Christum, quanto a Christo fuerunt remotiores secundum tempus, tanto a consecutione sperandorum longinquiores erant; unde Apostolus dicit [5]: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes:* quanto autem aliquid a longinquioribus videtur, tanto minus distincte videtur; et ideo bona speranda distinctius cognoverunt ii qui fuerunt adventui Christi vicini.

Ex quibus, ut opportune advertit Caietanus [6], sponte sua sequitur quod, in determinatione quaestionum fidei, standum est doctrinae antiquorum Doctorum et sanctorum Patrum, *quos illustratos credimus divino lumine et quoad doctrinam et quoad vitam magis quam posteriorum, ubi discrepant posteriores ab illis.*

Attamen, praetereundum non est quod ulterius monet idem Caietanus [7], nempe fieri posse quod, etiam post Christum, *una aetas posterior habeat doctores in his, quae sunt fidei, praestantiores aliqua aetate anteriori, quamvis non omni, puta, quod in aetate anni millesimi fuerint doctiores doctores in fide, quam in aetate anni octingentesimi; quia etsi regulariter divina doctrina procedit secundum propinquitatem ad Christum, non tamen alligata est illuminatio eius ad ordinem istum. Cuius signum est quod Moysen creditur elevasse ad visionem divinae essentiae, ad quem nullum posteriorum pro-*

[1] Rom., VIII, 23. — [2] Gloss., ad 4m. — [3] Is., XXXII, 3, 4. — [4] Ibid., ad 1m. — [5] Hebr., XI, 13. — [6] Comment. in h. art. S. Thomae. — [7] Ibid.

ximiorumque magis Christo, creditur elevatum esse. Nunquam tamen fuerunt aut erunt doctiores, quam Apostoli, sicut nec perfectiores.

Aiterum quod notari debet est quod homines quibus Deus usus est, tanquam instrumentis, ad fidei cognitionem dilatandam, in tantum pleniori cognitione gaudebant, in quantum manifestatio Spiritus eius dabatur ad utilitatem communem, ut innuit S. Paulus [1]; ideoque tantum dabatur Patribus, qui erant institutores fidei, de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo tradi, vel nude vel in figura [2], unde profectus Doctorum reincidit in profectum erudiendorum.

23. — Attenta scientia acquisita, cognitio rerum fidei crescit secundum successionem temporum. — Attamen, ulterius distinguere hic debemus scientiam de rebus fidei nostrae inditam seu infusam a Deo, a scientia acquisita; et quidem, ea quae hucusque dicta sunt de pleniori scientia secundum maiorem propinquitatem ad Christum, intelligi debent de scientia divinitus infusa, sive per revelationem tradita: quae tamen scientia semel communicata populo Dei ad posteros transmissa est, ita ut illam reciperent et ex principiis manifestatis conclusiones opportunas deducerent; unde dicitur [3]: *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, maiores tuos et dicent tibi.* Quocirca, si quidem scientia acquisita attendatur, dicenda erit cognitio rerum fidei crescere secundum successionem temporum, ita ut eo iam plenior fiat, quo magis saecula multiplicantur: quod S. Gregorius Magnus ita exponit [4]: *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur.*

24. — Quaestio I. — *Qualis profectus in revelationis traditione, temporum decursu, habitus est usque ad Apostolos?*

Resp. Cum fides nostra in duobus potissimum consistat, nempe, *primo*, in vera cognitione Dei unius et trini, et *secundo*, in sincera agnitione Incarnationis Christi, quae sunt

[1] 1 Cor., XII, 7. — [2] S. Thom., ibid., ad 3[m]. — [3] Deut., XXXII, 7. — [4] Homil., XVI in Evangel., t. II, p. 230.

duo principaliora mysteria fidei nostrae, ad hoc ut sciatur qualis profectus, temporum decursu, in manifestatione seu traditione revelationis, habitus sit usque ad Apostolos, necesse est investigare quomodo revelationis depositum creverit, quantum ad utrumque caput, secundum diversitates temporum.

Et primo quidem, quod attinet ad fidem veri Dei, tres temporum differentiae assignari possunt: scilicet ante Legem, sub Lege et post Legem, seu sub gratia,

Ante Legem, videmus Abraham aliosque Patres divinitus instructos de iis quae pertinent ad fidem Deitatis, seu de monotheismo: quia autem ista cognitio ipsis per lumen propheticum fuit concessa, hinc illi vocantur prophetae et maxime Abraham et Isaac, secundum illud [1]: *In prophetis meis nolite malignari.* — Sub Lege autem invenitur Deitatis manifestatio, de iis nempe quae pertinent ad fidem Deitatis [2], excellentius facta quam antea, tum secundum extensionem, tum secundum perfectionem revelationis: secundum extensionem, non enim speciales solum personae aut familiae circa monotheismum divinitus instructae sunt, sed totus populus; secundum perfectionem, nam dum praecedentes Patres edocti fuerant in fide de omnipotentia unius Dei, Moyses e contra plenius instructus fuit de simplicitate divinae essentiae, cum ei expresse dictum sit [3]: *Ego sum qui sum*, quod nomen tetragrammaton a Iudaeis significari solebat substituto eius loco nomine *Adonai*, propter summam illius ineffabilis nominis venerationem: unde legimus [4]: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Iacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis.* — Denique tempore gratiae, mysterium Trinitatis expresse revelatum est ab ipso Filio Dei, secundum illud [5]: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Advertendum autem est, in unoquoque istorum trium statuum, fidem posterorum fundatam fuisse in revelatione

[1] Ps. CIV, 15. — [2] Dicitur: *Quae pertinent* AD FIDEM *Deitatis:* nam, quod spectat ad gubernationem vitae, dicetur infra, n. 25. — Exod., III, 14. — [4] Exod., VI, 2, 3. — [5] Matth., XXVIII, 19.

facta iis qui horum statuum capita vel fundamenta extiterunt: sic fides Isaac et Iacob fundabatur super revelatione facta Abrahae, dicente Deo Isaac [1]: *Ego sum Deus Abraham patris tui*, et Iacob [2]: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac.* — Similiter super revelatione facta Moysi fundabatur fides totius populi hebraici. — Demum, tempore gratiae, super revelatione facta Apostolis de fide unitatis et trinitatis fundata est tota fides Ecclesiae, secundum illud [3]: *Super hanc petram*, scilicet confessionis tuae, o Petre, *aedificabo Ecclesiam meam.*

Secundo, quantum ad fidem Incarnationis, manifestum est quod quanto homines fuerunt Christo propinquiores, sive ante sive post Incarnationem, ut plurimum, tanto plenius de hoc mysterio instructi fuerunt; unde S. Gregorius Magnus, loquens de Incarnatione, dicit quod per successiones temporum crevit divinae cognitionis augmentum [4]; etsi dici debeat cognitionem de hoc mysterio abundantiorem longe fuisse post Incarnationem quam ante, iuxta illud S. Pauli [5]: *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in Spiritu.*

En igitur qualis fuerit, temporum decursu, per summa capita delineata, evolutio manifestationis seu traditionis revelationis, quam quidem in Adam, statim post lapsum, inchoatam videmus, auctam in Patribus et Moyse, perfectam in Apostolis, ipsomet Spiritu Sancto eis manifestante arcana divina, et sic Verbi incarnati instructionem complente, secundum promissionem ipsius Christi Domini [6]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.*

25. — **Quaestio II.** — *Quali norma seu lege peracta est haec evolutio seu progressus manifestationis revelationis?*

Resp. Haec norma alia non est, nisi necessitas, pro ho-

[1] Gen., XXVI, 24. — [2] Ibid., XXVIII, 13. — [3] Matth., XVI, 18. [4] In Ezech., l. II, Homil. XVI, quoad sensum. Opp. Duaci, 1515, p. 1164. — [5] Eph., III, 4, 5. — [6] Io., XIV, 26.

minibus ad vitam aeternam ducendis, cognitionis veritatum quae ad hunc ordinem pertinent; unde videmus quod solummodo tempore Abrahae monotheismi revelatio facta est, quo tempore coeperunt homines a fide unius Dei deviare ad idololatriam declinando, cum antea omnes in cultu unius Dei persisterent, ideoque talis revelatio necessaria tunc non esset. Similiter plenitudo revelationis, quantum ad Trinitatem et Incarnationem, reservabatur illi tempori, cum Filius Dei, factus caro, fundaturus esset Ecclesiam, multiplici sacramentorum dispensatione fecundandam, et usque ad finem mundi perduraturam. Unde vani sunt omnes qui post apostolorum tempora novam expectant eamque ampliorem de rebus supernaturalibus manifestationem.

26. — Scholion. — Quae diximus formaliter respiciunt manifestationem divinae veritatis quantum ad *fidem* attinet: si enim agatur de revelatione, quatenus per ipsam *in nostris operibus gubernamur*, dicendum est quod revelatio diversificata est non secundum temporis progressum, sed secundum conditionem negotiorum; unde singulis temporibus non defuerunt aliqui spiritum prophetarum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem; ideoque quolibet tempore instructi sunt homines divinitus de agendis, secundum quod erat expediens ad salutem electorum; unde, ut advertit S. Hieronymus [1], *legimus in Actibus Apostolorum, et Agabum prophetasse, et quatuor virgines filias Philippi*; et S. Augustinus ait [2] quod Theodosius Augustus *ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem Dei servum prophetandi spiritu praeditum, fama crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuntium victoriae certissimum accepit* [3].

27. — S. Thomae doctrina de progressu in rebus fidei. — Ut ea quae hucusque disseruimus compendio reducamus, dici potest, cum Angelico [4], *quod quantum ad substantiam*

[1] Exp. in Ep. ad Eph., c. 3. — [2] L. V de Civ. Dei, c. 26. Opp. Ven., 1764, t. IX, p. 186. — [3] Quae hic exposuimus hausta sunt ex uberrimo fonte Angelici Doctoris, in 2 2ae, Quaest CLXXIV, art. 6. — [4] 2 2ae, Quaest. I, art. 7.

articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium Patrum, licet implicite: sed quantum ad explicandum, crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite.

Quae cum ita sint, omnino reiiciendum est, tanquam a vero et genuino dogmatum fidei nostrae conceptu alienum, quod scribit A. Loisy [1]: *Les conceptions que l'Eglise présente comme des dogmes révélés ne sont pas des vérités tombées du ciel et gardées par la tradition religieuse dans la forme précise où ils ont paru d'abord... Que les dogmes soient divins par l'origine et la substance, ils sont humains de structure et de composition.* — Nimirum, pessumdant haec verba genuinum dogmatis catholici conceptum, quatenus intelligi dant, non solum illius evolutionem opus esse humanum, sed ipsammet evolutionem in fidei nostrae substantiali transformatione consistere.

Crescat igitur oportet, concludemus cum S. Vincentio Lirinensi [2], *et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem videlicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.*

ARTICULUS II. — *Utrum fideles, sub instinctu Spiritus Sancti, explicitius postea crediderint et retinuerint ea quae implicite tantum in Ecclesia antea tenebantur.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam ex anteactis disputationibus abunde constet dari in Ecclesia augmentum in cognitione veritatis revelatae, iam quaestio proponitur, qua ratione intelligi possit talem progressum perfici virtute Spi-

[1] L'Evangile et L'Eglise, pp. 158, 159, Paris, 1902. — [2] Commonit c. XXXIII. Hanc eamdem regulam, quae solemnis est in quaestione de dogmatis progressu, repetit et inculcat Concilium Vaticanum, in Constitut. de Fide Catholica, c. IV, in fine.

ritus Sancti interius moventis sive corpus Ecclesiae sive singula membra, ad explicite credendum id quod implicite tantum antea tenebatur.

Equidem, quod talis interna motio revera detur, nemini dubium esse potest: secus enim quomodo intelligetur fides explicita totius populi christiani in plura dogmatis puncta, de quibus vix aut ne vix quidem vestigia in antiquitate deprehendere est? Et ut pauca exempla subiiciamus, quomodo factum est ut in omnium animis firmiter radicata inveniretur fides, puta, in matrimonium Beatae Virginis cum S. Ioseph, in huius perpetuam virginitatem, in perfectam immutabilitatem poenarum inferni, etc.; aut quomodo oriri potuit sensim sine sensu in fidelium cordibus singularis devotio in Sacratissimum Cor Iesu, in sanctum Patriarcham Ioseph, in Angelos Custodes? Sane, seposito interno Spiritus Sancti influxu, de his et similibus, quae temporum decursu in Ecclesia succrevisse videmus, ratio omnino reddi nequit. — Igitur, non inopportune investigatio hic proponitur circa modum quo Spiritus Sanctus intime influit ad uberiorem revelationis manifestationem tum in tota Ecclesia, tum in singulis eius membris.

2. — **Duplex modus quo Spiritus Sanctus scientiam in anima influit.** — Porro, sciendum est, duplicem esse posse Spiritus Sancti instinctum seu influxum in anima: unum ordinarium, alterum extraordinarium. Et primus quidem habetur per dona intellectus, sapientiae et scientiae, qui in omnibus iustis cum gratia divina infunduntur; secundus autem per spiritum prophetiae, quem Deus interdum aliquibus communicat: de quibus singillatim hic breviter disseremus.

3. — **Donum intellectus.** — Ad quod intelligendum, sciendum est, in anima fidelium, ex radice caritatis, aliquid ex Spiritus Sancti influxu oriri, quod est velut complementum virtutis supernaturalis fidei, quodque principium existit illius mirabilis evolutionis in manifestatione dogmatis catholici, de qua nunc loquimur: huiusmodi autem est triplex donum Spiritus Sancti, scilicet donum intellectus, donum

scientiae et donum sapientiae, de quibus nunc paucis, disseruisse, S. Thoma praeeunte, haud modicum iuvabit [1].

Et ut a primo dono, quod est *intellectus* exordiamur, sciendum est donum huiusmodi quamdam excellentiam cognitionis nominare, penetrantis usque ad intima rei, et sic quodammodo assequentis ea quae in veritatibus fidei continentur. Revera, dum sensus occupantur exclusive circa qualitates exteriores, intellectus, e contra, ab *intelligendo*, seu *intus legendo*, dictus, penetrat usque ad essentiam rei : unde eius obiectum est *quod quid est*, seu quidditas rei.

4. — Comparatio inter ordinem naturalem et supernaturalem. — Quod ut clarius fiat, plurimum inserviet rei dilucidandae comparationem instituere inter ordinem naturalem et supernaturalem. Nimirum, in ordine naturali, multa sunt genera eorum quae interius latent, ad quae cognoscenda homo debet intimius in res penetrare: sic, sub accidentibus latet natura rei substantialis; sub verbis latent significationes verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata; res etiam intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilium quae exterius sentiuntur; pariter, in causis latent effectus, et e converso: et respectu horum omnium potest dici intellectus, siquidem cognitio hominis a sensu incipit quasi ab exteriori [2].

Porro, lumen naturale intellectus nostri est finitae virtutis, unde usque ad determinatum quid per se pertingere potest; ultra vero non potest, nisi adiuvetur; quanto autem lumen intellectus est fortius, tanto potest magis ad intima penetrare: et sic per donum quoddam divinitus superadditum, quod est donum intellectus, homo penetrare potest ad cognoscenda quaedam, quae per lumen naturale cognoscere minime valeret.

5. — Solvitur tacita difficultas. — At, dices, si fides est de non visis, quomodo potest esse ut de rebus fidei intelligentia, seu visio intellectualis, praebeatur?

Respondeo, in rebus fidei, aliae sunt quae per se directe

[1] 2 2ae, Quaast. VIII et IX. — [2] 2 2ae, loco cit., art. 1.

cadunt sub fide, quae naturalem rationem excedunt, ut Deum esse trinum et unum, Filium Dei esse incarnatum; aliae vero quae cadunt sub fide, quasi ad illa ordinata secundum aliquem modum, sicut omnia quae in Scriptura divina continentur. — Et quidem ea quae sunt prioris generis perfecte intelligere nequimus, quousque praesens vita perdurat; attamen cognoscere possumus quod ea quae exterius apparenter opponuntur hisce veritatibus, eisdem revera non contrariantur, unde intelligere possumus nos, propter talia, recedere haudquaquam debere ab his quae sunt fidei. — Quantum vero ad ea quae sunt alterius generis, quae scilicet aliquo modo ordinantur ad ea quae per se directe sunt fidei, possumus pertingere ad perfecte intelligendam eorum essentiam secundum quod in se est, sive haec pertineant ad speculationem, sive pertineant ad praxim [1].

Et haec quidem duo in omnibus habentibus gratiam operatur donum intellectus sub interna motione Spiritus Sancti; scilicet habentes donum illud, non solum non patiuntur sese removeri a recta fide ob apparentes contradictiones aut ob impugnationes adversariorum, verum etiam quamdam nanciscuntur intelligentiam earum veritatum, quae cum mysteriis fidei nostrae colligantur. Et hoc est quod Dominus Noster discipulis suis contulit, quando, ut ait S. Lucas, *aperuit* (eis) *sensum ut intelligerent Scripturas* [2].

6. — Per donum intellectus Spiritus Sanctus fideles illuminat ad intelligendas res fidei. — Quae cum ita sint, dicendum est fideles, per donum intellectus, miro modo confirmari in doctrina fidei, quam magis ac magis penetrant, illius cohaesionem apprehendentes, illiusque perfectam harmoniam cum naturalibus veritatibus suavi experientia percipientes.

Ex hoc autem quod fideles revelatam doctrinam tam intime ita penetrant et quasi quotidiana ruminatione perpendunt, sponte nascitur in eorum animis ardens desiderium cognoscendi conclusiones quae in fidei principiis continentur, et dogmata diligenti disquisitione evolvendi ac penitius rimandi, ut usque ad ultimas eorum derivationes, si fieri

[1] 2 2ae, loco cit. art. 2 et 3. — [2] Luc., XXIV, 45.

possit, perveniant. Ex quo, ut patet, dogmatis cognitio miro modo dearticulatur: cui quidem evolutioni aliquam forsan praebent occasionem externae circumstantiae, puta necessitas refutandi haereses, aut desiderium devotionem confovendi: manet tamen, primam causam talis evolutionis esse Spiritum Sanctum, in quantum, per donum intellectus, mentem hominum et praemunit contra oppugnantes dogmata, et collustrat de iis quae ad dogmata ordinantur secundum quemcumque modum.

7. — Donum scientiae et donum sapientiae. — Praeter donum intellectus, quo homo quodammodo percipit ea quae sibi credenda proponuntur, dimanat etiam in anima iusti, ex radice gratiae, et quidem in relatione ad supernaturalem virtutem fidei, donum *scientiae*, quo rectum iudicium proferre valet de veritate, discernendo scilicet credenda a non credendis: quod quidem homo praestat, non per discursum rationis demonstrativae, sed absque omni discursu, per simplicem intuitum, eo ferme modo quo Deus ipse res non discurrendo, sed intuendo cognoscit.

Praeter donum *scientiae*, infunditur etiam in anima iusti per Spiritum Sanctum donum *sapientiae*, ad quam pertinet iudicium ferre de veritate revelata, sed per altissimam causam, dum scientia iudicium fert per causas secundas: ex quo sequitur quod dum donum scientiae est solum circa res humanas vel res creatas, quia tantummodo res istae pendent a causis secundis, ad sapientiam, e contra, pertinet iudicium ferre de rebus divinis secundum seipsas, aut etiam de rebus humanis vel creatis secundum res divinas, non quidem per aliud criterium, sed per quamdam unionem hominis ad ipsas res divinas, quae unio fit secundum caritatem: unde donum sapientiae magis correspondet caritati [1].

Opportunam applicationem huiusmodi donorum videre est in iudicio quod simplices fideles, absque ullo studio, sponte ferunt de modernistarum perniciosissimis doctrinis, sive illi suas pestiferas doctinas in libris aut opusculis venditent, sive eas in sacris concionibus aut familiaribus colloquiis buccis crepantibus disseminare conentur.

[1] 2 2ae, Quaest. IX, art. 1, 2.

Hisce circa dona intellectus, scientiae et sapientiae praenotatis, pronum est ut ad id deveniamus quod proprie hic intenditur, nempe instinctui Spiritus Sancti, per huiusmodi dona in animabus fidelium operantis, deberi explicitiorem manifestationem dogmatis catholici.

8. — PROP. — **Fideles, sub instinctu Spiritus Sancti, ducuntur ad explicitius tenendum quod antea implicite tantum credebant.**

9. — **Exponitur.** — Ad hoc intelligendum, satis erit quaesivisse, hinc quidem quo pacto fiat ut aliquid postea explicite credatur quod antea implicite tantum tenebatur, illinc vero qua ratione Spiritus Sanctus praedictis donis utatur in ordine ad uberiorem veritatis manifestationem.

Ad hoc ut quis ex quibusdam veritatibus supernaturalibus explicite cognitis deveniat ad claram cognitionem eorum quae implicite in illis veritatibus continentur, necesse imprimis est, ut has veritates ita firmiter teneat, ut non facile ab hac fide removeatur ob ingruentes adversariorum obiectiones. Praeterea oportet ut intelligentiam habeat earum naturalium veritatum, quae cum illis veritatibus supernaturalibus intime colligantur, aut quarum ope conclusiones ex illis possunt deduci. Deinde requiritur ut certum possit iudicium ferre de veritate eius quod ex fidei principiis deducitur, et sic rite discernere valeat credenda a non credendis. Denique, necesse est ut adsit aliqua extrinseca ratio cuiusdam necessitatis aut opportunitatis pro deducendis, ex fidei principiis, conclusionibus in illis principiis implicite tantum contentis: quae necessitas aut opportunitas ex circumstantiis locorum, temporum aut personarum oritur.

Quae cum ita sint, iam ultro apparet quo pacto dici possint fideles instinctu Spiritus Sancti duci, ut id postea explicitius credant et retineant, quod antea implicite tantum tenebant. — Nimirum, internae operationi Spiritus Sancti debetur, mediantibus donis intellectus, scientiae et sapientiae, quod quis minime removeatur a credendis per ingruentes difficultates, et quod rectam habeat de naturalibus rebus intelligentiam in ordine ad revelationem; necnon quod perfectum iudi-

cium ferat tum de rebus divinis, tum de rebus humanis. — Pariter externae circumstantiae opportunitatis aut necessitatis subduntur regimini divinae Providentiae, quae cuncta suavissime regit ac gubernat in universo mundo, sed maxime in Ecclesia a Christo fundata: quod regimen, relate ad Ecclesiam, Spiritui Sancto attribui solet, cuius proinde secreto impulsui debetur, tum quod fideles interdum speciali ardore ferantur ad aliquas veritates explicitius credendas aut ad aliquas cultus formas impensius suscipiendas, tum quod pastores controversiis dirimendis aut haeresibus profligandis sedulius intenti, veritates de fide explicite credendas certis temporibus definiant, tum quod doctores dogmatibus enucleandis aliquando sollertius insistant: nimirum; *haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* [1].

10. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, iam patet qualem profectum in fide facere ille debeat, cui tria huiusmodi pretiosa dona Spiritus Sancti insint. Primo quidem nubem aliquantisper penetrat, qua res fidei tanquam velo obducuntur, et duriorem corticem eventuum mundanorum disrumpit, unde ordinis supernaturalis dispositionem assequitur; nec leviter movetur ab eorum suggestionibus, qui buccis crepantibus conflictum realem proclamant inter fidem et scientiam. Sed et auditis sermonibus sive de mysteriis fidei, sive etiam de rebus scientificis, spirituali velut sapore discernit quid veritati revelatae cohaereat, quid ab ea discrepet, hocque reiecto, illi firmiter adhaeret; unde videmus fideles promptissime, facillime, et dixerim, suavi quadam necessitate suscipere definitiones Ecclesiae, imo illas quodammodo praevenire.

[1] 1 Cor., XII, 11. — Attendendum est, externas circumstantias, quae dogmati evolvendo, ut diximus, favent, sicut etiam dona intellectus, scientiae et sapientiae, attribui Spiritui Sancto per appropriationem, non per proprietatem, cum communia sint tribus personis opera ad extra; ea quippe quae ad hominum sanctificationem pertinent, Spiritui Sancto consueverunt attribui. Cf. tr. n. DE SANCTISSIMA TRINITATE, Quaest. XXXIX, art. 7, 8, p. 340, seq.

11. — **Illustratur praecedens doctrina.** — Ut autem res quam tractamus exemplo clarescat, simulque appareat qua ratione Spiritui Sancto attribuenda sit illa dogmatis evolutio de qua loquimur, proposito, verbi gratia, dubio, quomodo factum sit ut fideles, decursu temporis, explicite crediderint praesentiam Christi in Eucharistia fieri per proprie dictam *transubstantiationem*, cum antiquior traditio factum solum praesentiae Christi in Eucharistia referat et de modo nihil explicite tradat, — respondendum erit, hanc explicitiorem huius dogmatis notionem Spiritui Sancto deberi, operanti per supradicta dona, tamquam per propria instrumenta, et sub certis temporum, locorum et personarum adiunctis a se suscitatis, ad talem cognitionem in universa Ecclesia inducendam. — Dicimus, *in universa Ecclesia;* nam utique, per supradicta dona, Spiritus Sanctus in singulis gratiam habentibus operatur, ad uberiorem in eis de divinis cognitionem excitandam, ut infra exponetur; at speciali Dei providentiae debetur quod, datis opportunis exterioribus circumstantiis, fidelium vires in unum conferantur, ad habendam huiusmodi pleniorem de dogmate manifestationem, in aedificationem totius corporis Ecclesiae catholicae.

Huius rei exemplum esto quod Ephesi evenit, cum episcopis congregatis in causa Nestorii, *perduravit*, ut refert S. Cyrillus Alexandrinus, *universus civitatis populus a mane usque ad vesperam, sanctae Synodi iudicium expectans; ut autem audierunt infelicem illum* (Nestorium) *esse depositum, coeperunt omnes una voce sanctam praedicare Synodum, et Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus* [1].

Hoc igitur modo divinitus factum est, ut veritas revelata generaliter magis magisque dilucidaretur, praesertim in Conciliis Generalibus, et signanter in Concilio Tridentino, cum dogmata fidei nostrae tam praeclare fuerunt explicata, ut minus dolere debeamus de haereticorum impugnationibus, quibus ad illa definienda Ecclesia provocata est, quam laetari de bonis fructibus quos, ad retundendos eorum errores, Spiritus Sanctus in aedificationem fidei pro universa Ecclesia liberaliter peperit.

[1] Ep. XXXIV, S. Cyrilli ad populum alex., l. IV.

12. — Verba P. Marín-Sola. — En quomodo progressum hunc in fide, ex exercitatione donorum Spiritus Sancti provenientem, describit P. Marín-Sola, O. P. [1]: *Tous les chrétiens portent au dedans d'eux-même, l'« habitus » surnaturel de la foi, participation commencée, mais réelle, à la Divinité. Parmi eux, beaucoup y ajoutent la grâce sanctifiante, la charité, les vertus infuses et les dons du Saint-Esprit, et par suite, la Divinité elle-même et sa vie divine; quelques-uns, bien plus nombreux que nous ne croyons, atteignent le degré héroïque, la sainteté, qui rend chez eux presque normale la* VIE DE DIEU.

Tout ce cortège d'« habitus » surnaturels et surtout les dons de sagesse, d'intelligence et de science, sont des réalités objectives surnaturelles, comme une SECONDE NATURE *entée au plus profond de notre être, grâce à laquelle nous pouvons percevoir quelquefois dans le dépôt révélé et en dégager par voie connaturelle, intuitive, presque expérimentale, bien des vérités surnaturelles qui y sont vraiment implicites, mais que le théologien spéculatif ne saisit que par voie de science, de conclusion, d'étude, de laborieux raissonnement.*

Ainsi, arrive-t-il souvent, comme l'atteste l'histoire des dogmes, que, bien avant que la théologie spéculative ait inféré, ou seulement entrevu une conclusion ou un développement dogmatique, une âme sainte, un simple fidèle d'une piété vive et ingénue, aient SENTI *ou pressenti ce développement, qu'ils l'aient communiqué a d'autres fidèles, que ceux-ci l'aient accepté spontanément comme l'expression de leur propre sentiment ou de leur foi et qu'enfin ce sentiment se soit généralisé au point de devenir le* SENTIMENT COMMUN *de toute la société chrétienne. C'est ce qui constitue le «* SENS *de la foi » ou «* SENS *chrétien », par lequel nous sentons ou pressentons souvent quelques vérités, implicitement contenues dans le dépôt révélé, même en dehors du raisonnement démonstratif.*

Dès que ce SENTIMENT *avec ses airs de nouveauté, commence à se produire au dehors, il va sans dire que la théologie spéculative s'en empare pour l'examiner, pour le confronter avec les sources révélées: l'Ecriture et la Tradition, avec les déclarations authentiques des Saints Pères, des Conciles et des Papes.*

[1] L'Evolution homogène du Dogme Catholique, t. I, p. 357.

Souvent ce contrôle aboutira à la constatation que ce sentiment des fidèles, en apparence nouveau, n'est qu'une explication du contenu implicite, des vérités révélées et définies. Dans d'autres cas, la théologie spéculative, au lieu d'une DÉMONSTRATION *rigoureuse, n'atteindra qu'une plus ou moins grande* PROBABILITÉ. *Mais, qu'il y ait démonstration ou non, ce* SENTIMENT *commun de l'Eglise entière constitue* À LUI SEUL *un critère suffisant, même en dehors du* RAISONNEMENT, *pour que le Souverain Pontife ou le Concile, secondés par l'assistance infaillible de l'Esprit-Saint, puissent définir la vérité en question comme dogme de foi, comme légitime développement dogmatique. L'Eglise, dans ses définitions, n'est liée ni au* RAISONNEMENT *des théologiens, ni au* SENTIMENT *des fidèles, car elle n'est pas l'élève mais la maîtresse des uns et des autres. Peu importe le moyen humain qui lui atteste l'existence, explicite ou implicite, d'une vérité dans le dépôt révélé, c'est assez de ce témoignage pour l'autoriser à définir cette vérité. Parmi ces moyens figure le* SENTIMENT *de l'Eglise entière, autant ou plus que le* RAISONNEMENT *théologique; et c'est à former ce sentiment que contribuent les « habitus » surnaturels dont nous avons parlé, et cela de la manière que nous avons dite, mais pas au moyen de l'étude et du raisonnement comme la théologie spéculative, mais connaturellement et comme d'instinct.*

13. — Ex carentia donorum intellectus, scientiae et sapientiae, oriuntur in anima hebetudo sensus, caecitas mentis, ignorantia et stultitia. — Ut autem evidentius pateat quam pretiosae res sint dona intellectus, scientiae et sapientiae, et quantum conferant, sub motione Spiritus Sancti, ad progressum in cognitione dogmatis catholici, iuvabit modo oculos mentis convertere ad miserandos illos effectus, qui ex carentia huiusmodi donorum inducuntur in anima singulorum hominum. Re quidem vera, ubi desunt dona intellectus, scientiae et sapientiae, ibi adesse necesse est hebetudinem sensus, caecitatem mentis, ignorantiam et stultitiam, quibus omnis progressus in cognitione dogmatum praepeditur.

14. — Effectus carentiae doni intellectus. — Imprimis autem sciendum est, donum intellectus maxime evacuari

per vitia carnalia, quae sunt luxuria et gula, sicut ex adverso oppositae virtutes, scilicet castitas et abstinentia, hominem disponunt ad perfectionem intellectualis operationis. Nimirum, ex gula oritur hebetudo sensus, quae hominem reddit debilem circa intelligibilia supernaturalia; ex luxuria vero oritur caecitas mentis, quae quasi totaliter excludit cognitionem bonorum spiritualium [1], quo sensu dicebat S. Paulus [2]: *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere* [3].

At vero non pigeat pauca hoc loci subnexuisse de utroque isto malo, scilicet de hebetudine sensus et de caecitate mentis; haec enim sunt duo illa mala quae videmus hodie fere universaliter vigere, quibus debetur illa diminutio sensus fidei, quam viri sapientes amare lugent, et cui alludebat Dominus Noster, cum dicebat [4]: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Ad haec quoque mala respexisse videtur S. Paulus, cum de novissimis diebus, quae vocat tempora periculosa, edisserens, aiebat [5]: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*, etc.

15. — Quid sit hebetudo sensus spiritualis. — Porro, ad intelligendum quid sit hebetudo sensus spiritualis, de qua modo loquimur, oportet ad eius oppositum recurrere. Et quidem, *hebes* opponi *acuto* [6]: acutum autem dicitur aliquid ex hoc quod est obtusum, penetrare non valens. Quia vero hebetudo spiritualis dicitur ad similitudinem hebetudinis sensibilis, attendendum est quo pacto quis corporaliter hebes dicatur. Nimirum, sensus corporalis, v. gr., visus, auditus, olfactus, dicitur acutus, in quantum ex aliqua distantia suum obiectum percipit, vel intima et minima rei deprehendit, quasi penetrando medium; unde dicitur aliquis esse acuti

[1] 2 2ae, Quaest XV, art. 1, 2, 3. — [2] 1 Cor., II, 14. — [3] Cf. S. Augustin., Sermo. LXXI, de verbis Ev. Matth., t. V, p. 399, n. 3; Enarrat. in Ps. XXXVIII, t. IV, p. 310, n. 3. — [4] Luc., XVIII, 8. — [5] 2 Tim., III, 2. — [6] Initio nomen *hebes*, sicut contrarium, *acutum*, impositum est ad significandam certam formam rei materialis, quo sensu legimus (Eccles., X. 10): *Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.*

sensus, qui potest percipere sensibile aliquod ex remotis, vel videndo, vel audiendo, vel olfaciendo: e contra, dicitur quis sensu hebetari, qui non percipit nisi ex propinquo et magna sensibilia.

Iamvero, ad similitudinem sensus corporalis dicitur sensus spiritualis, cuius est percipere intelligibilia, non quidem per medium distantiae corporalis, sed per quaedam alia media, sicut cum per proprietatem percipit rei essentiam, et per effectum causam, aut viceversa. Ille igitur dicitur esse acuti sensus spiritualis, qui statim ad apprehensionem proprietatis rei vel etiam effectus, naturam rei comprehendit, et usque ad minimas rei conditiones considerandas pertingit: unde aliquis dicitur spiritualiter hebens, qui ad cognoscendam veritatem rei supernaturalis pervenire non potest, nisi per multa ei exposita, qui tamen etiam tunc pertingere nequit ad perfecte consideranda omnia quae ad rei rationem pertinent [1].

En quam exitialis res est, pro homine, hebetudo sensus spiritualis, qua mens tardior fit desesque et veluti stupida ad divina percipienda, et qua ingenii vis retrahitur, quominus usque ad occultam medullam veritatum fidei pertingat, indeque dulcedinem percipiat divinae contemplationis.

16. — Quid sit spiritualis caecitas mentis. — At quantumvis huiusmodi intellectualis hebetudo grave obstaculum afferat spirituali hominis profectui, adhuc tamen deterior evadit spiritualis illa caecitas mentis, quae importat omnimodam privationem cognitionis rerum supernaturalium. Causatur autem huiusmodi caecitas vel ab occupatione mentis circa alia quae magis diligit, et quibus mens avertitur ab inspectione principiorum fidei, vel etiam interdum ab hoc quod quis voluntatem habet spontanee se avertentem a consideratione talium principiorum [2], iuxta illud [3]: *Noluit intelligere ut bene ageret.*

[1] Advertat diligens lector quam cohaereat haec doctrina, quae est S. Thomae fere ad verbum (loco cit., art. 2), cum tritis illis dicendi modis, quae passim apud vulgus circumferuntur. — [2] Ibid., art. 1. — [3] Ps. XXXV, 4.

17. — Ignorantia et stultitia, effectus carentiae donorum scientiae et sapientiae. — Ex carentia autem doni scientiae provenit in anima ignorantia rerum spiritualium, quae quidem non est simplex nescientia aut scientiae negatio, sed est privatio scientiae eorum quae quis aptus natus sit scire: quilibet autem christianus stricto tenetur officio ea cognoscendi quae sunt fidei [1].

Sapientiae autem dono, tanquam contraria, opponitur stultitia, seu insipientia, quae importat hebetudinem cordis et obtusionem sensuum: dum enim sapiens habet sensum subtilem et perspicacem, stultus, e contra, illum habet hebetatum, unde caret sapore discretionis in iudicando: si autem totaliter privetur spirituali sensu, fatuus dicitur [2]. Advertendum autem est huiusmodi stultitiam et fatuitatem, non secus ac hebetudinem et caecitatem mentis, ex luxuria oriri, quae versatur circa maximas delectationes sensibiles, quibus anima hominis caeco impetu absorbetur, ad terrena deiicitur, et in immunditia foede submergitur, miserabiliter, ni sese opportune retraxerit, peritura [3].

18. — Tristes effectus carentiae donorum intellectus, scientiae et sapientiae in mundo. — Haec dum animo revolvimus, abstinere nequimus quin mente revertamur ad tristissimam illam conditionem, cui homines subsunt, quibus deest triplex illud donum Spiritus Sancti, nempe intellectus, scientia et sapientia: sicut enim per huiusmodi dona mentes hominum miro modo informantur, nedum ut firmiter revelationi adhaereant, verum etiam ut discernant veritatem a falsitate, et ut proprio studio expresse adinveniant quae in rebus revelatis implicite continentur; ita ii, quibus deest interna ista illuminatio, densis obvolvuntur tenebris circa veritates supernaturales, imo tam absurda proferunt iudicia, ut quaestio interdum opportuna moveatur, sintne qui talia dicunt sanae et integrae mentis compotes.

Primo enim tardi nimis deprehenduntur et quasi hebetes circa veritates fidei, quas despicere se superbe profiten-

[1] 1 2ae, Quaest. LXXVI, art. 2. — [2] 2 2ae, Quaest XLVI, art. 1. — [3] Ibid., art. 3.

tur; unde aut proclamant res ordinis supernaturalis fere nullius esse momenti, suaque nihil prorsus referre, aut sibi aperte vindicant ius quaecumque libuerit cogitandi. Sed et spiritualem sensum adeo obtusum et languidum habent, ut corticem rerum corporalium penetrare haudquaquam valentes, invisibilia Dei per ea quae facta sunt minime conspiciant, materiaeque usque adeo insistant, ut in ea velut immersi videantur, et sic omni veritatis supernaturalis cognitioni valedicant. Qui etiam interdum tanta animi caecitate afficiuntur, ut apertissima facta, et quae omnibus ultro patent, praefracte denegent, ne virtutem aliquam natura superiorem agnoscere cogantur: sic quippe multi sunt qui patentissima miracula, de die in diem apud Lourdes magna frequentia patrata, ipsi sensuum testimonio refragantes, impudentissime abiiciunt [1].

Hi igitur miseranda caecitate affecti, et quidem eo perniciosiori quo magis voluntaria est, amplius nesciunt discernere verum a falso, aut rectum de rebus naturae dictisve hominum iudicium proferre in ordine ad vitam aeternam: qui quidem, etsi interdum temporali prosperitate donati videantur, in spiritualibus tamen stolidi sunt et squalida velut vecordia pulsati.

19. — Quam late pateat carentia praedictorum donorum. — Utinam vero malos istos effectus, ex carentia donorum intellectus, scientiae et sapientiae ortos, in iis quoque cernere non liceret, quos populi christiani duces Dominus constituit, quosque sal terrae esse voluit, ad condiendos in veritate fidelium animos [2]! At, malo fato, quam saepe lugeri in eis quoque debet carentia illius divini saporis, sensusve discretionis relate ad res fidei, dum scilicet errorem veritati permisceri sinunt, aut veritatem dimidiate tantum praedicantes, fidei dogmata ad naturalis ordinis placita reduci posse contendunt. Cuius infidelitatis causa haec sane est, quia oratione neglecta, rebus mundanis plus aequo insistunt,

[1] Notabit lector, in carentia donorum intellectus, scientiae et sapientiae, radicem habere errores eorum quos *indifferentes*, *liberos cogitatores*, *materialistas*, et *agnosticos* vocitant. — [2] Matth., V, 13.

et lectioni librorum aut ephemeridum religionis sanctitati detrahentium, utique cum magno fidelium scandalo, ultro indulgent: quo fit ut sensus fidei in eis paulatim minuatur, spiritusque demum exstinguatur [1]. Certe haud satis inculcari valebit necessitas, pro clero, ut sedulo caveat ab illis venenatis pascuis, quae in perniciosis libris aut ephemeridibus subministrantur, quibus christianus sapor paulatim corrumpitur. *Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis* [2]?

At, quod adhuc lamentabilius est, huiusmodi carentia spiritualis saporis et sensus discretionis interdum reperitur etiam in scriptis quorumdam auctorum, qui utique catholici vocantur et catholici haberi volunt, qui tamen dimidia ex parte desipientes, veritate velo obducta, pactum cum errore feriunt, et ob motiva prorsus indigna, falsa de dogmatibus fidei et de morali christiana proferunt, quibus propterea illud Isaiae applicari potest [3]: *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* — Sane huiusmodi scriptores potius traditores quam defensores veritatis sunt dicendi, quibus in ultimo die strictum imminet iudicium, eo quod ad errorem oves pertraxerint, quas a Christo in veritatis tramite ducendas et continendas sibi concreditas acceperant [4].

En quales spirituales tenebrae, per despectum et reiectionem donorum Spiritus Sancti, inducuntur in homines, in perniciem fidei et damnum salutis animarum. Ex adverso, quam suavi et benigna luce circumfunditur, mediantibus donis intellectus, scientiae et sapientiae, anima veritatis supernaturalis pie sitibunda! Huic profecto datur iugiter in uberiorem cognitionem dogmatis catholici progredi, et sic explicitius clariusque credere et retinere, quae nonnisi subobscure et implicite antea tenebat.

[1] 1 Thess., V, 19. — [2] Marc., IX, 49. — [3] V, 20. — [4] Huc facit quoque grave Pii X monitum ad librarios (in Encycl. *Pascendi*): *Vigilent episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe, in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde, nec parva cum laude, proponuntur.*

20. — Scholion. — Omittere hic non possumus quin et in eos animadvertamus, qui vellent aut concionatores, in sermonibus ad populum, aut scriptores librorum ascesim foventium, abstinere se omnino a mysteriis fidei nostrae evolvendis aut explicandis, quasi illi res tam altas capere non valeant: unde contendunt sat esse, si moralia tantum argumenta populo tradantur. Nimirum, qui ita argumentantur non considerant fideles Spiritus Sancti supra recensitis donis ita interdum instrui, ut quae rationi naturali sublimiora videantur, simplici et vivissimae eorum fidei facilia sint et quasi familiaria; unde saepe cernimus vel rudes homines et in rebus theologicis parum excultos, attentam aurem praebere concionatoribus sanioris mentis et sanctioris vitae, dum isti doctrinam de Sanctissima Trinitate, de Incarnatione, de mysteriis gratiae, de Beatissima Deipara eiusque castissimo Sponso, de Angelis, etc., ad fidei aedificationem exponunt, aut etiam libros sanctorum libenter perlegere de hisce rebus tractantibus: scilicet, quod hoc influxui donorum Spiritus Sancti in eorum animis debeatur, ambigendum non est.

21. — Donum prophetiae. — Ostenso quomodo Spiritus Sanctus fidelium animos ad pleniorem veritatis revelatae cognitionem per dona intellectus, sapientiae et scientiae perducit, inquirendum nunc venit de profectu quem iidem fideles facere possunt per extraordinarium Spiritus Sancti instinctum, quod est per donum gratis datum prophetiae. — Ubi non de prophetiis authenticis, quae videlicet in libris inspiratis consignantur, agimus, de quibus superius actum est [1], sed de prophetiis quae privatis fidelibus interdum conceduntur. Unde quaestio est quousque, ex huiusmodi prophetiis, singuli fideles in pleniorem veritatis revelatae cognitionem devenire possint.

22. — PROP. — Revelationes privatis hominibus a Spiritu Sancto concessae non pertinent ad fidem explicitam totius Ecclesiae.

[1] Recole dicta supra, Quaest. II, art. 1 et 2, pag. 114, seq.

23. — Exponitur. — Ad hoc intelligendum, imprimis recolenda sunt verba S. Augustini quae superius recitavimus [1]. Nimirum, quantacumque sit alicuius videntis, non ex canonicis scriptoribus, sanctitas et moralis auctoritas, nemo, nisi adsint specialia signa et indubia motiva, tenetur ad credendum fide divina illius dictis, ideoque, generaliter loquendo, repetenda non est, ex hoc capite, evolutio seu progressio in dogmatis manifestatione.

24. — Scholion. — Huius animadversionis gravitas illum profecto non effugiet, qui adverterit exstare scripta plurium auctorum sanctitate conspicuorum, quae passim in manibus fidelium circumferuntur, in quibus tamen plura reperire est, non ad apicem catholicae theologiae exacta. Quocirca, etsi aliqua huiusmodi opera legi utiliter et cum aedificatione possint, quae tamen in pluribus continentur adeo nova sunt et peregrina, ut iuvet fideles ab illis perlegendis arcere, cum elementum humanum in hisce saepe ingeratur, indigna prorsus de divinitate suggerens. Ceterum, sedulo recolendum est, approbationem Ecclesiae, si quando hisce operibus concessa fuerit, mere permissivam, non approbativam esse, scilicet hoc tantum evincere, in illis scriptis generaliter doctrinam revelationi contrariam haud contineri, quidquid sit de intrinseco illorum scriptorum valore [2].

Huiusmodi libris illud applicari potest quod S. Augustinus de scriptis profanis in comparatione ad Sacram Scripturam proferebat [3]: *Quantum minor est auri, argenti vestisque copia quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione divitiarum quas postea Hierosolymae consecutus est, quae maxime in Salomone rege ostenduntur, tanta fit cuncta scientia, quae quidem est utilis, collecta de libris gentium, si*

[1] Quaest., II, art. 4, n. 19, p. 166. — [2] Recole, lector, triplicis generis apprabationem, *permissivam, laudativam, definitivam*. Prima, mere negativa, effertur per *imprimatur;* secunda, per litteras pontificias, puta, in casu doctrinae S. Thomae, per encyclicam *Aeterni Patris;* tertia, in definitione Ecclesiae. — [3] Ep. LXXXII, c. I, Ed. Paris, 1679, t. II, p. 190, n. 3. Cf. De Doctrina Christiana, l. III, c. XLII, ed. cit., 1729, t. III. p. I, pag. 44.

divinarum Scripturarum scientiae comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur. — Quae praeclara verba utinam in omnibus, maxime sacerdotibus, studium exacuant legendi et meditandi, prae omnibus libris, Sacram Scripturam !

25. — Dionysii Cartusiani in studium sacrae Scripturae paraenesis. — Praeclara sunt, hac super re, verba Dionysii Cartusiani [1]: *In intellectu ac studio sacrae paginae delectatio tua consistat praecipua:... cuius lectio, teste Hieronymo, sensum acuit, intellectum multiplicat, teporem calefacit, torporem repellit, libidinis tela exstinguit, gemitum excitat, lacrimas elicit, Deo nos propinquos facit.*

26. — Quaestio I. — *Quo pacto propheta ea tenere debeat, quae sibi a Deo prophetice revelata sunt?*

Resp. Si agatur de perfecta prophetia et quae ad revelationem est ordinata, dicendus est prophetam maxima habere certitudinem de his quae per spiritum perfectae prophetiae expresse cognoscit, ideoque pro certo tenere quod haec sunt sibi divinitus revelata; unde dicitur [2]: *In veritate misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec.*

Sed quantum ad ea quae propheta cognoscit per merum instinctum propheticum, aliquando sic propheta se habet, ut non bene discernat utrum haec cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium: non omnia autem quae quis cognoscit divino instinctu, sub certitudine prophetica ei manifestantur. Unde S. Gregorius Magnus ait [3]: *Sciendum est, quod aliquando prophetae sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur.* Ne

[1] Opp. t. XIV, p. 379. Monstrolii, 1901. — [2] Ier., XIII, 5. — [3] Hom. I sup. Ezech., post med., t. II, p. 49, Ven. 1571.

tamen error ex hoc possit accidere, *per Sanctum Spiritum*, addit ille, *citius correcti, ab eo quae vera sunt, audiunt*; *et semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt* [1].

Igitur si veritas menti prophetae revelata fuerit tantummodo per instinctum divinum, propheta ipse non tenetur ea credere fide divina, cum id quod putat esse divinum instinctum possit esse mera cordis suggestio; quinimmo prudentia suadet ut quis diligenti discretione utatur, ne tanquam divinam veritatem teneat id quod forsan nihil aliud est quam proprii ingenii partus [2].

At si quis notitiam veritatis acceperit per expressam revelationem, integrum ei non erit huic manifestationi assensum praebere, necne: si enim ille qui per lumen rationis scientiam acquirit, pro certo scit eam se habere, unde obiectum huius scientiae naturali ratione tenere debet, nec liber est ab eo discedendi, multo magis qui aliquid cognoscit per lumen propheticum, certus esse debet de obiecto revelationis sibi factae, nec potest illi contradicere: maior enim est certitudo quae est per lumen divinum, quam quae est per lumen rationis naturalis [3].

27. — Quaestio II. — *Quanam fide debeat propheta tenere quae sibi revelata sunt?*

Resp. Fide divina, sicut videmus quod Abraham, admonitus in prophetica visione, se praeparavit ad filium immolandum, quod nullatenus fecisset, nisi de superna revelatione certissimus fuisset, eamque fide divina credidisset. Sic quoque S. Augustini devotissima mater dicebat discernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter Deum revelantem et animam suam somniantem [4]. Quapropter et propheta Ionas, verbi gratia, tenebatur credere revelationi sibi factae de destruenda Ninive: ideoque

[1] S. Greg. Magn., Hom. I sup. Ezech., loc. cit. De modo discernendi somnia a Deo mandata, agit ic S. Pater, l. IV Dialog., 48, 49. — [2] Exinde monebat S. Paulus (1 Thess.. V, 20, 21): *Prophetias nolite spernere: omnia autem probate. quod bonum est tenete.* — [3] 2 2^{ae}, Quaest. CLXXI art. 5, ad 3^{m}. — [4] L. VI Confess., c. 13, n. 23, t. I, p. 130.

graviter peccavit mandatum Dei sibi in revelatione manifestatum transgrediendo, ut ex poena ipsi inflicta evidenter ostenditur.

28. — Solvitur tacita obiectio. — Obiicienti, contra id quod de propheta Iona diximus, illud non evenisse quod ipse praedixerat, cum Ninive Deus postea pepercerit, responderi debet, prophetiam aliam esse *praedestinationis*, aliam *praescientiae*, et aliam *comminationis*, secundum quod vel annuntiatur aliquid faciendum a Deo, vel praedicitur aliquid complendum ab homine, vel aliquid manifestatur prout est in sua causa: et prima quidem et secunda semper adimplentur, non autem tertia, qualis praecise fuit prophetia Ionae, quae adimpleta non fuit, quia per eam praenuntiabatur ordo causae ad effectum, scilicet ordo peccatorum Ninivitarum ad destructionem civitatis, quae tamen destructio impedita fuit, causa destructionis cessante et aliis causis supervenientibus, scilicet praedicatione Ionae et poenitentia ipsorum Ninivitarum, ex quibus, iuxta Dei ordinationem, sequi debebat salus civitatis [2].

29. — Advertendum. — Notandum autem est, id quod hic dicimus, nempe prophetam expressam revelationem habentem, semper scire id quod dicit per spiritum propheticum, valere tum pro prophetis quorum scripta in suo canone Ecclesia retinet, quos authenticos et publicos vocavimus, tum pro prophetis de quorum prophetiis Ecclesia nullum tulerit iudicium.

Nimirum, tenendum est prophetas scripturisticos, ut Isaiam, Ieremiam, etc., discrevisse inter id quod ex spiritu prophetico dicebant, et id quod ex spiritu proprio proferebant, et illud quidem, tanquam certissimum, fide divina tenuisse: revera, si ipsi prophetae, de iis quae sibi revelabantur, certitudinem non habuissent, fides quae eorum dictis innitebatur, certa non fuisset. Idipsum dicatur de authenticis hagiographis, verbi gratia, de Moyse, de Luca, etc.; nisi quod, cum ea quae narrabant, humana ratione cognoscere

[1] Cf. 2 2ae, Quaest. CLXXIV, art. 1.

potuerint, dicendum est eos ita certe discrevisse inter vera et falsa, ut his reiectis, illa tantum admiserint.

E contra, si considerentur apocryphi auctores, ut sunt auctor tertii et quarti libri Esdrae, auctor evangelii infantiae Christi, et similes, etsi admitti possit eos per quemdam instinctum propheticum plura cognovisse et dixisse, eorum tamen scripta non sunt habenda tanquam expresse revelata, deficiente in scriptoribus huiusmodi iudicio discretivo inter ea quae per spiritum prophetiae et ea quae per spiritum proprium proferebant.

Similiter de privatis prophetis dicendum est quod si Deus eis aliquid expressa revelatione manifestaverit, probe discernere norunt id quod ex spiritu prophetiae venit, ab eo quod ex spiritu proprio derivatur; quod praestare nequeunt ii qui tantummodo cuiusdam instinctus prophetici participes fiunt. Et quidem priores fide divina tenere debent id quod sibi manifestatur, non autem secundi; ideoque videmus aliquos Sanctos, habitis prophetiis ita inhaesisse, ut de eis ne minimum quidem dubium habuerint, ita ut sese etiam pro obiecto suarum revelationum adserendo, paratos exhibuerint mortem ultro suscipere [1].

30. — Quaestio III. — *Qua nam ratione suscipere debemus revelationes prophetarum?*

Resp. Non tenemur ad credendum fide divina revelationibus, nisi illarum authenticitas sufficienti confirmatione communiatur. Quae confirmatio dupliciter haberi potest: scilicet, primo, per auctoritatem Ecclesiae, quemadmodum factum est relate ad canonem librorum Veteris et Novi Testamenti, quo casu revelationes ibi contentae tenendae sunt

[1] Sic, verbi gratia, notum est sanctam Ioannam ab Arco mortem subiisse pro tuenda veritate suarum revelationum: unde et martyr proprio sensu potest appellari. Nec verum est id quod ab iniquis eius iudicibus, ad illam infamandam, divulgatum est, scilicet eam morti iam proximam, habitis revelationibus fidem retraxisse, ut ex invictis testimoniis nuper ostendit Ph. Dunand, in op. *Jeanne d'Arc a-t-elle abjuré au Cimetière de Saint-Ouen?* La vérité sur le drame du 4 mai, 1431. Paris, 1903.

fide divino-catholica; secundo, per signa revelationem confirmantia, quemadmodum Ninivitae credere debuerunt prophetiae Ionae, quem scire potuerunt e ventre piscis miraculose vivum eductum. Peccaret ergo contra fidem qui prophetias hoc modo miraculis confirmatas fide divina tenere renueret.

At vero, deficientibus utcumque, sive Ecclesiae auctoritate, sive signis congruentibus, revelationibus Sanctorum credere non tenemur, licet nec eas a priori reiicere praecipitanter debeamus, iuxta sapientissimum monitum quod ex S. Augustino superius retulimus [1]; quo etiam afferri potest illud Ecclesiastici [2]: *Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur: nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum.* Nimirum, media via incedendum est inter praefatam denegationem et anilem credulitatem, et prudenter exspectandum usquedum res evadat manifesta, vel Ecclesiae iudicio, vel signis inconcussis: quod generaliter dicendum est de mirabilibus eventibus interdum occurrentibus. Sic, dum ultro suscipi debet, ob Ecclesiae iudicium, apparitio B. M. V. apud Lourdes, prudentia tamen suadet ut de quibusdam aliis suppositis manifestationibus eiusdem Beatae Mariae Virginis, pro quibus videlicet Ecclesiae iudicium desideratur, anceps haereat animus.

31. — Scholion. — Notandum est, id quod refert S. Petrus, homines ad Noe praedicationem incredulos permansisse, proptereaque in carcere detrusos fuisse [3], referri posse ad tacitam illius patriarchae praedicationem: nam et arcae fabricatio praedicatio erat, cui praedicationi attendere illi debuissent, remordente eos conscientia sua; licet praedicationem de futuro universali diluvio Noe firmare potuerit miraculis, de quibus tamen Scriptura silet, quo casu, hominum incredulitas foret dicenda inexcusabilis, non solum relate ad praedicationem Noe, sed etiam relate ad praedicationem de futuro universali diluvio.

32. — Revelationes factae Sanctis. — Et haec quidem animadversio valet non solum relate ad illos auctores, qui

[1] Ps. 252, 253. — [2] XXXIV, 6. — [3] 1 Ep., III, 19, 20.

in Sanctorum catalogo non recensentur, aut de quorum operibus nullum Ecclesia iudicium protulit; sed etiam relate ad illos quorum scripta forsitan agnita fuerunt, ut sunt revelationes S. Birgittae, de qua in Breviario Romano legitur quod *arcana multa* (ei) *fuerunt divinitus revelata* [1]. Nimirum, huiusmodi iudicium nimis generale est, quam ut ad singula huius Sanctae scripta possit extendi; quinimmo, dicendum est approbationem, si quam de alicuius Sancti revelationibus Ecclesia ediderit, potius esse negativam, quam positivam, ideoque hoc sensu accipiendam, quod Ecclesia solummodo declarare intendat in illis scriptis nil contra fidem bonosque mores contineri, eaque posse utiliter legi ad pietatem fovendam, quodcumque tandem iudicium de talium revelationum origine, iuxta sanioris criticae leges ferri debeat; maxime cum, ut diximus, humanum elementum in huiusmodi visionibus permisceri queat, quin videns ipse hoc discernere possit [2].

Quod si hoc dicitur de revelationibus illorum, quorum scripta Ecclesia aliquo modo approbasse perhibetur, multo magis dicendum erit de illorum scriptis, de quibus nullum prorsus tale iudicium latum invenitur. Tales quippe sunt, verbi gratia, revelationes Mariae ab Agreda [3], Beatae Martinengo [4], Catharinae Emmerich [5], aliorumque bene multorum. Nimirum, quae in huiusmodi scriptis inveniuntur sanae theologiae et scriptis Patrum cohaerentia, utiliter legi po-

[1] In festo, 8 Oct., Lect. VI. — [2] Hac de causa, olim vetuerat Urbanus VIII (Decret. S. Officii, *SS.mus D.nus Noster*, 13 Mart., 1631) ne libri continentes revelationes hominum cum sanctitatis fama defunctorum, absque Ordinarii approbatione imprimerentur. — [3] Vixit ab anno 1602 ad annum 1665, et scripsit opus: *La Mistica città di Dio.* — [4] Vide P. Benedetto da Alatri, Ord. Cap., in opus: *L'Eucaristia e la Vergine* (Romae, 1902), ubi revelationes B. Magdalenae Martinengo commentatur. Sane hic plura sunt reprehensione digna: verbi gratia, quod dicatur corpus B. Virginis assumptum fuisse in caelum virtute Eucharistiae, et quod asseratur sacras species in eius pectore in caelis conservari, ab Angelis et Sanctis, quasi in tabernaculo, in aeternum adorandas. — [5] De revelationibus Catharinae Emmerich haec habet. P. I. B. Terrien, S. I.: *Au reste, s'il faut dire toute ma pensée, je n'accorderais, pour ne rien dire de plus, qu'une assez petite*

terunt ad fidem pietatemque confovendam: at si qua sint receptae doctrinae contraria, ea prorsus abiici debebunt; quae autem praeter Sacrae Scripturae aut traditionis testimonia de Christo aut de Beatissima Virgine in huiusmodi libris passim traduntur, cum magna cautela erunt admittenda, maxime si magis curiosa sint, quam seria et solida. Praecipue autem tanquam commentitiae abiiciendae erunt eae prophetiae, quibus finis mundi velit certo tempore determinari, cum Christus expresse dixerit [1]: *De die autem illa et hora, nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater* [2].

33. — Dolosae artes quorumdam recentiorum pseudoprophetarum. — Quanti facienda sit animadversio quam supra retulimus, nempe fidem Ecclesiae minime obligari revelationibus factis privatis hominibus, evidenter constat gravissimis malis quae ex nimia in hac re credulitate interdum provenit.

Ubi, ut de recentioribus tantum eventibus loquamur, nondum memoria exciderunt turbationes ortae opera cuius-

---

confiance à ces visions trop vantées de la religieuse Augustine du couvent d'Agnetenberg. La Mère de Dieu et la Mère des hommes, I, P., T. II, p. 359, in nota.

[1] Matth., XXIV, 36. — [2] Quocirca reiicienda est tanquam spuria prophetia sancto Malachiae, episcopo Connerthensi in Hibernia, attributa, seriem Romanorum Pontificum exhibens, inde a Caelestino II (1143) usque ad ultimum Papam, de quo legitur: *In persecutione extrema Sanctae Romanae Ecclesiae, sedebit Petrus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis, civitas septicollis diruetur et iudex tremendus iudicabit populum suum.* — Videri de hac celeberrima pseudo-prophetia possunt: *Historia chronologica Romanorum Pontificum cum praesignatione futurorum ex sancto Malachia*, Lugduni, 1602; P. Ménestrier: *Réfutation des Prophéties faussement attribuées à saint Malachie sur les élections des Papes*, Paris, 1689; M. F. Cucherat, chanoine honoraire d'Autun: *La prophétie de la succession des Papes depuis le XII^e^ siècle jusqu'ã la fin du monde*, Grenoble, 1873; Joseph Maître: *La prophétie des Papes attribuée à saint Malachie. Etude critique*, Beaune, 1901.

dam David, cognomento sancti, qui circa annum 1870, in regione dicta Montagnata, in Tuscia, ex blasphemo ad vitam eremiticam conversus, primum poenitentiam publicam instauratam voluit; tum, electis duodecim sociis, quos apostolos nominare ausus fuerat, socialismi doctrinas disseminare coepit; denique a duobus sacerdotibus auctoritati ecclesiasticae rebellibus coadiuvatus, prophetias edere praesumpsit, formam prophetiae Ezechielis procaciter imitatus, quas S. Indicis Congregatio, die 31 Iulii 1878, condemnavit. Qui tandem cum processionem contra fas indixisset, ad quam frequens populus convenerat, ipsemet glande plumbeo in fronte, eo praecise loco ubi signum Crucis sacrilege gestabat, confossus interiit, die 18 Augusti, 1878.

Sed nec tacendae dolosae artes cuiusdam mulieris, nomine Matildis Marchat, quae propria somnia tanquam authenticas revelationes venditans, eousque devenit, ut contenderet iussisse Dominam Nostram ut in pago Loigny, in dioecesi Carnutensi, ordo religiosus institueretur, cui titulus foret, *Ordo Sacratissimi Cordis Iesus poenitentis*. Pseudo-communitas ista, simul cum fraudulenta moderatrice et obstinatis fautoribus condemnata est decreto S. Inquisitionis [1].

Graviora adhuc scandala non ita pridem in Polonia fanatismus invexit, cum opera cuiusdam mulierculae, nomine Mariae Franciscae Koslowska, non laici tantum homines, sed plures etiam ecclesiastici viri decepti sunt. Quae in tantum praesumptionis devenit, ut se Sanctissimae Dei Genitrici sanctitate parem faceret, tantaque apud Deum potestate donatam assereret, ut absque suo patrocinio nemo posset salvari. Quae quidem, simulque secta, ab ea Mariavitarum dicta, decreto S. Inquisitionis, die 5 Decembris, 1906, damnata est [2].

34. — Permanentia spiritus prophetiae in Ecclesia. — At, si falsae datae sunt, ultimis temporibus, et, ut supponi licet, adhuc dandae sunt in futurum, prophetiae quibus decipiuntur multi, non propterea negandum erit Deum inter-

[1] Cf. Anal. Eccles., A. D. 1896, p. 145. Cf. etiam A. D. 1894, pp. 191, seq. — [2] Cf. Analecta Eccles., A. D. 1907, p. 10.

dum, ad meliorem populi gubernationem, necnon al cultum divinum plenius disponendum [1], huiusmodi gratiam servis suis concedere; unde dicitur [2]: *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.*

Re quidem vera, videmus, inde ab exordio Ecclesiae fideles, cum ad orationem convenirent, frequenter variis donis, ad mutuam aedificationem, a Spiritu Sancto instructos fuisse, inter quae eminebant dona linguarum et prophetiae; ex quibus tamen donis S. Paulus aperte testabatur se posterius praeferre, utpote ad fidelium aedificationem magis conferens [3]. — Quod autem saeculorum decursu indesinenter viguerit in Ecclesia istud charisma, ex iis quae legimus in vitis sanctorum luculenter resultat; nec est qui ignoret, nostris hisce temporibus haud defuisse huius doni aperta vestigia in pluribus Servis Dei, ut evidenter constat ex vita sancti Vianney [4], cui Deus spiritum discretionis cordium, ad multorum conversionem, misericorditer largitus est. — Praecipue vero spiritualibus necessitatibus Ecclesiae suae Deus providet per auctoritatem Summi Pontificis, cui, ut diximus, in exercitio supremi magisterii, spiritus prophetiae quodammodo affulget, in conservationem fidei, in aedificationem ordinis moralitatis, in directionem actuum humanorum et in salutem fidelium; quod quidem beneficium usque ad consummationem saeculorum perduraturum est.

35. — Conclusio. — En quaenam decernenda veniunt relate ad evolutionem et progressum in fide catholica, operante Spiritu Sancto in animabus fidelium. Quocirca, reiicienda sunt quae de christianae conscientiae elaboratione modernistae effutiunt: quo faciunt illa S. Pauli verba [5]: *Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Porro, stante perfecta identitate dogmatum per tot saeculorum successiones, quan-

[1] 2 2ae. Quaest. CLXXII, art. 1, ad 4m. — [2] Prov., XIX, 18. — [3] 1 Cor., XIV, 5. — [4] Pariter, legimus in vita B. Annae Mariae Taigi, illi per quadraginta annos solem splendidum menti affulsisse, in quo futuros et absconditos eventus legere poterat. Vita scritta dal P. Callisto della Provvidenza, L. III, c. IV, p. 139. Roma, 1873. — [5] Gal., I 8.

ta iam et quam suavia veritatis documenta, in ordine simul speculativo et practico, ex illius occulta et efficacissima operatione, sunt in tota Ecclesia derivata, ad fidei morumque aedificationem!

Cuius rei testes sunt eloquentissimi libri doctrina et suavitate referti, a sanctis Patribus et Doctoribus conscripti; conciones a viris apostolicis ad populum habitae ad renovationem vitae christianae et promotionem bonorum operum; piae hominum consociationes ubivis locorum fundatae, ad debellandas mendacii potestates; ampliata, fovente Ecclesia, cultus catholici forma; dilatata cuiusvis generis exercitia ad fidelium devotionem fovendam, et alia id genus bene multa, quibus patenter ostenditur quam late extendatur benigna et fortissima Spiritus Sancti operatio ad consummationem operis redemptivi Christi in animabus hominum ad vitam aeternam praedestinatis.

Enixe igitur exorandus est almus iste Spiritus, ut mentes nostras iugiter illuminet et corda nostra igne suo inflammet, quatenus Deum semper melius cognoscere et amare possimus.

Per te, sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

ARTICULUS III. — *Utrum per sacrae Doctrinae scholasticae evolutionem factus fuerit progressus in cognitione dogmatum fidei.*

1. — **Ratio articuli.** — Ut rite intelligatur qua ratione sacra Doctrina causa fuerit amplioris progressus in cognitione dogmatum fidei nostrae, operae pretium erit hic summis velut lineis descripsisse quaenam fuerit, temporum decursu, illius conditio: non enim una semper fuit illius sors et, ut ita eloquar, fortuna.

2. — **Sacrae Doctrinae exordia.** — Primis quidem Ecclesiae temporibus, non ita ex professo tradebatur sacra Doctrina, ut omnes veritates, quas theologia sua amplitudine

comprehendit, in unum corpus ordinata methodo comprehenderentur. Sed, sicut etiam libri sancti Novi Testamenti, nacta speciali occasione, ab hagiographis sub speciali Spiritus Sancti influxu conscripti sunt, ita et doctrina theologica, nonnisi determinatis circumstantiis impellentibus, ad certum quemdam finem, aut populos aliquod speciale mysterium edocendi, aut aliquem errorem refutandi, per partes singillatim initio tradebatur. Nec tunc scriptores tam stricto et, pene dicamus, technico stylo utebantur, ut non esset possibile aliquando haereticos eis quae tradebantur in adversariam partem, in suam quidem perniciem, abuti. Demum rationes reddebantur pro traditis dogmatibus, non tam quas ratio fide quidem illuminata suaderet, quam quae ex penu ipsiusmet divinae revelationis depromebantur. Talia sunt scripta maxime priorum Ecclesiae Patrum, in quibus ad rigorem scientiae exactam et omnino definitam notionem plurium quae Christus tradidit et Ecclesia docet, ut, verbi ad instar, confessionis auricularis, indulgentiarum, cultus sacrarum reliquiarum et imaginum, quis frustra desideret. Et haec quidem fuit *periodus formationis*, seu *infantiae*.

3. — Sacrae Doctrinae amplior evolutio. — Labentibus autem saeculis, necessitas apparuit veritates, quas sacra Doctrina comprehendit, certo ordine certaque methodo tradendi, adhibitis etiam stylo pressiori et magis determinatis terminis, qui in sui significatione ita defigerentur, ut viam praecluderent haereticorum cavillationibus. Tunc etiam visum est maxime opportunum fore, si fidei nostrae dogmata rationibus ex ordine naturali depromptis defenderentur, et quantum fieri posset, opportune illustrarentur: probe enim noverant sacrorum scriptores utramque veritatem ex uno eodemque fonte, qui est ipsa increata Veritas, aeque promanare. Quod maxime praestiterunt S. Ioannes Damascenus et serius S. Anselmus, qui, istam viam optimo successu ingressi, scholasticae theologiae parentes meruerunt appellari. Post quos de sacra Doctrina egregie meruit Petrus Lombardus, episcopus parisiensis, qui *Sententiarum Magister* solet appellari, quod sacrae Doctrinae placita sub forma sententiarum tradiderit, et suis discipulis explicandas reliquerit.

4. — Sacrae Doctrinae aurea aetas. — At uni Thomae Aquinati haec servabatur laus, ut inchoatum opus ad fastigium usque perduceret, sacrae Theologiae doctrinam in unum corpus ita ordinatim et compacta methodo redigens, ut, lapidum alicuius aedificii ad instar, non possit una veritas, quin totum nutet aedificium, evelli. Quod quidem ipse non statim praestitit, sed solum quando iam et verbo et scriptis per longam annorum seriem sacrae Doctrinae documenta tradiderat, edito percelebri opere, cui titulum praefixit *Summa Theologica*, in qua illa omnia collegit, stricta scholastica methodo exposita, quae in aliis Doctoribus Patribusque Ecclesiae sparsa inveniebantur.

Quae quidem Summa tribus constat partibus: in quarum prima agitur de Deo, eiusque attributis, necnon de processionibus divinis et de processu creaturarum a Deo: in secunda, de iis quae specialiter ad hominem spectant, quibus hic ad suum ultimum finem reduci valeat: in tertia vero, de Verbo Incarnato, quod est nobis *via, veritas et vita* [1], necnon de institutis ab eodem sacramentis, et de novissimis. Mirabilis quidem ordo, quem posteri quidem imitari, nunquam vero superare potuerunt, et cuius harmoniam insignes illae ecclesiae cathedrales mediae aetatis imitari videntur, quas tribus partibus constare compertum est, quae Summae theologicae partibus respondere dici possunt: quae sunt navis centralis in qua populus in Dei nomine adunatur, pars transversa hinc inde super navem distributa, et absis seu bema, in quo est altare, ubi agni immaculati mystica peragitur immolatio [2].

5. — S. Thomas Aquinas, Theologorum princeps. — Hac de causa sancto Thomae Aquinasti theologorum Principis appellationem grati posteri uno ore decrevere, cuius quidem laus a Leone XIII in Epistola Encyclica *Aeterni Patris*, die 4 augusti 1879, ita egregie texitur: *Inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas, qui, uti Caietanus animadvertit, veteres* DOCTORES

[1] Io., XIV. 6. — [2] Videsis: Le Docteur Angélique, S. Thomas d'Aquin, par M. le Chanoine J. Didiot, Soc. de S. Aug. 1894, pp. 86, 87.

SACROS, QUIA SUMME VENERATUS EST, IDEO INTELLECTUM OMNIUM QUODAMMODO SORTITUS EST [1]. *Illorum doctrinas, veluti disparsa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur.*

Quomodo autem tantam rem praestiterit Angelicus Doctor, explicat Pontifex: *Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de hominis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.*

Quam vero feliciter mystico quodam connubio rationem fidei sociarit Aquinas, ulterius declarat Pontifex: *Praeterea, rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.*

6. — Methodus qua utitur S. Thomas. — Quod autem planiori et quadamtenus insipido stylo utatur Angelicus Doctor, aliquid de illius operis merito non tollit: siquidem sub duriori cortice, qui profanos arcet, sapientiam non secus recondidit, ac apes fragrantissimum mel sub tectoriis ex amarioribus herbarum succis confectis contegunt: praeterea, faciliori simpliciorique dicendi modo studiosorum labor in re tam alta non modice levatur; denique, unaquaeque ars

[1] 2 2ae, Quaest CXLVIII, art. 4, in fine.

suos habet terminos, quorum utilitatem nulla dicendi venustas supplere sufficienter potest [1]. *Bonorum ingeniorum*, ait S. Augustinus [2], *insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus, nisi patere quod clausum est?* Antea dixerat idem Pater [3]: *Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur?* Et S. Hieronymus [4]: *Multo melius est, e duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem.*

Plures, imo pene infinitos non modo admiratores, sed, quod potius est, commentatores angelicus Doctor nactus est, qui, quamdiu eius doctrinis inhaeserunt, tamdiu perduravit aurea sacrae Doctrinae periodus, quam *virilitatis periodum* procul dubio appellare possumus.

7. — Decidua sacrae Doctrinae sors. — Non tamen ita res diu constitit, quin, sicut in rebus humanis accidere solet, imperfectio subreperet, *senectutisque* miseranda *periodus*: quod maxime factum est cum theologi suas opiniones sancti Thomae doctrinis substituentes, in plures partes sensusque, magno cum scientiae detrimento, abierunt. Hoc ea tempestate maxime contigit, cum de divina scientia divinaque voluntate acrius ac diutius, quam rei natura aut postulabat, aut patiebatur, disceptatum est. Ex hac enim intemperante pugna verborum mox consecutum est theologos, a iamdu-

[1] Revera, quis unquam ferat scriptorem, qui elegantiae quaeritandae causa, in ipsis Libris Sanctis pro *firmamento, liquidum* usurpet; pro *Domino, Iovam;* pro *idolis, deastros* vel *penates;* pro *angelo, genium;* pro *synagogis, collegia;* pro *racha*, quod est apud S. Matthaeum convicii genus, *belationem*. Ita Castalio apud Petavium (Prolegom., c. VII, 8). Qua in re Tullius apposite scribit (l. I, Acad., n. VI, Patavii, 1753, t. II, p. 90): *Dabitis enim profecto ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec iam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis.* — [2] L. IV, Doct. Christ., c. XI, n. 26, t. III, P. I, p. 73. — [3] C. X, n. 24, ibid., p. 74. — [4] Ep. LII ad Nepotian., n. 9. Ven. 1766, t. I, p. 264.

dum trita scholastica via paulatim recedentes, novam viam, Cartesio duce, ingressos fuisse, in qua, priscis scholasticae terminis rationibusque repudiatis, methodus in rebus theologicis pertractandis minus ad scientiam idonea, rationesque falsae philosophiae innixae, proindeque minus firmae ac efficaces subintroductae sunt. Quod divortium theologiae a peripatetica, quae est ipsa Aristotelis et S. Thomae, philosophia, saeculis maxime decimo septimo et octavo consummatum est; quo tempore theologi, si paucos excipias, a sancti Thomae methodo et doctrina recessisse inveniuntur.

8. — **Instauratio.** — Hoc autem in fidei detrimentum non modice vergere, egregii viri tum elapso, tum maxime praesenti saeculo, non sine moerentis animi luctu, conspexere. Quocirca, collatis viribus, faventibus quoque Summis Pontificibus, conati sunt sacram theologiam scholasticam in pristinum honorem avitamque dignitatem, non obstantibus adversariorum impugnationibus, restituere. Quod quidem praestiterunt, ipsammet et doctrinam, quam sanctus Thomas tradiderat, et methodum, quam ipse secutus fuerat, restituendo.

Iis autem procedendum fuit modo haud dispari, a modo quem tenent ii qui in pulcrarum artium instaurationem incumbunt. Nam, quemadmodum istis a monumentorum parietibus abradenda prius sunt strata, quibus pulcherrimae antiquitus depictae imagines obtegebantur, tum restituendae priori normae lineae architechtonicae saeculis ferreis deturpatae; ita instauratoribus sacrae Doctrinae hoc praestandum fuit, ut prius rescisso velo, quo illi divinarum rerum scriptores veritatem celaverant, mox restitueretur rerum tradendarum logicus ordo, sive in diversis tractatibus, sive etiam in quaestionum, argumentorumque temperata harmonia. Et sicut illis praetermittendum non est, ea quae resarcire volunt, novis scientiarum inventis non minus ac antiquae artis praesidio communire, ita et sacrae Doctrinae instauratores decet, una cum severiori doctrina principis scholasticorum, S. Thomae, ea etiam omnia in medium proferre, quae sive classica antiquitas, sive recens explorata inventa tradiderunt, iis omnibus sedulo resecatis, tum quae aliquorum doctorum intemperans curiositas parturierat, tum quae ali-

qui interpretes tanquam Angelici doctrinam falso venditarant, tum demum quae minus recte dicta, cum fidei definitionibus, aut exploratis scientiis pugnare inveniuntur.

9. — **Leo XIII circa sacram Doctrinam scholasticam.** — Qua in re, notanda sunt verba quibus Summus Pontifex Leo XIII [1] orbis catholici episcopos alloquebatur, cum eos hortaretur ad sacram Doctrinam scholasticam instaurandam. *Vos omnes, venerabiles fratres,* ait, *quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.*

Sed et sedulo monet Pontifex ne, loco genuinae sancti Thomae doctrinae, alia substituatur. *Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.*

Quae cum ita sint, iam pronum est ut concludamus

10. — PROP. — α) **Per sacram Doctrinam scholasticam, progressus factus est in cognitione dogmatum fidei,** β) **necnon in morum bonitate.**

11. — **Exponitur Ia Pars.** — Revera, vi suaemet celsitudinis, sacra Doctrina sibi vindicat, ut omnes scientias subditas sibi habeat, dumque earum conclusiones quodammodo comprehendit, ea quae sunt veritati consona adprobando suscipit, quae vero invenit ab eis quae Deus tradidit

[1] In cit. Ep. Encycl.

dissentientia, reprobando respuit. Quo fit ut, et Ecclesia, quae κατ'ἐξοχήν est huius sacrae Doctrinae custos et magistra, sibi proprium ius, labentibus saeculis, vindicaverit errores, non modo qui contra fidem grassantur, sed etiam qui ad philosophiam spectant, proscribendi, et ille maxime valeat quae veritati sunt consona approbare, quae autem falsa sunt condemnare, qui huius disciplinae magisterio rite imbuitur. *Est enim in illa,* dicit Scriptura Sancta [1], *Spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus; intelligibilis, mundus, subtilis.*

12. — Exponitur 2ª Pars. — Cum hominis perfectio in hoc proprie consistat, ut imitator fiat sui auctoris, ipseque eo altius in naturae suae dignitate assurgat, quo plenius divina in se attributa expresserit, hinc apparet quanta huic doctrinae nobilitas, quanta excellentia sit attribuenda, quae dum Dei eiusque proprietatum rationes intimius perscrutatur, exemplar omnis perfectionis ob illius oculos ita ponit, ut ad perfectionem suam efficacissime hoc modo promoveri valeat. Unde et in Sacra Scriptura expresse dicitur [2]: *Neminem... diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.*

Sed nec diffitemur asserere uberiores sincerae pietatis et verae ad Deum conversionis fructus ab iis colligi, qui in cognoscendum Deum resque divinas mente recolendas sedulius incumbunt. Nam et altiores quosque sanctos, quamquam litterarum ignaros, huius tamen altae sapientiae uberiorem segetem divinitus immissam accepisse, sacrae historiae testantur [3].

[1] Sap., VII, 22. 23. — [2] Ibid., 28. — [3] *The knowledge of God,* ait inclytus P. Faber (All for Jesus, c. VIII, sect. 4, p. 304), *is the establishment of Christ's kingdom in the soul. How many would be converted if they would only read and meditate on God! How many would advance in the spiritual life, who now stand still, because the Divine Perfections are not preached to them, or do not make part of their spiritual reading! How many more Catholics would serve God*

13. — Confirmatur utraque pars, ex eo quod sacrae huius Doctrinae cognitio cum ultimo hominis fine intimo foedere iungitur. Enimvero finis hominis ultimus consistit in cognitione veritatis; unde Dominus noster, qui venerat ut hominem ad suum ultimum finem perduceret, se hoc munus a Patre accepisse fatebatur, scilicet ut doceret homines veritatem. Ait enim [1]: *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et iterum [2]: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Unde veram hominis libertatem, quam ut in mundum afferret Verbum caro factum est, non alio consistere testabatur, quam in veritatis assecutione [3]: *Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos.*

At, licet veritas, cuius nobis contemplatio tamquam ultimus finis in patria repromittitur, secundum lumen alia existat, nunc enim *per fidem ambulamus et non per speciem* [4]; *cum* (vero) *apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [5]; tamen, quantum ad subiectum, eadem complectitur, nempe Deum et ea quae ad Deum quoquo modo pertinent.

Quocirca, quemadmodum fides est *habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus* [6], ita sacra haec Doctrina hominem praeparat et disponit ad finem suum aeternum capessendum, manifestatis conclusionibus quae ex fidei principiis deducuntur, et quas Beati contemplantur in Verbo: eo enim efficacius ad praestitutum finem aliquem tendere necesse est, quo ea quae ad istum finem spectant, melius cognoscit et quodammodo praelibat. *Nosse enim te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis* [7].

---

out of pure love, if they would make His character and attributes their study! I believe the bare perusal of the treatise De Deo, even with the dry harshness of its technical language, would do more to convert souls, than any halfdozen of the most fervid and affecting spiritual books that were written.

[1] Io., XVIII, 37. — [2] Ibid., I, 18. — [3] Ibid., VIII, 32. — [4] 2 Cor., V, 7. — [5] Io., III, 2. — [6] 2 2ae, Quaest. IV, art. 1. — [7] Sap., XV, 3.

Articulus IV. — *Utrum propria exercitatione et industria, singuli fideles proficere possint in acceptorum dogmatum cognitione.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam determinatum fuerit, dari posse augmentum in cognitione dogmatis catholici, tum per supernaturalem Spiritus Sancti instinctum, tum per sacrae Doctrinae scholasticae exercitationem, quaerendum nunc est utrum per uniusquisque individui recte ordinatam exercitationem, fideles in acceptorum dogmatum intelligentia possint proficere. Porro, cum duplex sit modus quo talis exercitatio in singulis fidelibus compleri possit, scilicet unus internus, qui est proprius labor et proprium studium, alter vero extrinsecus, qui est illuminatio vel instinctus Spiritus Sancti, hinc de duabus hisce causis singillatim agemus.

2. — PROP. — Possunt singuli fideles, adhibito diligenti studio, in cognitione dogmatum fidei proficere.

3. — Exponitur. — Veritas haec evidenter eruitur ex hoc loco Proverbiorum [1]: *Stude sapientiae, fili mi, et laetifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem* [2]: cui affine est illud S. Petri [3]: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe.* — Scilicet, efficax dare responsum veritatem fidei contemnentibus, contra eos disputationem instituere, eorumque sophismata rationabiliter confutare, in quibus attenditur profectus in cognitione dogmatum, est fructus diligentis investigationis; unde et S. Augustinus, loquens de sacra doctrina seu de scientia theologica, ait [4]: *Huic scientiae* (tribuitur) *illud tantummodo, quo fides saluberrima quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

[1] XXVII, 11. — [2] Aliter legitur apud Septuaginta: σοφὸς γίνου υἱέ, ἵνα σου εὐφραίνεται ἡ καρδία, καὶ ἀπόστρεψον ἀπὸ σου ἐπονειδίστους λόγους, *sapiens fias, fili, ut laetificetur cor tuum, et averte a te sermones probrosos.* — [3] 1 Ep., III, 15. — [4] L. XIV de Trin., c. 1, t. VIII, p. 498.

4. — Confirmatur. — Potest idipsum confici verbis quibus Deus populum suum olim hortabatur ad sua mandata sollicite servanda [1]: *Eruntque verba haec quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* – Quibus verbis, notat S. Thomas [2], tria assignantur circa profectum in cognitione mandatorum divinorum : *primo*, acceptio scientiae, quae fit per disciplinam et doctrinam; *secundo*, usus illius qui attenditur circa meditationem eorum quae quis scit vel intelligit; *tertio*, conservatio eiusdem, quae fit per memoriam. Idem autem dici debet de profectu in cognitione mandatorum Dei et de profectu in cognitione dogmatum fidei, cum utraque a Deo revelata fuerint. — Ille igitur noverit se in cognitione mysteriorum fidei profecturum esse, qui sacris studiis mentem impigre intenderit, iuxta ea quae sancti Patres et Doctores scholastici tradidere [3], et ea quae didicit, animo secum saepius revolverit, aut cum aliis utiliter contulerit, opportunis inde conclusionibus, pro aedificatione fidei et confutatione erroris, deductis.

5. — Studium sacrae Doctrinae in sacerdotibus. — Haec autem pia exercitatio, etsi omnibus christifidelibus quodammodo sit commendanda, specialiter tamen sacerdotibus iniungitur, quibus munus commissum est revelatam veritatem custodiendi, propagandi et defendendi. — Qua in re notat Angelicus Doctor [4], regibus quidem specialia praecepta data fuisse de instructione in doctrina legis, non autem sacerdotibus, eo quod scientia legis est adeo annexa officio sacerdotis, ut simul cum iniunctione officii intelligatur etiam et scientiae legis iniunctio; unde legitur [5]: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia an-*

[1] Deut., VI, 6, seq — [2] 2 2ae, Quaest. XV, art. 2. — [3] Quod studium Doctorum scholasticorum a studio Patrum seiungi non debeat in eo qui verum profectum in fidei doctrina facere cupit, resultat ex iis quae supra de Scholastica tradidimus, quam diximus idipsum persequi, scientifica et rigorosa methodo, quod Patres soluta oratione. — [4] Ibid., Quaest. XVI, art. 2, ad 3m. — [5] Malach., II, 7.

gelus Domini exercituum est; et rursus [1]: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* E contra, doctrina legis Dei non adeo est adnexa regali officio, quia rex constituitur super populum in temporalibus, ideoque specialiter praecipitur ut reges instruantur de his quae pertinent ad legem Dei per sacerdotes [2]: *Postquam sederit* (rex) *in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticae tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae.*

6. — Curiositatis vitium. — Ne quis autem confundat rectum et laudabile studium sacrae Doctrinae adipiscendae cum inordinato appetitu quodcumque verum cognoscendi, qui quidem appetitus pertinet ad vitium curiositatis, hinc iuverit hoc loco inquirere in quonam huiusmodi vitium consistat, et quotupliciter incurri possit. Huic enim vitio debetur quod multi hodie, longis laborum taediis haud quidem parcentes, minimum tamen inde, huncque corruptum, fructum percipiunt: sic quippe negari non potest modernistas in suis investigationibus conficiendis, plurimum insudasse; at cum eorum studia vitio curiositatis laborarent, fumum inde collegerunt.

Consistit autem curiositatis vitium in perverso appetitu veritatis cognoscendae, et inveniri potest tam circa veritatem intellectivam, quam circa veritatem sensitivam: de quibus modo singillatim disseremus [3].

7. — Vitium curiositatis circa intellectivam cognitionem. — Primo quidem, quod ad veritatem intellectivam pertinet, desiderium illam cognoscendi potest habere perversitatem, *uno modo,* prout quis suo studio tendit in cognitionem veritatis, non secundum quod per se haec cognitio bona est, sed secundum quod per accidens coniungitur ei malum, sicut illi qui student scientias adipisci, ut exinde superbiendi occasionem sumant. — *Sunt,* ait S. Augustinus [4], *qui*

[1] Osee, IV, 6. — [2] Deut., XVII, 18, 19. — [3] Desumitur praesens doctrina ex S. Thoma, 2 2ae, Quaets. CLXVII, art. 1. — [4] Cf. de Morib. Eccles. C. XXI, t. I, col. 701.

desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta maiestas semper eodem modo manentis naturae, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant; unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso caelo, de quo saepe disputant, sibimet habitare videantur. Haud dissimiliter S. Hieronymus [1]: *Nonne vobis videtur in vanitate sensus et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans caelum levat?* — Pari ratione, reprehendendi sunt, qui cupiunt scientiam adipisci, quo melius possint peccare, iuxta illud [2]: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt.* Nimirum, cognitione veritatis, quae secundum se bona est, abutuntur illi ad malum, quod pertinet ad curiositatis vitium: at ex hoc nefas esset ipsammet veritatis cognitionem, tanquam esset aliquid malum, despicere aut abiicere, cum in ea perfecte possidenda consistat ultima hominis perfectio; *ultima enim hominis beatitudo*, ait Angelicus, *in altissima eius operatione consistit, quae est operatio intellectus* [3].

Alio modo potest vitium curiositatis incurri circa intellectivam cognitionem, ex ipsa inordinatione appetitus et studii ad veritatem addiscendam, et hoc quidem, ex quadruplici capite. — *Primo*, in quantum per studium minus utile, quis retrahitur a studio quod ei ex necessitate incumbit; unde dicebat S. Hieronymus [4]: *Sacerdotes Dei, omissis evangeliis et prophetis, videmus comoedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere* [5]. Quo loci facere etiam possunt verba Ecclesiastici [6]: *Melior est homo qui minuitur sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.*

[1] Super illud Ephes., IV, 17: *Non amplius ambuletis... in vanitate*, l. III, t. VII, p. 621. — [2] Ier., IX, 5. — [3] 1 Quaest. XII, art. 1. — [4] Epist. 146 ad Damas., de Filio prodigo, t. I, p. 76. — [5] Sic graviter reprehensione digni sunt illi, ex clero, sive saeculari, sive regulari, qui neglecto studio sacrae theologiae, litterarum studiis plus aequo indulgent: quid enim prodest styli venustas, si meris quisquiliis, nugamentis ineptiisque vestiendis inserviat? — [6] XIX, 21.

Secundo, inordinatio appetitus ad discendam veritatem invenitur, in quantum quis studet eam accipere ab eo a quo non licet, sicut patet de his qui aliqua futura a daemonibus perquirunt, quae est superstitiosa curiositas; unde S. Augustinus dicit [1]: *Nescio an philosophi impedirentur a fide vitio curiositatis in percontandis daemonibus.* Nec minus graviter ex hoc capite peccant, qui aut ipsimet atheisticas adeunt universitates, cum magno fidei periculo, aut filios instruendos tradunt magistris incredulis [2].

Tertio, potest esse vitiositas circa appetitum intellectivae cognitionis, si homo appetat cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet, ad cognitionem Dei: unde S. Augustinus dicit quod *in consideratione creaturarum, non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper manentia faciendus* [3]. — Re quidem vera videmus quod inter scientias humanas, philosophia primatum tenet: unde dicebat S. Hieronymus [4]: *Qui de mensa regis et de vino potus eius non vult comedere ne polluatur, utique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam babyloniorum esse peccatum, nunquam acquiesceret dicere quod non licebat;* et S. Augustinus [5]: *Si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda.* Porro, licet studium philosophiae secundum se licitum sit et laudabile propter veritatem quam philosophi perceperunt, Deo illis manifestante [6], potest tamen quis vitium curiositatis incurrere, si scilicet abutatur doctrina ad fidei impugnationem. Hoc sensu dicit Apostolus [7]: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum;* similiter

[1] L. de Vera relig., c. 4 ad sensum, t. I, p. 750. — [2] Quapropter et Summi Pontifices et episcopi sapienter vetuerunt ne catholici iuvenes scholas atheas frequentent, ubi magistri puritati et sanctitati fidei detrahere conantur. — [3] Cf. de Vera relig., c. 29, t. I, p. 776. — [4] Super Daniel., C. I, super illud: *Proposuit autem*, etc., t. V. P. II, p. 625, et habetur cap. *Qui de mensa*, Dist. 37. — [5] L. II de Doct. Christ., c. 40, t. III, P. I, p. 42. — [6] Cf. Rom., I, 19. — [7] Colos., II, 8.

pseudo-Dionysius dicebat in epistola [1] ad Polycarpum de quibusdam philosophis, quod *divinis non sancte contra divina utuntur, per sapientiam Dei tentantes expellere divinam venerationem* [2].

Quarto, vitiositas incurritur circa appetitum cognitionis veri, in quantum quis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur; unde dicitur [3]: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris..., et in pluribus operibus* (Dei) *ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium, ea quae abscondita sunt, videre oculis tuis... Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum.* Pariter, legimus [4]: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria;* et iterum [5]: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

En igitur quodnam vitium primo loco sit vitandum ab eo qui in cognitione dogmatum fidei nostrae verum progressum facere cupiat: nimirum, fugienda est spiritualis illa curiositas, quae animum dissipat et in plura distrahit, hominemque impedit a serena contemplatione veritatis aeternae.

8. — Vitium curiositatis circa cognitionem sensitivam. — At, non solum circa intellectivam cognitionem potest esse vitium curiositatis, verum etiam circa cognitionem sensitivam, ut dictum est.

Revera, cognitio haec laudem habet, in quantum quis ei intendit ordinate propter necessitatem naturae sustentandae, aut propter studium intelligendae veritatis; sed vitiosa est, in quantum vel non ordinatur ad aliquod utile,

[1] Est 7ª. — [2] Huc faciunt gravissima verba quibus S. Congregatio Episcoporum et Regularium praedicatores admonebat ne, ad popularem auream captandam, levioris momenti argumenta, praetermissis gravioribus fidei mysteriis, e suggestu pertractarent. Instructio *La Santità di N. S.*, die 31 Iulii, 1894, S. Consilii Episcop. et Reg. ad Italiae Episcopos et Moderatores Ordinum religiosorum, de sacra praedicatione. Vide Acta Leonis XIII, Vol. XIV, pp. 268-269. — [3] Eccli., III, 22, seqq. — [4] Prov., XXV, 27. — [5] Rom., XII, 3.

vel viam ad aliquod noxium pandit. — Et hoc quidem fieri potest, non solum secundum sensum visus, sed etiam secundum alios sensus, in quantum quis delectari potest in cognitione obiectorum diversorum sensuum, et quidem respectu utriusque obiecti contrarii. Nam, si agatur de usu delectabilium sensibilium, puta, tangibilium et gustabilium, delectatio est solum respectu unius oppositi: puta, qui delectatur in usu dulcis, non delectatur in usu amari, et qui delectatur in tactu mollis, non delectatur in tactu duri, etc. At delectatio quae causatur ex cognitione obiectorum horum sensuum, potest esse respectu utriusque contrarii: sic, quis potest delectari in cognitione cibi, an sit dulcis vel amarus, et in cognitione tangibilis, an sit durum vel molle, an sit calidum vel frigidum. Et circa hanc cognitionem sensitivam vitium curiositatis incurritur, secundum quod avertit hominem ab utili consideratione veritatis [1].

Quapropter dicebat S. Augustinus [2]: *Canem currentem post leporem iam non specto, cum in circo fit: at vero in agro, si casu transeam, avertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertit illa venatio: et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea cito admoneas, aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te assurgere, aut totum contemnere atque transire, vanus hebesco.* Qui etiam superius dixerat [3]: *Ex hoc evidentius discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus, quod voluptas pulcra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur: curiositas autem etiam his contraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi, noscendique libidine.* Et iterum [4]: *Et odore et sapore mire diiudicare pulmenta, et quo lacu piscis captus sit, vel quotenne vinum sit, nosse dicere, quaedam est miseranda peritia; et his artibus cum quasi crevisse anima videtur, quae neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud quam tumuisse vel etiam contabuisse iudicanda est.*

[1] Sic ab utili sapientiae consideratione avertit hominem intensa lectio illarum ephemeridum, quae totae sunt in tricis, apinisque, quibus vulgus delectatur, minutatim narrandis. — [2] L. X Confess., c. 35, n. 57, t. I, p. 190. — [3] L. X Confess., c. 35, n. 55, p. 189. — [4] L. de Quantitate animae, c. 19, t. I, p. 417.

Igitur curiositas ponitur circa sensibilia, secundum quod delectant per hoc quod cognoscuntur; et circa omnia huiusmodi sensibilia, ut cognoscibilia sunt, attenditur concupiscentia oculorum, de qua loquitur S. Ioannes [1]: dicitur autem signanter *oculorum* concupiscentia, potiusquam concupiscentia aliorum sensuum, *nam oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principes,... ad oculos enim proprie videre pertinet: utimur autem hoc verbo etiam in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus*, ut ait S. Augustinus [2].

Similiter, apponere studium circa sensibilia in quantum sensitiva cognitio ordinatur ad aliquid noxium, pertinet ad vitium curiositatis; quo sensu peccatum est illis spectaculis interesse, per quorum inspectionem homo redditur pronus ad vitia vel lasciviae vel crudelitatis, per ea quae ibi repraesentantur; unde S. Chrysostomus ait [3], quod *adulteros et inverecundos constituunt tales inspectiones* [4].

Demum sensitiva cognitione abutitur qui eam malo fine prosequitur, scilicet ad carpendum proximum ex curiose inspectis illius dictis vel factis. Nimirum, laudabile est aliorum facta prospicere vel inquirere bono animo, scilicet sive ad utilitatem propriam, ut homo ex bonis operibus proximi provocetur ad melius, sive etiam ad utilitatem proximi ipsius, puta, ut corrigatur, si quid ab eo videtur vitiose agi, secundum regulam caritatis et debitum officii: unde dicit S. Paulus [5]: *Consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum.* Sed quod quis intendat ad consideranda vitia proximorum ad despiciendum, vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietandum, vitiosum est; unde legimus [6]: *Ne insidieris, et quaeras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius* [7].

Igitur hanc quoque vitiositatem sedulo vitabit cui cordi est in cellam divinae contemplationis ingredi et vinum bibere cognitionis et amoris Dei meracissimum.

[1] 1 Ep., II, 16. — [2] L. X Confess., c. 35, n. 54, t. I, p. 189. Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. CLXVII, art. 2, ad 1m. — [3] Homil. VI in Matth. — [4] S. Thom., ibid., ad 2m. — [5] Hebr., X, 24. — [6] Prov., XXIV, 15. — [7] S. Thomas, l. cit., ad 3m.

9. — Ex nullo studio derivari potest progressus in fidei doctrina, ex parte obiecti seu Dogmatis revelati. — Praeterea, sedulo hic recolendum venit quod supra docuimus, nempe illum a vero discedere, qui censeat ex diligenti studio dogmatum, derivari progressus in fide obiectiva, sive hoc asserat relate ad totam Ecclesiam, sive relate ad singula menbra. Et quidem, ad modernisticum errorem pertinet, ut dicatur ecclesiasticos scriptores, inde ab Apostolorum tempore, hoc suis studiis et meditationibus comparasse, ut de Christo Domino, necnon de sacramentis ab ipso institutis, maxime de poenitentia et eucharistia, novi iique semper magis magisque evoluti conceptus efformati fuerint, tum ab individuis, tum a communitate christiana suscipiendi et assimilandi, iuxta quos conceptus esset interpretanda primigenia revelatio sive in Scriptura sive in Traditione contenta, eo fere modo quo, in arte statuaria, materia rudis a forma actuatur, a qua accipit esse, figuram et proprietates [1].

Quod si ita esset, dici deberet criticus homo, qui in investigandas christianae religionis origines, iuxta documenta ab historia conservata, incumbit, convenire minime posse, in agnoscendo sensu alicuius dogmatis, cum theologo, cuius munus est actualem Ecclesiae fidem circa singula dogmata exponere. Scilicet *dici* (posset) *absque paradoxo, nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo* [2].

At, contra, docuimus supra, Ecclesiam non derivasse suae fidei dogmata a Patribus vel a Doctoribus, sed hos potius propriam doctrinam ab Ecclesia ipsa fuisse mutuatos; unde multo minus credendum est, ex profectu individuorum membrorum, licet utique in aedificationem aliorum

[1] Hinc falsa est ista propositio L. Duchesne (Histoire ancienne de l'Eglise, t. I. p. 73, Paris, 1906): *Telle est* ἐπίγνωσις (id est scientia perfectior) *inculquée par l'apôtre. Le progrès dans la foi objective est le progrès de la conception du Christ.* — [2] Prop. 61. inter 65 condemnatas decreto S. Inquisitionis, *Lamentabili sane exitu*, 3 Iulii, 1908. Eumdem sensum praeseferunt et aliae plures propositiones in eodem decreto condemnatae, scilicet 16, 39, 40, 45.

membrorum redundante, ipsam Ecclesiae fidem constitui. Quapropter, conflictus inter historiam et theologiam, quemadmodum inter scientiam et fidem, apparens esse potest, minime vero realis: quaecumque enim antilogiae inter utrumque ordinem a modernistis confinguntur, serio examine instituto, corruunt.

10. — **Aliqua sententia probabilis non est, hoc solum quod ab aliquibus auctoribus, etsi fors magni nominis, fuerit prolata.** — Denique, cavere debet rerum divinarum sedulus inquisitor, ab illa plurium hodiernorum scriptorum methodo, qui veritatem cum opinionibus confundentes, in rerum investigatione, sive quae ad dogma, sive quae ad moralem vel ad historiam pertineat, toti sunt in aggerendis variorum auctorum sententiis, censentes quidquid ab aliquibus auctoribus, maxime si illi sint magni nominis, fuerit prolatum, id probabile esse: quod certe falsum est. Esto enim pro eo qui rem aliquam per se ipse nequit dirimere, auctoritas cuiusdam gravis probatique auctoris possit determinatae sententiae auctoritatis robur adiicere, hoc tamen per accidens est: per se enim probabilitas alicuius sententiae ex ratione intrinseca pensitatur, cum tanti valeat aliqua opinio, quanti rationes cui innititur

Quapropter, proposita investigatione de aliqua re theologica vel historica, sic procedendum erit, ut instituto prius diligenti discrimine inter varios auctores, dimissisque eorum testimoniis qui leviores sunt, eatenus vel graviorum auctorum sententiis pondus auctoritatis attribuatur, quatenus rationes, quibus illi innituntur, probatione dignae videantur. Saepe enim fit ut ex collatis multorum variis sententiis, vel simpliciores conceptus in oblivionem adducantur; nec quidquam pondus adiicit alicui sententiae fama alicuius auctoris, si obiectiva et probativa ratione illa destituatur.

11. — **S. Augustini hac de re sententia.** — Aurea sunt, et ad rem nostram omnino accommoda sequentia Doctoris Hipponensis verba [1]: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut scripturas*

[1] Epist. CXLVII, ad Fortunatianum, c. IV, n. 15. t. II, p. 502.

canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meoram. Quinimmo, idem Augustinus de seipso, modestia et veritatis amore pari, dicere non dubitabat [1]: *Quae vera esse perspexeris, tene, et Ecclesiae catholicae tribue: quae falsa respue, et mihi, qui homo, sum ignosce: quae dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel praecipiat auctoritas.* Quapropter non aegre tulisset magnus Augustinus, si vixisset, damnatam fuisse iansenisticam hanc propositionem [2]: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illum absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Quod autem de Pontificis bulla dicitur, dici et de evidenti ratione debet.

12. — Securitas doctrinae omnino quaeritanda. — Sane quemadmodum inde a duobus saeculis, nimium pondus adnexum est cuivis, vel maxime peregrinae, sententiae cuiuslibet auctoris, unde videmus scientiam moralem omni fere firmitate destitui, ita ultimis hisce temporibus nimia facilitate acceptum est quidquid ab auctoribus vel minoris subsellii, vel heterodoxae fidei, vel exiguae diligentiae, de historia dogmatum scriptitatum fuerit; unde factum est ut de origine dogmatum fidei nostrae plura moverentur, in animarum perniciem, dubia, quae tamen ab animo praeiudiciis non praeoccupato solvi de facili potuissent. Qua in re utilissimum evadit grave S. Thomae monitum [3]: *Voluntas creata non est lux nec regula veritatis, sed participans lucem; unde communicare ea quae sunt a voluntate creata in quantum huiusmodi, non est illuminare; non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis, vel quid tu intelligas, cognoscere, sed solum quid rei veritas habeat.*

Enixim optandum est ut praesertim rei moralis tracta-

[1] L. de vera Religione, c. X, n. 29, t. I, p. 754. — [2] Prop. 30, inter 31, ab Alexandro VIII, 24 Aug. 1690, damnatas. — [3] 1, Quaest. CVII, art. 2.

tores, opinionum varietate relicta, res secundum propria earum principia dirimant, quo hoc tandem poterit obtineri ut, loco fluctuantium probabilium sententiarum, norma scientifice certa habeatur, pro regimine animarum rite perficiendo. Hoc autem nunquam obtinebitur, nisi per reditum ad sinceram doctrinam S. Thomae, de qua, etiam per respectum ad disciplinam moralem, valet illud Ioannis XXII, dicentis quod in sancti Thomae *libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae.*

13. — Qua ratione sint studia positiva theologica ineunda. — Quod autem ad positiva theologica studia pertinet, quibus libenter indulgere se aetas nostra facto ipso testatur, si quidem extra recti iustique viam excurrere nolint, sed magis sacro revelationis deposito conservando prodesse, dicemus ea nunquam esse ineunda, ut faciunt protestantes et plures catholici, seposita fidei lucerna: sic quippe, cum veritates revelatae, hoc ipso quod revelatae sunt, sub lumine revelationis proprio, quod est fides, innotescant, si quis illas hoc lumine exuat, nequibit easdem amplius specifice veritates ob oculos habere; non enim est eadem ratio cognoscendi veritatem revelatam penes catholicum, qui veram fidem habet, et hominem infidelem, ut saepius ex Angelico docuimus, signanter in tractatu *de gratia*. Scilicet eodem modo errare illum oportet, in dogmatum historia pertractanda, qui in suis investigationibus protestatur se a fide abstrahere velle, ac illum qui res huius mundi, non sub purissima luce, quae ipsis propria est, sed sub aliqua artificiali luce investigare velit: sic quippe impossibile ei manet colorem unicuique rei convenientem probe secernere, nec de rerum proprietatibus perfectam notitiam potest adipisci.

Re quidem vera, si videmus viros, etiam catholicos, interdum plurimum laborem frustra impendere investigandis originibus dogmatis aut cultus catholici; quinimmo, si videmus nonnullos melioris spei scientificos homines, huiusmodi studio deditos, gravem aliquando fidei iacturam, ne dicam miserandum naufragium perpessos, hoc proculdubio evenit quia sancta non sancte tractaverint, fidei dogmata, quasi essent veritates mere naturales, investigationi subiiciendo.

14. — Quanti faciat Ecclesia studium sacrae Doctrinae. — Hisce cohaerenter, sanctum solemneque quovis tempore in Ecclesia fuit, sacrae Doctrinae studium promovere, sive proposito exemplo illorum Sanctorum Doctorum qui scriptis suis illam illustrarunt, sive oblatis specialibus existimationis et honoris significationibus iis, qui excolendae sacrae Doctrinae sedulam navassent operam. Hos nimirum non solum doctorum titulo et insignibus Ecclesia vult condecorari, sed etiam specialibus praerogativis cumulat, tum relate ad quaedam beneficia obtinenda, tum relate ad peculiaria munera obeunda, iuxta illud S. Pauli [1]: *Qui bene praesunt presbyteri. duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo et doctrina.*

Sane, studium huiusmodi non solum fidem et pietatem fovet, quae sacrorum ministris tantopere necessariae sunt, sed etiam eos idoneos facit, qui multiplicia sacerdotis officia cum fructu et laude compleant.

15. — Refelluntur tacitae obiectiones. — I. Nec enim audiendi sunt qui hac de causa studio sacrae Doctrinae detrahunt quod, aiunt, hominem ineptum reddit vitae negotiis convenienter adimplendis: siquidem, quis unquam sanae mentis dixerit doctos viros, si forsan ad res gerendas inepti inveniantur, hoc debere scientiae quam habent? Nonne potius ineptiores adhuc forent, si nulla essent scientia praediti, cum stet noti axiomatis veritas: *Intellectus speculativus extensione fit practicus?* Aliunde, nonne summos Ecclesiae pastores, summos pariter theologos fuisse compertum est?

II. Sed nec magis vero appropinquant qui saluberrimum hoc studium ideo ablegandum esse volunt, quod, ut censent, hominem in superbiam inducit; etenim, quod quis de cognitione veritatis superbiat, per accidens est; aliunde verba S. Pauli [2]: *Scientia inflat*, non aliud significant, nisi quod homo interdum abutitur cognitione veritatis ad peccandum. At, quis non videat quam commentitia sit illius argumentandi ratio, qui ob possibiles abusus circa rem aliquam, usus huius rei praefracte condemnat? Verum hoc

[1] 1 Tim., V, 17. — [2] 1 Cor., VIII, 1.

quoque sedulo notetur, non in solis doctis viris superbiam irrepere, sed etiam in indoctis persaepe nidulum facere, ex quibus eo difficilius excutitur, quo magis sua illi ignorantia praepediuntur, ne propriam deficientiam agnoscant, cum compertum sit magna scientia humilitatem potius suaderi quam superbiam, parva autem scientia praesumptionem gigni et arrogantiam: unde, non minus odibilis est vir ignarus in superbiam erectus, quam vir doctus de sua scientia tumescens.

16. — Quadruplex sacerdotis munus. — Porro, quod non inanis instrumenti instar uberior cognitio dogmatum fidei nostrae hominem, qui sacris ministeriis addictus est, perficiat, ad oculum patebit, semel ac consideretur quatuor esse, quae in pastorali munere clauduntur. Primo quidem debet sacerdos fidelibus mysteria explicare, necnon adversariorum fidei insectationibus respondere, infirmorumque in fide dubia solvere. Praeterea, omnibus debet praecepta recte vivendi tradere, scilicet regulas morum, quibus intra aequitatis iura et legis continentiam serventur, ne divina et humana mandata transgredientes, praevaricationis suae poenas in aeternum sumant. Ulterius Dei ministri munus est curare ut fideles, saluberrimo peccati odio correpti, in virtutis asceterio et bonorum habituum palestra sese exerceant, quatenus rectae rationis medium tenentes, ad extrema vitiorum non deflectant. Demum, nonnullas puriores sanctioresque animas, virtutum exercitio iam assuetas, a Deo autem ad altiorem sanctitatem peramanter invitatas ut *ascensiones corde suo disponant* [1], debet sacerdos specialiter dirigere, quatenus per mysticam contemplationis scalam gradientes, alis perfectioris sanctitatis sublevatae, in ipsum possint amoris divini sanctuarium introduci. — Et haec quidem quatuor sacer Dei minister nequaquam praestare potest, nisi apprime calleat scientiam theologicam, et quidem secundum quatuor illius facies, videlicet, dogmaticam, moralem, asceticam et mysticam, quae sunt veluti quatuor flumina, ex paradiso sacrae Doctrinae dimanantia, irrigantia totam Christi Ecclesiam, floribus nunquam carentem, nec suavi varioque pomo.

[1] Ps. LXXXIII, 6.

17. — Quomodo per studium sacrae Doctrinae fidei aedificationi provideatur. — Iamvero, absque diligenti diuturnoque studio sacrae Doctrinae, quatuor illae disciplinae cognosci, uti decet, a sacris ministris haudquaquam possunt. Nam quomodo potest de catholicae fidei mysteriis recta notio haberi, nisi praemissa de eisdem seria investigatione? Pariter moralis, scientia, nisi fundamento theologiae scholasticae innitatur, firmitate caret, omniaque incerta, nutantia omnia accipit. Quae enim ipsi soliditas, quae consistentia, quae essendi ratio esse potest, nisi suppositis theologicis notionibus de actibus humanis, de lege, de conscientia, de peccato, de sacramentis? Similiter, qui virtutis gymnasium ingrediuntur, nisi recte de dogmate catholico senserint, in turpissimos quosque errores, fanatismo ducti, facile labuntur. Quis non audivit luctuosa Flagellantium, Fraticellorum, Valdensium deliramenta, cum huius scientiae serena luce seposita, vesano in seipsos corriperentur zelo? Denique mystica, nisi sacrae Doctrinae praesidio muniatur, e sua nobilissima sede decidit et ineptissimum mysticismum parit. Exemplo sunt Audiani. saeculo quarto; Graeci Palamitae, Beguardi et Beguinae, necnon Ioachimitae in media aetate; recentiori tempore, Quietistae; nostris hisce diebus, Americanistae et Modernistae; et utinam huiusmodi infecta progenies, quoties interempta, toties rediviva, ipsosmet Ecclesiae nautas, quos vigiles esse oporteret, delenifico cantu aliquando non sopirent, sopitos non demergerent, demersos non devorarent! Sane, si theologica Doctrina sacros Ecclesiae ministros totos, uti decet, occuparet, haud dubium quin se adeo infeliciter decipi non paterentur; imo potius spirituali hoc gladio nefanda erroris capita facile abscinderent.

18. — Studium sacrae Doctrinae, medium crescendi in amore Domini nostri Iesu Christi. — Sed non modo saluberrimum hoc studium sacris ministris praesidio est, ut creditum sibi populum in via salutis dirigant et custodiant, verum potentissimum quoque medium suppeditat crescendi in vero amore erga Dominum Nostrum Iesum Christum. Sane, donum illud altissimae contemplationis et puri amoris, quo Deus interdum servos suos et ancillas ornare dignatur, a

profundissima huius scientiae cognitione, sive studio acquisita, sive divinitus infusa, tanquam a proprio fonte, novimus profluxisse.

Quod egregie testatur recens quidam auctor, olim e protestantium castris ad Ecclesiae catholicae gremium, mirante mundo, gestiente Roma, reversus, qui Angliam non modo, sed pene universum orbem, libris editis pietatem redolentibus, ad maiorem Dei amorem incitavit. Qui cum plures vitae suae annos in animarum lucro, sibi haud parcens, consumpsisset, asserere non dubitabat, amorem erga Dominum Nostrum Iesum Christum in fideli populo augendum magnopere fore, si sacrae huius scientiae dogmata in meditationibus magis evolverentur, ac in concionibus palam exponerentur. Haec ille usu edoctus, experta loquebatur, qui, tali adiumento fretus, uno anno plures quam bis centum haereticos ad Ecclesiae catholicae gremium reduxisse fertur [1].

[1] Hic est P. Gulielmus Faber, olim Londinensis Oratorii praeses, qui in opere, cui titulus *All for Iesus* (C. XII. Sect. 5), haec scribit: *Let us only preach and teach the Divinity of Jesus, no matter how uninviting may be the notion of theological sermons, and we shall soon see how hearts will melt without eloquence of ours, and how Bethlehem and Calvary will give out their rich depths of tenderness to the poorest and the simplest of Christ's humble poor. To how many has meditation become a different thing, when they carried to the Crib or the Cross the light of Our dear Lord's Divinity along with them! Though they were ordinarily in no high state of prayer, nor in the practice of self-crucifying austerities, their prayer, through the refulgence of this one doctrine, often ended, as if they were very contemplatives in the bosom of the Most Holy Trinity. Many have there been who could not put into words what happened to them; but to whose state of mind, for a little while at least, Dante's words would not have been unsuitable:*

« Al Padre, al Figlio e allo Spirito Santo
Cominciò gloria tutto il Paradiso,
Sì che m'inebriava il dolce canto.
Ciò ch'io vedeva mi sembrava un riso
Dell'universo; perchè mia ebbrezza
Entrava per l'udire e per lo viso.
O gioia! o ineffabile allegrezza!
O vita intera d'amore e di pace!
O sanza brama sicura ricchezza! »

Par., c. XXVII, vers. 1, seq.

19. — Utilitas studii sacrae Doctrinae pro confovenda vitae sanctitate. — Nec praetereundum est, saluberrimum hoc studium passionibus moderari, eas ad medium rationis quadantenus reducendo. Quis ignoret motibus illis voluntatem praeoccupari, atque praepediri, ne illud amplectatur bonum quod recta ostendit ratio, lex praecipit? Exinde fit ut homo, iuvenilibus praesertim annis, a recti iustique tramite deflectat, pravorumque desideriorum sitim ad infectos latices explere studeat. Hinc in sociali vita dissidia, contentiones, pugnae; hinc inter ipsosmet cives murmurationes, simultates, rixae, quibus et mutua conversatio taedio afficitur, singulorumque, ne in unum conspirent, vires distrahuntur.

Sed vide ex hac parte utilitatem studii dogmatum fidei catholicae. Ipsum videlicet voluntatem suavissima, etsi potentissima vi pertrahit ad motus pravos, quantum fieri possit, compescendos, quod quidem praestat ipsa sui difficultate et profunditate. Non enim tale est huiusmodi studium, in quod perturbatus animus et in plura distractus naviter incumbere possit; seriam exigit mentis applicationem, omniumque virium in unum conspirationem. Atque ita consequitur ut motus inferioris appetitus coerceantur et ut appetitus ipse impediatur quominus voluntatem ad illicita pertrahat, aut rationis iudicium praevertat. Unde longe sit oportet ab eis, qui huic studio operam navare cupiunt, quidquid passionibus favet: animi petulantia, ardor vindictae, irae odiive motus; nisi enim omnia quieta, pacata, composita fuerint, placidissimae contemplationi mens refragatur: *In malevolam animam non introibit sapientia* [1].

Igitur, e duobus unum accidat necesse est: ut vel sacrae huius Doctrinae studium animum passionibus superiorem inveniat, vel reddat. Primum quidem eorum est, qui *sortiti animam bonam* [2], gratia praeveniente, nullis fere passionibus perturbantur; quod exempli ad instar in ipsomet S. Thoma evenisse historia testatur, quem proinde ad hoc speciale munus divina Providentia destinarat, ut videlicet huius sacrae scientiae fundamenta nova methodo solidissime collo-

[1] Sap., I, 4. — [2] Ibid., VIII, 19.

caret [1]. Alterum eorum est quibus, cum diu adlaborandum sit, ut passiones reprimant, eradicent, huic rei feliciter exequendae validissimum subsidium in sacrae Doctrinae studio suppeditatur, quippe quod natura sua id exigit, et voluntas in bono proposito firmior reddatur, et motibus appetitus sensitivi minime perturbetur.

20. — Quas animo consolationes adferat studium Sacrae Doctrinae. — Denique, hoc homini confert diligens diuturnum studium dogmatum fidei nostrae, ut expleat, quantum heic fieri possit, innatum in eo felicitatis desiderium. Re quidem vera, sua et ipsi patria pulsi, in exilio tabescentes, gaudia exquirunt; unde mirum non est si homo, e beatitudinis sede semel deiectus, primaevae tamen conditionis non penitus oblitus, gaudia quaedam, vel in hoc exilii loco, sitibundus anhelet.

Sunt qui in turpium lenociniis voluptatum, aut in honorum divitiarumve cumulo felicitatem se inventuros esse confidunt: at finita sunt ista bona, felicitatis vero desiderium infinitum. Porro, infinita sitis ad fontem indeficientem petit restingui. Fons autem indeficiens in homine non est, nisi qui ab intellectus operatione, qui solus capax est infiniti, promanat; unde nec ipsa amoris iucunditas sitim hanc explere potest, nisi intellectui innotescat. Intellectus vero perfectissima operatio non est, nisi visio divinae Essentiae facialis, qua beati *inebriabuntur ab ubertate domus Dei* [2]. Ergo et in terra, quanto intellectus operatio propius ad hanc visionem accesserit, tanto perfectioris beatitudinis fons existit. Et quae altior operatio est intellectus in hac vita, quam ipsa contemplatio incommutabilis veritatis, caritate quidem non seiuncta, qualis habetur in diligenti diuturnoque studio dogmatum fidei nostrae?

O magnum bonum studii dogmatum fidei catholicae! Hoc inchoat in via quod perficietur in patria; hoc puri gaudii calicem intellectui praegustandum porrigit, quem longo hau-

[1] Cf. quae scripsimus in opusc. S. Tommaso d'Aquino, Dottore Universale della Chiesa. Parte I, La Provvidenza di Dio per riguardo alla missione di S. Tommaso d'Aquino. — [2] Ps. XXXV, 8.

stu in patria bibiturus est; hoc, tanquam lucidus radius e divina mente procedens, hominem lumine perfundit, ei iam intuendum offerens, licet adhuc subobscure, quod in aperta faciei visione pia mens contemplaturam se aliquando sperat. Oh, quantum vilescunt terrena ista animo sacrae Doctrinae amore capto! Hoc sane ille praegustaverat, qui, in exuberantis animi sensu exclamabat [1]: *Optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae, et praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius!*

21. — Scholion. — Ut brevi compendio haec omnia perstringamus, dicimus studium sacrae Doctrinae plurimorum bonorum parentem fecundum existere; siquidem, intellectum hominis mirum in modum perficit, affectum inflammat, adiumenta subministrat sacerdoti pro sacro ministerio rite explendo, demum ei praegustandum offert, in hac vita, sitim pellens poculum ex illo purissimae voluptatis fonte, quo in aeternum inebriandus est: unde vere dicere potest qui huius studii amore possidetur [2]: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est.* In quo quidem ultima ratio consistit perfecti progressus in cognitione dogmatum fidei nostrae.

Articulus V. — *Utrum per succrescentes haereses dogma catholicum melius dilucidatum fuerit.*

1. — Haereseon natura. — Cum homo ad imaginem Dei, qui est essentialis veritas, ita sit conditus, ut innata donetur inclinatione ad veritatem cognoscendam et possidendam, videretur res impossibilis eventu, illum sponte scienterque ad errorem amplectendum deflectere, maxime cum Filius Dei de caelo descenderit, ut testimonium ipsemet perhiberet ve-

[1] Sap., VII, 11, 7, 8. — [2] Sap., VII, 7, 8.

ritati. Quod tamen ultro accidere Dominus Noster plane testatus est, dicens [1]: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Cuius rei rationem assignat ipsemet Christus [2]: *Erant enim eorum mala opera.*

Nimirum, cum veritatis cognitio, ut egregie explicat S. Augustinus, coniunctam habeat necessitatem diversorum officiorum erga Deum, erga se et erga proximum, error, qui est veritatis diminutio, hominem ab his officiis facile eximit, speciem quamdam libertatis intellectualis, temporalis utilitatis, terrenae gloriae principatusque, praetendens. *Haereticus est,* ait Doctor Hipponensis [3],... *qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriae principatusque, sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Quocirca peccatum infidelitatis vel haereseos oritur primo ex superbia, ex qua contingit quod homo non vult intellectum suum subiicere regulis fidei et sano intellectui Patrum; secundo, ex avaritia [4], qua quis bona sibi indebita inordinate appetit. Quibus addi etiam debet imaginationis illusio, quae est in nobis errandi principium.

Porro, cum hinc quidem ea sit hominis conditio, dissoluta post originale peccatum facultatum harmonia, ut affectus eius pronus sit in bonum privatum, seposito bono divino, phantasia autem innumerabilibus illusionibus obnoxia maneat, illinc vero diabolus, qui est pater mendacii, nil intentatum relinquat ut errores in mundo late disseminet, ideo nullum putandum est tempus adfuturum esse, quo haereses serpere desinant; unde S. Paulus [5], recensitis primum inter opera carnis fornicatione et immunditia, postmodum adnumerat *dissensiones* et *sectas:* sectae autem idem sunt ac haereses; nam sicut haeresis significat electionem alicuius obiecti tamquam credibilis veritatis, quod tamen veritas non est, ita *secta* a *sectando* dicta, significat specialem hominum congregationem, aliquibus falsis, tamquam vera essent, adhaerentium [6].

[1] Io., III, 19. — [2] Ibid. — [3] L. de Util. cred., c. I, t. VIII, p. 45. — [4] Quod hic latine *avaritia* dicitur, aliud non est nisi quod gallice *égoïsme* vocatur. — [5] Gal., V, 19, 20. — [6] Cf. 2 2^{ae}, Quaest. XI, art. 1, ad 3^{m}.

2. — Quam late serpant haereses. — Licet autem spiritus haereseos omni tempore in Ecclesia serpere contenderit, nunquam tamen tantam, temporis decursu, operam, sicut hodie, explicuisse invenitur; cum homines, neglectis iam sapientissimis Christi legibus, et repudiata Evangelii sanctitate, temporalia commoda, fraeno non remorante, quaeritent, eorumque imaginatio, omni dictamine absoluta, in vana deliramenta praeceps ruat. Quapropter viris sapientia praeclaris non absque ratione visum est, praesens aevum illud revera esse, de quo S. Paulus loquebatur, cum aiebat [1]: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coarcervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* [2].

Quae cum ita sint, iam apparet quanti momenti sit praesens disquisitio, in qua de ordine haereseon ad dogma catholicum, necnon de illarum utilitate pro pleniori revelationis cognitione, investigatio instituitur. In quo tamen, ut rite procedatur, prius de relatione haereseos ad infidelitatem erit breviter disserendum.

3. — Relatio haereseos ad infidelitatem. — Imprimis, advertendum est infidelitatem hic a nobis considerari, non secundum puram negationem, sicut est in illis qui nihil audierunt de fide: nam talis rerum divinarum ignorantia consecuta est ex peccato primi parentis, et potius habet rationem poenae quam culpae; sed accipitur secundum contrarietatem ad fidem, qua scilicet quis repugnat auditui fidei vel etiam illam contemnit, secundum illud Isaiae [3]: *Quis credidit auditui nostro* [4]?

[1] 2 Tim., IV, 3, 4. — [2] Haereseos labem, sub imagine vulpis in Ecclesiae pilentum irruentis, eleganter describit Alighierius (Purg. cant. XXXII, vers. 119, seq.):

Poscia vidi avventurarsi nella cuna
Del trionfal veicolo una volpe
Che d'ogni pasto buon parea digiuna.

[3] LIII, 1. Quomodo haeretici vertiginis spiritu agitantur, describitur in eodem Isaia, XIX. — [4] Cf. 2 2ae, Quaest. X, art. 1.

Sic autem accepta, infidelitas gravissimum certe constituit peccatum, et quidem maius omnibus peccatis quae contingunt in perversitate morum; quia, ut argumentatur Angelicus [1], tanto aliquod peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur: atqui per infidelitatem, qua quis falsam de Deo cognitionem sibimet ingerit, homo maxime a Deo elongatur, cum id quod homo sic opinatur non possit esse Deus. Ergo infidelitas rite ponitur esse maius omnibus peccatis, quae in genere morum contingere possunt [1].

4. — Scholion. — Dicitur: *peccatis quae in genere morum contingere possunt:* quia si infidelitas comparetur odio Dei, quod virtuti theologicae caritatis opponitur, utique levior invenietur, quia ratio peccati in infidelitate praecise procedit ex odio Dei, circa cuius veritatem est fides: unde sicut causa potior est effectu, ita odium Dei maius est peccatum, quam infidelitas [2]. Quantum autem ad desperationem, quae spei opponitur, utique infidelitas in se gravior est, cum infidelitas sit contra Deum ut est in se, desperatio autem secundum quod eius bonum participatur a nobis; quoad nos tamen desperatio periculosior est, quia per spem revocamur a malis et ad bona prosequenda inducimur: unde homines, spe sublata, irrefraenate labuntur in vitia et a bonis laboribus retrahuntur.

5. — Species infidelitatis. — Cum autem infidelitas proprie attendatur secundum comparationem ad fidem, in quantum scilicet quis fidei renititur, planum est tot debere esse infidelitatis species, quot modis quis fidei renititur: reniti autem quis potest fidei aut nondum susceptae, et talis infidelitas est *paganorum*, seu *gentilium;* aut fidei christianae susceptae in figura, et ista est infidelitas *iudaeorum:* aut fidei christianae susceptae in ipsa manifestatione veritatis, et haec est infidelitas *haereticorum* [3].

Revera, principale obiectum fidei divinae Christus est, a quo plenitudinem revelationis accepimus, quem proinde

[1] Ibid., art. 3. — [2] Ibid., Quaest. XX, art. 3. — [3] Ibid., Quaest. X, art. 5.

S. Paulus vocat *apostolum et pontificem confessionis nostrae* [1]: quapropter tot infidelitatis rationes dantur, quod sunt modi quibus quis Christo assentiri renuit in iis quae vere ad eius doctrinam pertinent. Atqui a rectitudine fidei christianae potest quis deviare, primo, Christum omnino reiiciendo, ut faciunt pagani; aut reiiciendo verum Christum qui iam advenit, exspectando alium venturum Messiam, ut faciunt iudaei; aut denique intendendo quidem Christo assentiri, sed deficiendo in eligendo ea quae Christus per se vel per Ecclesiam tradidit: scilicet respuendo ea quae vere a Christo sunt tradita, et eligendo ea quae sibi mens ipsa suggesserit, quod proprie pertinet ad haeresim [2].

6. — Haeresis, gravius peccatum quam infidelitas paganorum et iudaeorum. — Notat opportune Angelicus Doctor quod si haeretici comparari velint sive cum paganis, sive cum iudaeis, licet ad fidem propius accedant quam pagani et iudaei, inveniuntur tamen maius peccatum prae istis habere, in quantum gravius peccat contra fidem qui renitur fidei susceptae, quam qui fidem veram suscipere renuit: sicut gravius peccat qui non implet quod promisit, quam si non impleat quod nunquam promisit: quo sensu etiam infidelitas iudaeorum gravius peccatum est prae infidelitate paganorum, quia illi fidem susceptam in Veteri Lege male interpretantes miserabiliter corrumpunt [3].

7. — Utilitas haereseon pro dogmatis manifestatione. — Expensa iam natura haereseos eiusque ad infidelitatem relatione, pronum est ut inquiratur quo pacto dogmatis manifestationi inservire possit, seu quonam formali sensu S. Paulus dixerit [4]: *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

Qua in re, primo loco considerandum est utilitatem haereseon, si qua sit, nullo modo ex intentione ipsorum haereticorum provenire, sed solum ex intentione Dei, malis etiam bene utentis, ut advertit S. Augustinus [5]. Revera, si intentio

[1] Hebr., III, 1. — [2] Cf. S. Thom. Ibid., Quaest. XI, art. 1. — [3] Ibid., Quaest. X, art. 7. — [4] 1 Cor., XI, 19. — [5] Serm. LI, de Conc. Matth., et Luc., c. VII, n. 11, t. V, p. 288.

haereticorum inspiciatur, huc illa tendit, ut propter cupiditatem proprii commodi assequendi, fidem corrumpant: unde quantum possibile est, haeretici sunt excludendi: sed quia Deus adeo bonus est, ut inculcat idem S. Doctor, ut etiam de malo bonum possit procurare, immo nullo modo sineret fieri aliquod malum, nisi maius inde bonum erueret [1], hinc etiam malitiam haereticorum Deus ordinavit in bonum fidelium, quo pacto legimus [2]: *Necesse est ut veniant scandala.*

8. — PROP. — Ex divina providentia habetur quod per haereses dogma catholicum plenius manifestatum fuerit.

9. — Exponitur. — Imprimis, ex hoc quod veritas revelata impugnatur, clarissime manifestatur firmitas et constantia fidei in his qui recte credunt, quod Apostolus exprimit, dum ait: *Ut et qui probati sunt,* id est, approbati a Deo, *manifesti fiant in vobis,* id est, inter vos, ut commentatur S. Thomas [3]; unde est legitur [4]: *Tamquam aurum in fornace probavit illos.* — Secundo, haec ex haeresibus utilitas maxime provenit, ut excutiamus pigritiam, divinas Scripturas sollicitius intuentes, ut ait S. Augustinus [5] necnon ut diligentius veritatem investigemus: nam, ut ait idem sanctus Doctor, *negligentius veritas quaereretur, si mendaces adversarios non haberet* [6]. — Denique, studium haereses confutandi plurimi meriti fons est, magnamque animi delectationem parit, maxime cum caritas erga personas cum odio erroris coniungitur. — Quae omnia complectens S. Augustinus scribit [7]: *Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine excogitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur. Ab adversario mota quaestio discendi existit occasio.* — Multiplex igitur est haereseon utilitas, non quidem per se, sed ex ordine sapientissimae providentiae Dei,

[1] C. XI, t. VI, p. 199. — [2] Matth., XVIII, 7. — [3] Comment. in 1 Ep. ad Cor., c. XI, lect. 4. — [4] Sap., III, 6. — [5] L. I de Gen. Contra Manich, c. I, n. 1, t. I, p. 645. — [6] Serm. LI de Conc. Matth. et Luc., loc. cit. — [7] L. XVI, de Civ. Dei, c. II, n. 1, t. VII. p. 415.

qui errores ab hominibus novitatum amatoribus disseminatos convertit in profectum fidei et in maiorem clarioremque expositionem veritatis revelatae.

10. — Scholion. — Erraret autem turpissime qui, ex hoc quod plures utilitates ex haeresibus proveniunt, censeret haereticos foveri debere aut saltem imperturbatos relinqui: quod enim ex haeresi bona proveniant, per accidens est, ut diximus; praeterea, illa bona Ecclesiae non perveniunt, nisi in quantum haeresi extirpandae opera datur. Per se igitur haeresis est maximum malum, a quo quis, tanquam a peste cavere debet; unde sedulo attendendum est ad solemne monitum quod habetur in Deuteronomio [1]: *Si surrexerit in medio tui prophetes aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetiae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra.*

11. — Quomodo ex impugnationibus haereticorum dogma catholicum temporis decursu clarificatum fuit. — Ut autem evidentius pateat quomodo iuxta ordinem suavissimae Dei providentiae, factum fuerit ut fidei christianae dogmata, ex haereticorum impugnationibus, magis magisque dilucidarentur, haud inopportune recoli hic poterunt praecipuae haereses, ex quibus ecclesiastici scriptores occasionem sumpserunt veritatem catholicam declarandi et vindicandi.

Et primo quidem videmus quod, inde a primis Ecclesiae saeculis, subortis nefandis haeresibus Arii, Sabellii, Nestorii, Eutychetis, Photini, Apollinaris, Theodori Mopsuesteni, Macedonii et Graecorum, dogmata de Dei unitate in trinitate personarum, de unione Verbi cum humana natura in unitate personae, de Spiritus Sancti processione a Patre et a Filio, in apertam lucem posita fuerunt, subtilioribus conceptibus naturae et personae, processionis et rela-

[1] XIII, 1, seq.

tionis, identitatis et distinctionis, accuratissime discussis et enucleatis a summi ingenii viris, quales fuere, puta, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Basilius et Chrysostomus.

Pariter cum, labentibus saeculis, catholicam veritatem de peccato, gratia et vita aeterna, Pelagius susque deque vertisset, insignem Doctorem Deus suscitavit, a quo praestantissima illa dogmata in clariorem lucem adducerentur. Cum enim impius ille vir, Patrum traditione sepositа, temerarie negasset peccati originalis traductionem in omnes usque et singulos homines, gratiaeque necessitati detraxisset, quasi citra illius opem, homo possit, solius naturae viribus innixus, bonum perficere ad vitam aeternam comparandam, novatori fortiter obstitit Augustinus, simul universitatem infectionis a peccato originali inductae ostendens, et absolutam gratiae necessitatem pro omni vel minimo actu meritorio vitae aeternae vindicans.

Media iam labente aetate, en novi generis hostes sacrum depositum revelationis christianae labefactare conantur: nimirum, viri superbia elati, omnes perversae industriae nervos contendunt, ut a Romano Pontifice supremam in Ecclesia potestatem auferant, quasi diversas orbis ecclesias sui iuris nullique subiectas Christus esse voluisset. Contra quos invicte pugnarunt plures egregii viri, quos inter eminet S. Thomas, qui Graecorum erroribus confutatis, Ecclesiae essentialem unitatem clarissimis argumentis asseruit.

Haud multo post, en novus, isque non minus perniciosus error in Ecclesia serpere coepit: scilicet protestantes, ducibus praecipue Luthero, Calvino et Zwinglio, arma convertunt in oeconomiam redemptionis humanae a Christo Domino institutae, nempe in sacramenta, iuxta eos aut totaliter e medio tollenda, aut reducenda ad mera signa fidem sive testantia, sive suscitantia. Contra quos innumeri catholici scriptores, divinitus suscitati, pro viribus debellasse perhibentur, qui non solam divinam sacramentorum originem ex Scripturis et Traditione vindicarunt, verum etiam eorum naturam et operandi virtutem accuratissime tradiderunt. Sed maxime haereticorum impugnationibus, ex hoc capite, debentur praeclarae illae Concilii Tridentini circa

singula oeconomiae christianae dogmata definitiones, quibus tamquam fixis et immutabilibus regulis, unumquemque Christifidelium, tum in credendo tum in operando, in aevum usque duci oportet.

Denique, cum nostris hisce temporibus, crescente rationalismi labe, homines vel existentiam ordinis supernaturalis praefracte denegarent, ideoque ipsam Christi Ecclesiae rationem, quae in Summi Pontificis infallibilitate, ex qua unitatem habet, praecipue consistit, labefactare conarentur, Deo sic desponente factum est, ut et ordinis supernaturalis insigne testimonium traderetur in definitione dogmatis de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, et singularis praerogativa successoris Petri, nempe eius infallibilitas in rebus fidei et morum, solemniter declararetur: qua quidem declaratione in aperta luce positum est medium illud authenticum divinitus institutum pro conservatione depositi revelationis, sicque semel pro semper provisum est contra futuros quoscumque errores.

Hoc igitur ad suavissimam et sapientissimam Dei providentiam pertinet, ut haereticorum conatus, pro sua nequitia symbolum fidei pervertere nitentium, in lucrum veritatis revelatae ultimo convertantur; quapropter, fidenter exspectare licet fore ut impia quoque modernistarum molimina in maiorem dogmatis catholici explicationem tandem denique sint cessura.

12. — Quomodo haeresibus divinitus convellendis fuerit provisum. — Si quis autem quaerat quomodo divinitus provisum fuerit ut succrescentes haereses convellerentur, respondendum est hoc factum fuisse per duplex medium, scilicet *authenticum* et *subsidiarium*. — Et quidem medium *authenticum* est ipsummet magisterium Ecclesiae quae, sub instinctu Spiritus Sancti, iugiter advigilat ne fidei depositum inficiatur: unde mox ac aliquis error irrepere coeperit, statim Romanus Pontifex, fidei vindex, in eum animadvertit, errorque sic patefactus vacillat et cadit [1].

[1] *Toutes les hérésies*, ait Bossuet, *qui ont osé s'élever contre la science de Dieu, ont senti leurs têtes superbes frappées par des ana-*

Hoc autem authenticum magisterium egregie *coadiuvatur* per magisterium humanum, quod et ipsum dici debet divinitus provisum ad fidei integritatem contra ingruentes errores praeservandam. Consistit autem huiusmodi magisterium in hoc quod doctor proponit signa rerum intelligibilium, ex quibus intellectus agens accipit intentiones intelligibiles describendas in intellectu possibili: unde, ait S. Thomas [1], *ipsa verba doctoris audita vel visa in scripto hoc modo se habent ad causandam scientiam in intellectu, sicut res quae sunt extra animam, quia ex utrisque intellectus intentiones intelligibiles accipit; quamvis verba doctoris propinquius se habent ad causandam scientiam, quam sensibilia extra animam existentia, in quantum sunt signa intelligibilium intentionum.*

13. — Modus quo magister discipulum instruit. — Egregie S. Thomas modum quo magister discipulum instruit comparat modo quo medicina operatur ad sanitatem procurandam: nimirum, sicut quis interdum sanatur per operationem naturae tantum, interdum vero a natura cum adminiculo medicinae; ita homo acquirit scientiam, aliquando per solam naturalem rationemd eveniendo in notitiam ignotorum, et hic modus dicitur inventio, aliquando per rationem coadiuvatam exteriori adminiculo, in quantum magister discursum rationis, quem in se facit, ratione naturali alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli per huius-

---

thèmes dont elles n'ont pu soutenir la force: elles n'ont fait que languir depuis ce coup, et viennent tout à la fois tomber aux pieds de l'Eglise et de Pierre qui les foudroie par ses successeurs. 3me Sermon pour le saint jour de Pâques. *L'immortalité sur la terre.* 2me Point Œuvres, Liège, t. II, p. 524. — Re quidem vera, nihil tam eloquenter commendat Ecclesiae infallibile magisterium, quam condemnatio propositionum erronearum quas, temporis progressu, Romani Pontifices proscripserunt; unde tanquam splendidissimum testimonium divinae missionis Ecclesiae habendum est tritissimum illud opus Henrici Dezinger, cui titulus est: *Enchiridion Symbolorum et Definitionum, quae de rebus fidei et morum, a Conciliis oecumenicis et Romanis Pontificibus emanarunt.*

[1] De Verit., Quaest. XI de Magistro, art. 1, ad 11m.

modi signa proposita, quasi per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum [1].

Advertendum autem est quod etsi quis possit, absolute loquendo, per lumen intellectus agentis per se ipsum devenire, ex primis principiis per se notis, in cognitionem omnis veritatis naturalis, impossibile tamen est, ut plenam de deposito fidei notitiam acquirat, nisi per disciplinam a competenti magisterio traditam. Revera, quamquam ex principiis ordinis supernaturalis revelatis plures possunt conclusiones logico processu deduci, cum tamen permulta sint quae humanae mentis capacitatem superant aut quae ex Dei voluntate omnino pendent, ideo humano magisterio secundum traditionem exculto unusquisque indiget ad haec rite cognoscenda; quinimmo, tanto plus in fidei doctrina quis se noverit profecisse, quanto diutius humilem discipulum egerit. Haec quippe proprie origo est omnis contra fidem erroris, quod quis sibi ipse magister esse praesumat; unde si, hinc quidem efficacitati debiti magisterii debetur quod homines, labentibus saeculis, inventi sint pro tradita veritate contra insurgentes haereses viriliter dimicasse, illinc talis magisterii carentiae adscribi ultimo debet maior pars errorum qui vel a viris magnis prolati sunt. *Nunquam meipsum habui magistrum*, aiebat olim magnus Hieronymus [2].

Profecto, historia testis est, summa quaeque ingenia, quae Ecclesiae dogmata suis praedicationibus, lectionibus aut scriptis, unquam illustrarunt, pro suo profectu debitores extitisse diuturno ac diligenti studio sacrae Doctrinae, sive sub optimis magistris catholicis, sive in sanis eorumdem operibus comparatae: sic quippe scimus sanctum Thomam vel ab unguiculis in hoc saluberrimo studio sub doctis magistris exercitatum fuisse, quod et de celeberrimo Bossuet refert historia: e contra, quae in operibus aliquorum magnorum virorum reprehesione digna inveniuntur, carentiae scholasticae institutionis adscribi debent.

14. — Tres celeberrimi fidei vindices in primitiva Ecclesiae divinitus suscitati. — Ut autem facto ipso pateat

[1] Loco cit., corp. art. — [2] Praef. in Ep. ad Eph.

quam providentissime humanum hoc magisterium in Ecclesia iugiter extiterit ad insurgentes haereses confutandas, abs re non erit nomina hic trium virorum sanctitate et doctrina insignium recolere, qui hoc pacto veritatis vindices exiterunt, ut secundus a primo, tertius a secundo in revelatis dogmatibus rite edocerentur : hi sunt S. Ioannes evangelista, S. Polycarpus et S. Irenaeus.

Et primo quidem cum, christiana religione vix exorta, Cerinthus et Ebion contra divinitatem Christi insolentius insurrexissent, Ioannes Apostolus, dilectus Christi discipulus, rogatus ab Episcopis ecclesiarum Asiae quas ipsemet fundaverat, suum scripsit Evangelium, in quo religionis nostrae mysteria tanta sapientia exponit, ut apud Patres theologus κατ' ἐξοχήν audiat, aquilae merito comparatus, quod ceteris alius se attollens, ad solium usque Deitatis volando penetraverit. Hic igitur, occasione ducta ab erroribus Ecclesiae unitati iam insidiantibus, sublimissima quaeque edixit de Christo Domino, deque eius a Patre aeterna generatione. Qui etiam normam hanc, ne quis ab haereticis seduci se patiatur, scripto reliquit [1] : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit ave, communicat operibus eius malignis.*

Apostolo Ioanni discipulus fuit sanctus Polycarpus, ab eo Smyrnae episcopus ordinatus, qui nonnullos Apostolorum et eorum qui Dominum viderant, magistros habuit, propterea totius Asiae princeps habitus. Hic, haereticis Marcione et Valentino conantibus plurimos a fide avertere, fortiter restitit, novatorum erroribus antiqua fide opposita. Huius quidem praeclara omnino extant verba: *Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis a principio verbum revertamur* [2].

Huic vero vicissim discipulus fuit sanctus Irenaeus, episcopus Lugdunensis, a Tertulliano *omnium doctrinarum curiosus explorator* appellatus [3], qui tanta diligentia Polycarpi et aliorum doctorum Ecclesiae doctrinis institit, ut quae

[1] 2 Ep., 10, 11. — [2] S. Polycarp. Epist. ad Philippenses, Oxon., 1644, tom. unic., p. 20. — [3] Adv. Valent., 5.

inveniret fidei dogmata ab ipsis tradita, religiosissime collegerit, Florini et Blasti novitatibus aliorumque futurorum haereticorum impugationibus opponenda. Hic igitur, de priscis haereticis sermonem iniiciens, ait: *Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate... Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem... Evenit itaque neque Scripturis iam neque Traditioni consentire eos. Adversus tales certamen nobis est, o dilectissime, more serpentum lubricos undique effugere conantes. Quapropter undique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes ad conversionem veritatis adducere possimus. Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam, sed non omnimodo impossibile est errorem effugere, apposita veritate* [1].

Qui etiam cum solemniter declarasset [2], ad Romanam Ecclesiam omnem debere convenire ecclesiam propter potiorem eiusdem pricipalitatem, mox de S. Polycarpo haec animadvertit [3]: *Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ex eis qui Dominum Nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate (multum enim perseveravit et valde senex glorissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita) haec docuit semper quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesiae tradidit et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quae sunt in Asia ecclesiae omnes et qui usque adhuc successerunt Polycarpo; qui vir multo maioris auctoritatis et fidelior veritatis est testis, quam Valentinus et Marcion et reliqui, qui sunt perversae sententiae. Is enim est qui sub Aniceto, cum advenisset in Urbem, multos ex his quos praediximus haereticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse, quam et Ecclesiae tradidit.*

[1] S. Irenaeus, l. III contra Haereses, c. II, Venet., 1734, P. I, pp. 174, 175. — [2] C. III, n. 2. — [3] Ibid., n. 4, pp. 176, 177.

Ad hunc locum non pertinet plura adducere exempla ad illustrandum munus humani magisterii in conservatione et vindicatione fidei catholicae; quod si fieret, oh! quam splendidus emicaret magistrorum et discipulorum ordo, qui concatenata serie traditionem apostolicam a priscis saeculis ad nostra usque tempora incorruptam transmiserunt! Nec dubium quin divina Providentia, quae Ecclesiae sortes dirigit et tuetur, nostris quoque diebus, et quidem ad finem usque saeculorum, contra mortifera serpentium haereseon venena, et sedulos sit suscitatura magistros, fidei vindicandae sollicitos, et diligentes exstimulatura discipulos, ad sanam doctrinam attentius addiscendam, et aliis vicissim fideliter tradendam.

15. — Quam perniciosi ii sint qui semel fidem egregie tuiti, postea ab ea deficiunt. — Ex adverso autem fieri potest, et interdum factum est, ut viri ingenio praestantes, fidei defendendae primitus intenti, a recto veritatis tramite postea dilaberentur, magnam in semetipsis scandali occasionem fidelibus praebentes: a quibus unusquisque tanto sedulius cavere debet, quanto maiorem illi existimationem penes omnes sibi conciliaverint.

Quod praemonuit Apostolus, scribens [1]: *Nam eiusmodi pseudo-apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi; et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius trasfigurentur velut minisiri iuditiae: quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Quinimmo ipsemet S. Paulus, vas electionis, *propter adserendam primae fidei tenacitatem*, ut ait S. Vincentius Lirinensis [2], *nec sibi, nec ceteris coapostolis*, imo nec ipsis angelis pepercisse invenitur, cum scribat [3]: *Sed licet nos* (id est Apostoli), *aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema eit.* Nimirum, ut notat idem Lirinensis [4], error magistri tentatio est populi, et *tanto maior tentatio, quanto ipse esset doctior qui erraret.*

[1] 2 Cor., XI, 13, seq. — [2] Commonit., c. X. — [3] Gal., I, 8. — [4] Ibid., c. XIX.

16. — Origenes et Tertullianus. — Huius autem rei duo placet adferre luctuosissima exempla, Origenis nempe et Tertulliani, qui cum revelationis depositum antea egregie defendissent, postea a fide miserabiliter defecerunt: ex quorum tamen erroribus, Deo sapienter disponente, Ecclesia occasionem deprompsit receptam veritatem magis magisque vindicandi et dilucidandi.

Et ille quidem singulari ingenii perspicuitate donatus, eruditionis magnificentia clarissimus, dominicae quoque confessionis laude percelebris, necnon pudicitiae splendore decoratus, cum innumerabilia volumina pari gratia et profunditate scripsisset, discipulos quoque, ex sacerdotibus, confessoribus et martyribus, ubivis terrarum disseminatos haberet, et tanquam oraculum ab episcopis et principibus duceretur, dum *gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit; cum parvipendit antiquam christianae religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnit* [1], ingens praebet fidelibus scandalum, fitque *magna* in Ecclesia *tentatio* [2].

Idipsum et de celeberrimo illo primaevae Ecclesiae scriptore, Tertulliano, dicendum est, qui, ut ait laudatus Vincentius Lirinensis [3], *omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiam ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est.* Hic igitur primum blasphemias haereticorum sui temporis, Marcionis, Apellis, Praxeae, Hermogenis, necnon Gnosticorum, Iudaeorum atque Gentilium, praestantissimis editis voluminibus, velut quibusdam fulminibus, funditus evertit. Qui adversus Praxeam scribens, ipsam haereticorum novellitatem haberi vult tanquam confirmationem veritatis antiquitus receptae. *Hanc*

[1] S. Vinc. Lirin., c. XIX. — [2] Data etiam aliquorum querela, Origenis libros esse corruptos, cui positioni respondet S. Hieronymus in Ep. ad Pammachium et Oceanum, stat nihilominus libros sub illius nomine editos magnae esse tentationi, cum multis erroribus scateant, qui quasi Origenis essent, *leguntur et amantur*, ut advertit idem Vincentius, loco cit. — [3] Ibid., c. XX.

regulam, ait [1], *ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni. Quo peraeque adversus universas haereses iam hinc preiudicatum sit, id esse verum quodcumque primum, id esse adulterum quodcumque posterius.*

Attamen cum hic quoque Tertullianus, multo disertior quam felicior, vetustae ac universalis fidei parum tenax, suo sensui plus aequo inhaeserit sententiamque mutaverit, sese inter eos ipsos quos condemnaverat posuit, fuitque, ut rursus Lirinensis advertit [2], non secus ac Origenes, *in Ecclesia magna tentatio.*

17. — S. Vincentius Lirinensis. — Quia autem de haeresibus debellandis et in usum veritatis catholicae magis magisque illustrandae convertendis agimus, iuverit egregia omnino verba hic referre, quibus saepius citatus scriptor, S. Vincentius Lirinensis, rationem reddit cur haereticam novitatem pullulare in Ecclesia sua Deus interdum permittat. Nimirum, commentans superius recensita Apostoli verba [3]: *Opertet et haereses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis, — ob hoc*, ait [4], *haereseon non statim divinitus eradicantur auctores, ut probati manifesti fiant, id est, ut unusquisque, quam tenax et fidelis et fixus catholicae fidei sit amator, appareat. Et revera, cum quaevis novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas et levitas palearum; tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur.*

Qui etiam haereticorum cuiusvis temporis miseranda conditione descripta, pactum statuit quo rursus in Ecclesiam valeant suscipi: *Dediscant bene quod didicerant non bene; et ex toto Ecclesiae dogmate quod intellectu capi potest, capiant; quod non potest, credant* [5]. — Quisnam autem sit canon prae mente iugiter tenendus ad vitanda haereseon scandala, et ad novatorum cuiusque aetatis somnia explodenda, apertissime exponit [6]: *In ipsa item catholica Ecclesia*

[1] Adv. Praxe., c. II. — [2] Commonit., c. XX. — [3] 1 Cor., XI, 19. — [4] Commonit., c. XPI;. — [5] Ibid. — [6] Ibid., c. III.

magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit.

Hic auctor, ex quo tam praeclara deprompsimus, est celeberrimus ille Vincentius, Tullii in Lotharingia natus, qui saecularem militiam primum secutus, monachus postea et presbyter monasterii Lirinensis insulae, unde nomen habuit, factus, libellum conscripsit certe aureum, cui titulum dedit *Commonitorium Peregrini*, ad haereticorum sui temporis errores retundendos. Nam paulo antea insurrexerant haereses Photini, Apollinaris et Nestorii, Incarnationis oeconomiam susque deque subvertentium: quos Vincentius acriter perstringit, invocata Ecclesiae auctoritate. Qui etiam iubet ut qui verus et germanus esse catholicus cupiat, ingenium eloquentiamque mundi *despiciens, et in fide fixus stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque* (decernat): *quidquid vero ab alio deinceps uno praeter omnes, vel contra omnes Sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius* (intelligat) *pertinere* [1]. — Monitum sane, si unquam, hodie certe, opportunissimum: quinimmo videtur auctor libellum illum exarasse, quasi praescius esset subtilium errorum quos modernismus erat pariturus; adeo ut nimis commendari non possit omnibus iis quibus cordi est, devitatis perfidis haereticorum placitis, sanctissimae religionis nostrae dogmata inviolabiliter profiteri atque defendere.

18. — Quanti sit Commonitorium faciendum. — Sciendum autem scripto suo Vincentium Lirinensem ideo nomen *Commonitorium*, a *commonendo*, dedisse, ut mentis attentioni excitandae iugiter inserviret; semetipsum vero sub nomine *peregrini* absconderc voluit, quo in plures usque pervenire possent monita in illo opere contenta. — De hoc auctore ait Gennadius [2]: *Vincentius... vir in Scripturis Sanctis doctus, et notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus,*

[1] Commonit., c. XXI. — [2] In Catalogo virorum illustrium.

composuit ad evertenda haereticorum collegia, nitido et aperto sermone, validissimam disputationem, quam absconso nomine suo intitulavit: PEREGRINI ADVERSUM HAERETICOS. Cardinalis item Baronius, in notis martyrologii romani [1], opusculum Vincentii vocat *plane aureum* [2]; denique B. Bellarminus ait [3]: *Vincentius... scripsit opusculum, parvum mole, sed virtute maximum, de profanis vocum novitatibus. Libellus extat, et utilissime legitur* [4].

19. — **Quaestio.** — *Utrum possit ille, qui vel unum articulum fidei discredit, habere fidem informem de aliis articulis?*

Resp. Negative: quia etsi possibile est fidem catholicam habere, non expresse cognito uno vel altero articulo, impossibile tamen omnino manet, fidem, etiam informem, consistere, expresse negato uno articulo: unde nequit fieri ut quis in fide catholica crescat, vel relate ad unum articulum substantialiter novum.

Ad quod intelligendum, recolendum est motivum fidei, seu rationem formalem eiusdem, ex qua fides, etiam informis, suam recipit speciem, esse primam veritatem, prout manifestatur in Scripturis et formaliter continetur in doctrina Ecclesiae: ita quod quicumque non inhaeret, tanquam infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, neque formatae, neque informis. Atqui si quis vel unum fidei articulum ab Ecclesia propositum ut credendum deneget, evidens est illum iam non inhaerere doctrinae Ecclesiae tanquam infallibili et divinae regulae, sed propriae voluntati, ex qua habet ut quae vult teneat, et quae non vult non teneat. Ergo discredens vel unum articulum fidei, nequit habere de aliis articulis fidem sive formatam, sive informem [5].

20. — PROP. — **Haereticus homo alio criterio, quam criterio fidei, tenet articulos quos admittit.**

[1] IX Kal. Iunii. — [2] Cf. Annal., t. V, ad n. 431, n. 188. — [3] L. de Scriptoribus eccles. — [4] Opp. t. VII, p. 96. Colon. Agripp., 1617. — [5] 1 2ae, Quaest. V, art. 3.

21. — **Exponitur.** — Revera, hoc modo se habet haereticus homo ad fidem, sicut ille qui opinione tantum et non demonstratione se habet ad scientiam proprie dictam: scilicet regula haeretici hominis, vel unum fidei articulum pertinaciter discredentis, non est alia, nisi propria voluntas, unde non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiae. Quocirca, alia formaliter est fides haereticorum, alia catholicorum: haec est a Deo, et adiuvatur per habitum fidei; illa vero innititur propriae voluntati et iudicio [1]. — Notandum est nos hic loqui de haereticis formaliter dictis, id est qui pertinaciter inhaerent doctrinae ab Ecclesia repudiatae, qui videlicet aliquem articulum ab Ecclesia praedicatum reiiciunt: haeretici enim qui materialiter tantum tales sunt, potius errantes dicendi sunt, cum eorum fides conveniat formaliter cum fide catholicorum.

22. — **Confirmatur.** — Potest ista veritas confirmari hoc dicto S. Iacobi [2]: *Quicumque... offendat in uno, factus est omnium reus:* nimirum, cum formalis ratio peccati, in violatione mandatorum legis, desumatur ex transgressione horum mandatorum, in quantum referuntur ad primum legis motivum, quod est perfecte obedire Deo, et non ad diversa motiva proxima, ideo semel ac quis vel unum praeceptum transgreditur, nequit amplius in eo consistere obedientiae ratio. Ita, igitur, qui vel unum articulum discredit, formale fidei motivum evacuat, et sic nequit amplius fidem proprie dictam de aliis articulis habere [3]. — Ulterius argui potest, quod sicut caritas non remanet in homine post unum pec-

[1] S. Thom., loco cit., ad 1[m]. — [2] II, 10. — [3] Ibid., ad 3[m]. Circa hunc locum, qui etiam S. Augustino adeo difficilis visus est, ut super eius intellectu consulendum putaverit S. Hieronymum (Vide Ep. XXIX ad S. Hier.), conferri potest Estius, qui scite advertit dictionem *omnium* non posse exponi distributive, ita ut, qui uno offendit, dicatur omnia et singula transgressus, secus sententia secum pugnaret, cum impossibile sit aliquem totam legem observare, uno excepto, et simul fieri reum transgressionis omnium et singulorum. Guilielm. Estius, in omnes S. Pauli Ep., t. VII, p. 49. Moguntiae, 1845. Cf. quae scripsimus in tr. de Habitibus et Virtutibus, P. II, Quaest. LXV, art. 1, n. 18.

catum mortale, cum hoc ei contrarietur, ita nec fides in eo qui vel unum fidei articulum discredit. Ergo fides catholica nec augeri nec minui potest in homine, quoad aliquod dogma aut de novo accipiendum, aut reiiciendum.

23. — Fides implicita et fides explicita. — Ut autem clarius intelligatur quomodo catholica fides consistere nequeat in eo qui vel minimum articulorum deneget, iuvabit hic repetere distinctionem antea positam, inter fidem implicitam et fidem explicitam; et quidem fieri utique potest ut quis, credito expresse uno articulo fidei, de aliis non cogitet, de quibus tamen rectam fidem implicitam habet, explicitam habiturus, semel ac accesserit congrua instructio. — Qua in re, notanda sunt sequentia S. Thomae verba, quibus profectum discipulorum Christi in fide pulcre describit [1]: *In discipulis Christi notatur quidam fidei profectus, ut primo eum venerarentur, quasi hominem sapientem et magistrum, et postea ei intenderent quasi Deo docenti.*

Forsan ex his verbis rem praecipitanter consideranti inferendum videbitur, hominem ita posse in fide proficere, ut primo unum tantum vel alterum articulum teneat, postea vero fidem suam ad novos articulos credendos extendat: sicut discipuli primo quidem aliud de Christo non crediderunt, nisi illum fuisse purum hominem, et solum postea tenuerunt illum esse verum Deum. — At facile advertitur aliud esse quod quis credat explicite unum articulum, non cogitando de aliis, aliud quod illum articulum retineat, aliis articulis reiectis. Et quidem discipuli ita in fide circa Christum profecerunt, ut primo quidem expresse crederent illum esse sapientem hominem, non cogitando de aliis, et sic eius divinitatem non reiiciendo; postea autem eamdem substantialiter fidem etiam ad divinitatem profitendam extenderunt. Quapropter fidem rectam in initio habuerunt, etsi non tam explicitam; quam non habuissent, si tenuissent, ut tenebant Iudaei Christo infensi, illum esse exclusive hominem.

24. — Scholion. — Quocirca, alia est ratio fidei, alia ratio alicuius naturalis scientiae, puta, geometriae. Nimirum,

[1] De Veritate, Quaest. XI de Magistro, art. 3, ad 8^{m}.

potest quis habere scientiam geometriae circa quasdam geometricas conclusiones, aliis negatis, eo quod in diversis conclusionibus, quae sub illa scientia continentur, diversa sunt media per quae probantur, quorum unum potest cognosci sine alio, et ideo homo potest scire quasdam conclusiones scientiae geometricae, aliis etiam pertinaciter negatis; sed fides inhaeret omnibus articulis qui sub ipsa continentur, propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intelligentis sane: et ideo, pertinenter concludit Angelicus [1], qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.

Ad rem faciunt verba Concilii Vaticani [2]: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, veluti philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.*

25. — Modernisticus error dicentium omnes religiones aliquando in unam convenire debere. — Ex his sequitur, longe a vero abesse qui censent, ex diversis religionibus, inclusa religione catholica, unam aliquando esse efformandam, in quantum singula uniuscuiusque religionis membra aliquid de dogmatibus a se retentis remittant, quousque ad quamdam auream mediocritatem, ut aiunt, perveniatur. Esto enim, tum a membris variarum sectarum protestanticarum, tum ab asseclis Corani et Vedae, tum a Iudaismi fautoribus, modificationes in respectivis symbolis expectare licet, cum omnes istae religiones in errore, qui versipellis est et multiplex, ultimo fundentur, vane tamen speratur ut vir catholicus, in sensu composito, seu qua talis acceptus, iota unum aut unum apicem in sacrosancto fidei suae symbolo immutari patiatur.

[1] De Veritate, loco cit., ad 2[m]. — [2] Constitut. de Fide cath., c. IV, *de Fide et ratione*.

26. — Corollarium. — Quae cum ita sint, rite ab Apostolica Sede reprobatos dicemus fuisse conventus illos, sic dictos religiosos, in quibus, viris ex variis religionibus, scilicet tum qui catholici nominis censentur, tum qui ab Ecclesia catholica dissident, in unum convenientibus, media veluti via quaeritur ad omnes religiosas differentias componendas. Quod certe erroneum est, cum ne unum quidem de suis dogmatibus praeterire Ecclesia catholica sinere valeat. Aliunde, sedulo retinendum est, nomen *religio* non posse de pluribus univoce praedicari: unde nec diversarum religionum membra eodem sensu accipere possunt verba, puta, in oratione dominica contenta [1].

27. — Qualiter catholici cum protestantibus convenire possint ad veritatis iustitiaeque iura defendenda. — Non abs re erit hic inquirere quousque liceat catholicis cum protestantibus convenire, ad tuendum, contra rationalistarum impetus, revelationis depositum. Dicendum scilicet, talem conventionem, absolute loquendo, concedi utique posse, ubi de rebus mere politicis aut oeconomicis agatur; cum vero sermo sit de religionis dogmatibus, non posse, absque praeiudicio puritatis fidei, sustineri haereticos cum catholicis convenire ad revelationis depositum custodiendum, cum formaliter eadem non sit fides hominis catholici, quae est hominis protestantici, ut dictum est; unde in unum motivum, quod utrique sit commune, conspirare nequeunt, ut inde argumenta, tanquam arma communia, ad fidem efficaciter defendendam valeant depromere.

Aliud forsan evinci poterit, sicubi non de revelatione defendenda, sed de aliquo determinato errore, sive morali sive dogmatico, confodiendo agatur: sic quippe protestantes catholicis manus utiliter dedisse perhibentur, puta in Anglia, contra intemperantiae vitium [2], aut nuper ad iniustas leges scholas respicientes repellendas [3], necnon in Ger-

[1] Nimirum, non uno sensu potest haec oratio a viro catholico, haeretico et pagano recitari. Cf. Ep. Leonis XIII, *Coetus in foederatis*, ad Franciscum Satolli, Archiep. Naupactensem, 18 Sept.. 1895. Acta Leonis, vol. XV, p. 323. — [2] Total-abstinence League. — [3] Board-school system.

mania, ad socialismi pericula avertenda [1], et cetera huiusmodi in quibus tamen quaestionibus praeprimis habenda est ratio auctoritatis Episcoporum, qui sunt iudices in rebus fidei, et maxime Sedis Apostolicae, cui ovium et pastorum cura divinitus concredita manet.

Diximus catholicos posse, si quidem de rebus mere politicis aut oeconomicis agatur, absolute loquendo, convenire cum haereticis, ad communia iura tuenda. Attamen, si rigorose loqui velimus, vix aut ne vix quidem talia dantur argumenta, a quibus religio omnino exulet, cum e contra in omnes res humanas, sive directe sive indirecte, ingrediatur, quandoquidem religio finem ultimum respicit, a quo nunquam potest praescindi [2]: unde videmus Ecclesiam minime favere illis consociationibus, quae scopum oeconomicum habentes, a religione omnino praescindere nituntur, quas barbaro vocabulo *aconfessionales* appellari volunt [3]. — Verum typum consociationum ab Ecclesia approbatarum exhibent medii aevi Confraternitates (anglice *guilds*, germanice *Gilden*, *Zünfte*) pistorum, librariorum, merciariorum, sutorum, etc.; in quibus diversarum artium opifices sub religionis praesidio sua iura tuebantur.

28. — Scholae neutrales. — At, quidquid de huiusmodi consociationibus dicatur, nunquam certe probari poterit systema scholarum, quas sic vocant neutrales, cum in doctrina catholicis impertienda nunquam fas sit a veritate revelata abstractiomem facere [4].

Ad rem faciunt gravissima monita S. Congregationis de Propaganda Fide ad Episcopos Canadenses. *Falso quippe quorumdam mentibus ea opinio incessit, nihil periculi in scho-*

[1] Die Christlich-socialen. — [2] Huc facit quod a dubiae famae Proudhon (1809-1865) dictum fuisse traditur: *Egli è sorprendente, che nel fondo della nostra politica, noi troviamo sempre la teologia.* Confess. di un lib. pens. — [3] Conspicuum huius rei exemplum nuper subministravit condemnatio a Pio XI in illam consociationem in Gallia, cui titulus l'*Action française*, nuper lata. — [4] Recolantur heic etiam severae monitiones S. M. Leonis XIII, circa scholas parochiales in pagis Faribault et Stillwater, in America, quibus reprobantur scholae neutrae. Acta Leonis, t. XII. p. 137, seq.

lis quas neutras vocant adesse, easque sine discrimine a catholicis pueris posse frequentari. Etenim, aliis omissis, eae quae neutrae scholae dicuntur, eo ipso quod ex ambitu suo exclusam, una cum aliis, veram etiam religionem faciant, gravem huic iniuriam inferunt, cum ab illo principe loco deturbatur, quem cum in omni humanae vitae consuetudine, tum maxime in iuventutis educatione habere debet. Nec fas est asserere privata parentum cura huic defectui posse sufficienter suppleri. Id scilicet remedium mali esse tantum ex parte poterit, sed educationis illius sine Deo in scholis traditae vitium pessimum non excusat. Cui et illud addatur, religionis dignitatem in puerorum existimatione imminui oportere, si illam veluti publico honore carentem intra domesticos parietes relegatam viderint [1].

Relegenda quoque sunt hac de re quae in Codice Iuris Canonici praescribuntur. *Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi, ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum institutio religiosa ac moralis locum obtineat* [2]. Rursus [3]: *Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent.*

29. — Quo pacto sit cum haereticis aut infidelibus publice disputandum. — Cum disputatio cum haereticis aut infidelibus interdum vergere possit in fidei aedificationem, hinc non inutile erit hic repetiisse, ex S. Thoma [4], quo pacto sit catholico viro cum eisdem de religione congrediendum. Ubi non de illo disputationis genere hic loquimur, quo quis, de fide dubitans et dogmata fidei tanquam res incertas habens, nititur argumentis experiri utrum vera sint quae credit: sic enim disputans peccaret contra fidem et esset infidelis; sed de disputatione agimus quae fiat ad exercitium vel ad errores confutandos: quae quidem disputatio licita est, non tamen forsitan semper et ubique expedit.

Nimirum, consideranda hac in re est conditio tum disputantium, tum audientium. Scilicet, si disputatio institua-

[1] Analecta eccl., ann. 1895, tom. III, p. 330. Quid de illis scholis, in Orientis plagis disseminatis, dicendum, a paganis iuvenibus ut plurimum celebratis, in quibus pauci catholici, rari nantes, inveniuntur? — [2] Can. 1272. — [3] Can. 1374. — [4] 2 2^{ae}, Quaest. X, art. 7.

tur coram sapientibus, id est, viris instructis et firmis in fide, nullum periculum erit coram illis disputare, imo magna ex hoc utilitas disputantibus proveniet, sicut cum discipuli, magistro moderatore, de aliquo dogmate inter se circulos instituunt. — Sin autem audientes simplices sint et in fide titubantes, tunc vel urget aliqua necessitas disputandi, scilicet ex parte infidelium nitentium corrumpere fidem, vel nulla talis necessitas adest, sicut in terris ubi non sunt infideles, aut ubi nullum de religione catholica dubium movetur.

In primo casu, scilicet urgente necessitate publice disputandi de fide, utique hoc fieri potest, dummodo idonei inveniantur viri, ad hoc unum sufficienter praevio studio parati, qui possint errores confutare: sic enim et simplices in fide firmantur, et tollitur infidelibus facultas eos decipiendi; e contra, nimia taciturnitas in iis qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, vergere posset in detrimentum veritatis et in erroris confirmationem. Unde S. Gregorius Magnus dicit [1]: *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.*

Advertendum tamen est, huiusmodi publicas disputationes fieri non debere absque Episcopi licentia: nimirum, revocanda huc venit sapientissima monitio S. Congregationis de Propaganda Fide, qua olim praescribebatur *publicas disputationes non fieri cum haereticis, quia plerumque, vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur, et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat Sacra Congregatio, quae iuxta temporis et personarum qualitatem quid agendum sit praescribet* [2].

At ubi non adsunt inimici religionis catholicae, aut ubi fideles simplices et rudes firmissima fide tenent ea quae docet Ecclesia, periculosum esset coram eis disputare; quia ex hoc quod infidelium negationes audirent, scandalum po-

[1] L. Pastoralis Curae, P. II, c. 4, t. I, p. 900. Ven., 1621. — [2] Cf. 8 Mart., 1625; 27 Maii, 1644; 18 Dec., 1662; S. I. C., 19 Ian., 1644; S. C. C., 6 Mart., 1625.

tius paterentur, quam aedificationem acciperent, cum nihil diversum unquam audierint ab eo quod credunt, et ex hoc ipso quod obiectiones infidelium ignorant, fides eorum simplicior et firmior existit. — Pariter, inconsulto omnino et imprudenter agunt, qui ad manus simplicium et rudium, nulla cogente necessitate, scripta pervenire faciunt, gravissimos in fide errores referentia, etsi forsan addatur horum errorum confutatio: promptior est enim mens humana ad errores apprehendendos, quam ad eorum solutionem capiendam.

Denique advertemus, disputationem instituere cum haereticis, adhibita sola Sacra Scriptura, nihil fere prodesse, cum, ut observat Tertullianus [1], ne unus quidem haereticus unquam fuit qui Libros non citaret, cum praecise in hoc consistat ratio errorum quos propugnant, quod sensum verborum Sacrae Scripturae depravantes, ad sua deliramenta detorquent. *Ergo.* concludit ille [2], *non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen.* Nimirum probe semel cognito Ecclesiae sensu, quid textu Scripturae significetur facile intenditur, et *illic erit veritas Scripturarum* [3]. Quod quidem nihil aliud est, nisi quod idem Tertullianus inculcabat [4], nempe *id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum;* quod compendiose exprimebat S. Vincentius Lirinensis [5]: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum.*

30. — Scholion. — Porro, id quod de orali disputatione dicimus, de scriptis etiam dici debet, quae maxime hodie, ubicumque spiritus erroris puritatem fidei corrumpere nititur, evulgari necesse est, ad retundendos errores quibus mundus inficitur. Opportunum sane est atque utile, perniciosis atque insidiantibus haereticorum scriptis medentia et munientia scripta praetendere, quibus aut ipsimet sanantur, aut saltem a laedendis aliis repellantur [6].

[1] De Praescriptione, c. 28, ed. Paris, 1658, t. I, p. 408. — [2] Ibid. c. 19, p. 404. — [3] Ibid. — [4] Ibid., c. 30, p. 408. — [5] Commonit., c III. — [6] Legendus omnino est S. Augustini Ep. ad Bonifacium (CLXXXV), seu liber de Correct. Donatist. t. II, col. 643, seq.

Equidem, dici vix potest, quanti momenti sit, hisce praesertim diebus, bonarum ephemeridum evulgatio, quibus antidotum praeparatur contra venenata impiorum scripta, quae tanquam diluvium dissipans terram conantur destruere fidem; at cauti sint catholicarum ephemeridum scriptores ne, turpis lucri gratia, fidei potius conservationi noceant, quam eius defensioni provideant, scilicet vel lectoribus morbida pascua praebendo, vel impios scriptores inconditionate laudando aut lectoribus commendando, vel altum de rebus ad religionem spectantibus silentium indicendo, etc.; quae agendi ratio detrimento est catholicae veritati, non adiumento.

31. — Cautela in libris legendis observanda. — Cum fides sit radix et fundamentum iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo [1], enixe homini adlaborandum est, ne quidquam committat, quo pretiosissimum hoc Dei donum, pro quo recuperando nullum est a Christo sacramentum institutum, amittere possit. Atqui inter ea quibus paratur periculum fidei perdendae, eminet lectio librorum seu ephemeridum ab haereticis vel a malis catholicis conscriptorum, quorum tanta est hodie copia, ut totus fere mundus hac lue iam infectus videatur. Sed et ex libris a catholicis conscriptis non desunt, in quibus mala errorum germina subobscure traduntur, qualiter praestare solent modernistae, qui etiam scriptis suis gratiam conciliare nituntur, quo videlicet facilius lectores, maxime in iuniori aetate constitutos, alliciant. Ab his ergo libris legendis, etiam sub praetextu eloquentiae flores colligendi, cavere omnino illum oportet, qui pretiosum fidei donum in corde suo integre servandi sollicitus existit: cui libenter illud, quod monebat olim Virgilius, inculcamus [2]:

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Heu, quam multos irretiit vana quoscumque libros absque delectu legendi cupiditas, qui nimirum fidei suae haud modicam iacturam saepe reportant, aliquando etiam naufragium miserabiliter faciunt! Quibus profecto iterandum

[1] Hebr., XI, 6. — [2] Bucol., Eclog, III, 92.

est Apostoli monitum [1]: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. et oppositiones falsi nominis scientiae.*

Quae cum ita sint, haud nimis admiranda erit materna Ecclesiae sollicitudo, quae ad avertenda fidei pericula, instituit censuram librorum, cuius sapientissimis praescriptionibus utinam omnes homines fideliter obtemperarent [2]!

32. — Cautela in communicando cum haereticis. — Ad idem quoque argumentum referri possunt severae leges quibus Ecclesia passim prohibuit ne fideles in locis haereticorum commorarentur, aut cum illis familiariter communicarent; esto enim illi qui in fide probe eruditi sunt et firmi possint utiliter ad partes haereticorum transire ad illos convertendos, deficiente pro illis imminente periculo perversionis, e contra, cum de simplicibus et infirmis in fide agitur, enixe cavendum est ne cum haereticis aut infidelibus familiariter conversentur, etiam sub spe rem domesticam promovendi: nam, sicut homini *bonum est ad vitam ingredi debilem vel claudum. quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum* [3], ita expedit ei abundantia bonorum temporalium carere, potius quam fidei, sine qua nemo salvus esse potest, iacturam facere [4].

Huc faciunt verba S. Thomae [5]: *Immunditia leprae significat immunditiam haereticae doctrinae, tum quia haeretica doctrina contagiosa est, sicut et lepra, tum quia nulla etiam falsa doctrina est, quae vera falsis non admisceat, sicut etiam in superficie corporis leprosi apparet quaedam distinctio quarumdam macularum ab alia carne integra.* Concordat et S. Hieronymus [6]: *Abominatio desolationis intelligi potest et omne dogma*

[1] 1 Tim., VI, 20. — [2] Recolenda hic est sequens propositio in decreto *Lamentabili* condemnata (Prop. 8): *Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihil pendunt.* — [3] Matth., XVIII, 8. — [4] Cf. S. Thom., 2 2ae, Quaest. X, art. 9. — Cf. Constit. Clementis VIII, *Cum sicut,* diei 26 Iulii, 1596, necnon Gregorii XV. *Romani Pontificis.* diei 27 Iulii, 1622. — [5] 1 2ae, Quaest. CII, art. 5, ad 4m. — [6] 3 Iul., 1907.

perversum: quod cum viderimus stare in loco sancto, hoc est in Ecclesia, et se ostendere Deum, debemus fugere de Judaea ad montes, hoc est, dimissa occidente littera, et iudaica pravitate, appropinquare montibus aeternis de quibus illuminat mirabiliter Deus: et esse in tecto et in domate. quo non possint ignita diaboli iacula pervenire, nec descendere et tollere aliquid de domo conversationis pristinae, nec quaerere quae retrorsum sunt: sed magis serere in agro spiritualium scripturarum. ut fructus capiamus ex eo.

33. — Quomodo dogma catholicum per haereses sit clarificatum. — En igitur quaenam sit relatio haereseon ad dogma catholicum. Nimirum, hinc quidem nihil deterius, nihil perniciosius dari potest quam haeresis, per quam fides, sine qua salus esse non potest, corrumpitur; illinc tamen, errores, temporis decursu prolati, ita sapientissima Dei providentia disponente, ad veritatem ordinantur, ut fidei deposito declarando, illustrando, vindicando, evolvendo inserviant. Quapropter videmus, omni nova insurgente haeresi, Ecclesiam occasionem arripuisse novas definitiones condendi vel declarationes faciendi, sicut nuper contra modernistarum errores prodierunt et decretum cui titulus *Lamentabili* [1] et Epistola encyclica *Pascendi* [2], quibus plura de Domini Nostri sacrosancta humanitate, de sacramentis, de Ecclesia, in nova luce ponuntur; unde concludendum est, inter media ordinata ad logicum dogmatis progressum, non infimum locum haeresibus attribui.

Nec tamen propterea credendum est Ecclesiam, si haereses abessent, nullam unquam novam definitionem edituram fuisse: nimirum, cum Ecclesiae magisterium per se ordinetur ad fidei aedificationem, necesse non est, absolute loquendo, ut veritas aliqua denegetur, ad hoc ut definiri possit: sed novas potest condere definitiones, quoties utilitas aliqua fidelibus inde provenire censenda sit: unde, verbi gratia, licet nemo nunc Deiparae in caelum assumptionem in dubium revocet, fieri tamen utique posset ut Ecclesia hoc dogmatis punctum expressius definiret, ad maiorem illius gloriam, necnon ad utilitatem populi christiani promovendam.

[1] L. IV, Comment. in c. XXI, S. Matth. — [2] 8 Sept., 1907.

34. — Ecclesia doctrinam suam aut liturgiam ab haereticis non est mutuata. — Denique advertimus, longe a veritate aberrare qui putant Ecclesiam, sive in explicatione suae doctrinae, sive in suis liturgicis ritibus, quidquam ab haereticis mutuatam esse. Esto enim, Ecclesia, maxime cum pax ipsi affulsit, paganorum templa ritu catholico dedicasse perhibetur, aut nomina ad usus civiles spectantia ad res sacras designandas transtulisse, aut etiam profanas vestes ad suorum ministrorum ornamenta adhibuisse, nunquam tamen haereticorum doctrinam aut ritus usurpavit. Est quippe maxima differentia inter res superius enunciatas et doctrinas aut ritus liturgicos: nimirum, illae de se indifferentes sunt, ideoque in supernaturalem usum adhiberi et elevari possunt, sicut videmus Christum elementa mundi adhibuisse ad sacramenta conficienda; haec vero per se mala sunt, ideoque penitus abiicienda. Aliunde non indiget Ecclesia catholica, cui Spiritus Sancti promissiones in promptu sunt, ad vana haereticorum figmenta recurrere; quin potius si quid boni apud haereticos inveniatur, sive in doctrina sive in ritibus, hoc totum ab ea, utique diminutum, sublatum furtim fuisse dicendum est.

Articulus VI. — *Utrum per Sanctorum vitam et martyrum testimonia dogma catholicum clarificatum fuerit.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam determinatum fuerit de progressu in cognitione dogmatis fidei per disciplinam, sive humanitus, sive divinitus traditam, necnon indirecte per haereses, faciendo, remanet modo ut de eadem re, quatenus ex doctrina catholica in praxi reducta similis progressus obtineatur, sermo noster defluat. Cum enim, ut tritum fert adagium, intellectus speculativus extensione fiat practicus, necesse est ut illam homines doctrinam plenius percipiant, quam in opere traductam viderint. Atqui duplici modo potest doctrina fidei opere traduci: scilicet, primo, in quantum quis eidem totam vitam suam conformare studeat; secundo, in quantum eousque deveniat, ut pro eadem tuenda animam suam tradere non vereatur. De hoc igitur duplici

speciali fonte progressus in sacra Doctrina erit nunc singi latim agendum, ubi duplicem simul ordinem, fidei scilicet e morum, propius respiciemus.

2. — PROP. I. — **Per Sanctorum vitam, dogma cathe licum clarificatum est.**

3. — **Exponitur.** — Sublimissimam et quae omnem aliai scientiam superet, non in ordine solum speculativo, sed etiai practico, esse sacram Doctrinam, ex mera Catechismi ca tholici perlustratione evidenter patet, in quo totum depos tum ad fidem moresque pertinens in compendio continetu Sic, in ordine fidei, iubemur res altissimas et ab hominu sensu remotissimas credere, ut sunt mysteria Trinitatis, In carnationis, aut praesentiae Christi in Eucharistia; in or dine morum autem, strictum nobis incumbit officium Deum su per omnia et proximum sicut nosipsos diligendi; debet insupe christianus homo, ex mandato Christi, semetipsum abnegar

Atqui cum hoc natura nostra feratur, ut iis quae theo retice tantum nobis praesentantur remissius adhaereamus quae vero ab aliis in praxim deducta videmus alacrius am plectamur, iuxta tritum illud: *Longum iter per praecepta breve et efficax per exempla;* hinc ex quo cernuntur aliqu insigniores viri ac mulieres fidei doctrinae toto corde adhae sisse atque moribus a Christo proclamatis vitam suam per fecte conformasse, validissimum fidelibus calcar adiicitu revelationis deposito firmius inhaerendi.

Sunt etenim exempla Sanctorum, quasi lux effulgen simul et calefaciens, sicut de Ioanne Baptista dixit Christu quod erat *lucerna ardens et lucens* [1]. Quapropter, fidelibu suis idem Salvator solemne mandatum dedit [2]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Quae cum it sint, rite concluditur, per Sanctorum vitam, dogma cathe licum plurimum clarificatum fuisse.

4. — **Scholion.** — Certe, utiliter posset ab apologetis chr stianis evolvi quod hic breviter tetigimus argumentum, con

[1] Io., V, 35. — [2] Matth., V, 16.

230.2C
T361Yl
Lépicier, Alexis H.M.
Sacra doctrina
114344

230.2C
T361Yl
114344